Source : BIU Cujas

060682 0015

Source : BIU Cujas

223-4

PROMPTUARIUM

UNIVERSORUM OPERUM

JACOBI CUJACII

Variantibus inter se lectionibus præsertim Titulorum, & Legum Florentinæ, Vulgatæque editionis Pandectarum, sive Digestorum accommodatum

CURA, ET INDUSTRIA

DOMINICI ALBANENSIS

IN SUPREMIS REGNI NEAPOLITANI TRIBUNALIBUS CAUSARUM PATRONI.



NEAPOLI MDCCLXIII.
EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA
SUPERIORUM FACULTATE.

Source : BIU Cujas

Nisi utile est, quod facimus, stulta est gloria.
Phædr. Fab. 17. *lib.* 3.

Source : BIU Cujas

O P U S

In binos Tomos distributum.

T O M U S P R I M U S

Omnes Pandectarum Leges complectitur, eisdemque respondentes Cujacii Observationes, Notas, Consultationes, ceterosque tanti Viri Commentarios indicat. Insuper conspersas continet in nonnullas Leges Annotatiunculas, quibus ex mente, & judicio Cujacii aliqua præcipue Accursii glossemata, vel approbantur, & commendantur, vel, ut non raro, improbantur.

T O M U S A L T E R

In Prima sui Parte pari ordine, & contextu Leges, & jura exhibet Codicis, Novellarum Constitutionum, Institutionum Imperatoris Justiniani, Feudorum, & Libri II. III. & IV. Epistolarum Decretalium Gregorii IX.

Accedit Secunda Pars singulis quoque locis Promptuario respondens; habetque integra hactenus desiderata

O P U S C U L A

Alexandri Scot, Cujacii Alumni, Osii Aurelii, ac Dominici Gentilis Neapolitanæ *Academiæ Antecessoris egregii, qui pro* Cujaciana Jurisprudentia, & doctrina *contra varios ejus virtutis æmulos pugnam inierunt.*

Appositis in principio cujuslibet Tomi Indice Titulorum, & *Legum omnium*; Nec non Tabula Chronologica ipsius Cujacii Operum, quo scilicet tempore ea elucubraverit, vel in lucem ediderit; eorumdemque ab anno 1584. ad hanc ætatem celebriorum editionum.

Qua deinde Tabula duce, Promptuarium non tantum Neapolitanis Editionibus, super quibus hoc opus potissimum elaboratum est, promptissime inserviet; verum etiam facili negotio erit usui Exteris, ac Vetustioribus in Tabula annotatis.

Source : BIU Cujas

O P U S

in tres Tomos distributum.

T O M U S P R I M U S

CLARISSIMIS, ORNATISSIMISQUE VIRIS

IN NEAPOLITANO FORO

CAUSARUM PATRONIS

DOMINICUS ALBANENSIS.

COGITANTI mihi cuinam PROMPTUARIUM hoc UNIVERSORUM OPERUM JACOBI CUJACII, jure, meritoque inſcriberem, non fuit diu, multumque deliberandum. Statim Vos, VIRI ORNATISSIMI, animo occurriſtis: juſtæque eſſe cauſæ viſæ ſunt, cur Vobis potiſſimum *id Operis nuncuparem*. *Primum* quidem e veſtro numero ii exſtitere non pauci, qui me in propoſito, ac *voluntate laboris hujus aggrediendi* amiciſſime, graviſſimeque confirmarunt: quorum auctoritate *factum eſt*, ut pergerem conſtantiſſime: nec detinerer moleſtia, quam, ſi ingenue fateri velim, multo majorem in progreſſu experiri cœpi, quam initio reputaveram. Deinde in veſtræ facultatis uſum, veſtrumque commodum meus hic labor omnis ceſſurus eſt: non quod doctrinæ, ſapientiæque veſtræ manuductione aliqua, aut admiſſione opus ſit ad ſacra illa, ac veneranda Cujacii penetralia: ſed, quod Vobis feſtinantibus aliquando, & moram omnem (ut ſunt non raro temporis, rerumque anguſtiæ) indignantibus, valde commodum ſit futurum, poſſe ſtatim, nulloque horæ detrimento locum ipſum Auctoris adire, ejuſque aut verba, aut ſententias in veſtrum uſum transferre. Certe, qui properatis itineribus in locum aliquem contendunt, etſi Regiam, communemque viam probe calleant; gratias tamen habent iis, qui aliam indicant compendiariam, ideoque tunc loci, ac temporis maxime opportunam. Jam quid dicam de dignitate, præſtantiaque veſtri Nominis? Hæc me etiam, & vero hæc me potiſſimum impulit, ut lucubrationem hanc meam veſtræ tutelæ, patrocinioque confidentiſſime commendarem: nempe futurum ratus, ut labores mei ceteroqui obſcuriſſimi mirifice hac via clareſcerent. Etenim nulli hominum non eſt compertum, quanta ſit in Vobis legum peritia, quanta dicendi copia, quanta in agendo dexteritas, quanta demum, quamque expedita facultas in uſu omni, exercitationeque forenſi. Celeberrima ſane eſt apud exteras nationes omnes Neapolitani Fori Majeſtas, ampliſſima Magiſtratuum dignitas, rectiſſima cauſarum agendarum ratio, admiranda Judiciorum partitio, graduſque ſententiarum; ſed in ipſam hanc Neapolitani Fori gloriam multum Vos ipſi confertis, tum ſcribendo, tum perorando, Attica illa ſubtilitate ingenii, Romanaque illa orationis gravitate, quæ duo videntur per Vos feliciter revixiſſe. Quod dum dico, locupletiſſimos habeo teſtes,

Source : BIU Cujas

ſtes, qui me ab omni aſſentationis nota vindicent : eos nimirum bene multos magni nominis, præſtantiſſimæque conditionis Viros, qui in Urbem hanc ex tranſmarinis, tranſmontaniſve regionibus quotidie adventant. Advocat illos quidem Patriæ noſtræ nitor, elegantia, felicitas, quæ ſi quando alias, nunc certe florentiſſima eſt ſub FERDINANDO IV. auſpicatiſſimæ fortunæ, egregiæque indolis Principe, pulcherrimoque Regum omnium flore: quem merito votis omnibus, ſtudiiſque amplectimur, tamquam noſtras delicias: merito etiam veneramur, tamquam divinum aliquod cæloque demiſſum Pignus noſtræ incolumitatis : ejuſque præſentia dolorem lenimus, quem acerbiſſimum ſumus experti ex CAROLI Hiſpaniarum Monarchæ, ejuſque Parentis optimi profectione : cujus ut illuſtria, perpetuaque exſtant apud nos Regalis plane beneficentiæ monumenta; ſic Auguſtiſſimum Nomen, jucundiſsimaque recordatio noſtris in animis perpetuo inhærebit. Verum inter cetera incitamenta, quæ exteros homines huc ſæpiſſime adducunt, præcipuum habet locum vehemens quædam cupiditas coram hic agnoſcendi noſtrorum Formam Judiciorum; Voſque audiendi, vel meditato, ac ſuper propoſita re, vel etiam extempore, ac ſuper aliquo ſic temere oblato fictæ cauſæ themate perorantes. Quod dum facitis, pendent ipſi interim e labiis veſtris admirabundi : ſuis vix ipſi oculis, auribuſque adhibent fidem : ſecumque hanc reportant honeſtiſſimam opinionem, Neapolitanos Advocatos tam ab arte, ingenioque promptam habere docte, ornateque differendi copiam ; quam promptam alii a Natura habent ipſam fandi facultatem. Plura de Vobis adderem, eaque longe honeſtiſsima; ſed parco modeſtiæ, verecundiæque veſtræ : eoque libentius parco, quod videri fortaſſe poterit, hæc a me in mei gratiam dici, qui veſtro ſum quidem Ordini quantulacunque ex parte adlectus, ſum tamen ab unoquoque Veſtrum longo admodum diſsitus intervallo. Excipite itaque, *Viri humaniſsimi, bono, lubentique* animo *meum hoc Promptuarium*, ex quo ingentem me fructum cepiſſe arbitrabor, tantum ſi intellexero, rem me feciſſe gratam Vobis, Reique publicæ utilem. Illud mihi a Veſtra benignitate: hoc ab ipſa Operis ſtructura, naturaque polliceor. Nam quum Promptuarii ope facillima jam ſit facta Cujacii pertractatio; multo frequentius, quam alii inferioris notæ Auctores, celeberrimus hic, vereque Juriſconſultorum omnium facile Princeps, noſtro in foro audiri poterit. & digniſſimus ſane eſt, qui audiatur; Vir, cujus lingua, ita leges loquuntur, ut legum ipſarum lingua Æquitas, Prudentia, Juſtitia loquitur. Valete, bonoque publico diu vivite.

PRÆ-

Source : BIU Cujas

PRÆFATIO.

MEarum neque partium eſt, neque Inſtituti, Viros Rei legalis peritos edocere, quantus in Juris ſcientia fuerit, quantumque ceteris omnibus præſtiterit JACOBUS CUJACIUS. Compertum id, exploratumque omnibus eſt, iiſque potiſſimum, qui prope divina ejus Opera, nocturna verſare manu, verſare diurna conſueverunt. Certe, quæ tanti Viri commendatio eſt luculentiſſima, tunc aliquis quiſpiam juris ſcientiſſimus egregie, mirificeque laudatur, cum alter CUJACIUS nominatur: quod an de aliquo, ſine aſſentatione quadam, hactenus dici potuerit, non auſim definire. Atque hinc nemini mirum eſſe debet, quod illius ſcripta ſuo jam inde ex tempore, ac præcipue ex anno 1584. plus quam decies ſint typis edita, quantaque aviditate ſemper exquiſita, tanto cum plauſu excepta. Ex quibus editionibus, uberrimas, locupletiſſimaſque, quas apud me habui, indicabo deinceps deſcriptas in Tabula Chronologica, cujus de uſu aliqua diſſeram num. XIV. & XV. hujus Præfationis.

I. Plurimi in Re legali facienda eſt Jacobi Cujacii Auctoritas: quod & omnibus eſt perſuaſum, & confirmatur etiam ex tam multis ejus Operum Editionibus: quarum de præcipuis inferius erit ſermo.

Verum, veſtigantibus locum aliquem in Cujacii operibus, quo ſcilicet in loco de lege aliqua, aut de legis Paragrapho, nunc quidem ex profeſſo, nunc caſu veluti quodam agit: non leve negotium faceſſebat, moramque inferebat aliquando moleſtiſſimam ipſa legum tractandarum ratio ab ipſo uſurpata, longe alia ab ea, quam in notiſſima legum collectione tenuit magni Vir ille nominis Tribonianus. Hic ſub uno eodemque Pandectarum titulo collocavit leges omnes, aut varia Juriſconſultorum Reſponſa ad eam rem pertinentia, quam veluti propriam præfixo Titulo attribuerat: ſinguliſque legibus tum Juriſconſulti nomen impoſuit, *tum indicationem libri, ex quo deſumpta lex illa fuerat.* Indeque factum, ut in Pandectis ſinguli plerumque Tituli, plures *complectantur leges: ſingulæque* leges ad plures libros, Auctoreſque referantur, puta Papinianum, Scævolam, Modeſtinum, Ulpianum, Paulum, Africanum, alioſque vetuſtæ ætatis Juriſconſultos. Contra vero Cujacius illas ipſas Juriſconſultorum ſententias, ſeu Reſponſa, nulla divulſione, ſed perpetua ſerie affert: ita omnino, ut in Auctorum ſuorum Tractatibus jacent. Hujus Cujacianæ methodi non ſine laude meminit Johan. Salom. Brunquellius in *Hiſt. Jur. Juſtinianei part.* 2. *cap.* 4. §. 44. his verbis: *Eodem modo Juriſconſultorum Princeps Jacobus Cujacius lacera Africani per Pandectas membra concinnavit, & diſpoſuit; Papiniani libros reſponſorum, definitionum reliquaque ejus opera, ut & Pauli ad Edictum, & Quæſtionum, Modeſtini differentiarum, Salvii Juliani nonaginta Digeſtorum, Pauli, Neratii, Marcelli, Ulpiani, Modeſtini, & Scævolæ Reſponſorum libros in ordinem redegit, Commentariis illuſtravit, priſtinoque ſuo nitori reſtituit.* Non itaque temere, aut inconſulto Auctor noſter Cujacius, aliam, quam Tribonianus, inivit viam: ſed, inſimul proponendis Virorum doctiſſimorum ſententiis, illud ſpectavit, quod Seneca *epiſt.* 33. diſerte monet: *Depone iſtam ſpem, poſſe te ſummatim deguſtare ingenia maximorum Virorum. Tota tibi inſpicienda, tota tractanda.* Aliumque præterea exſtituturum vidit Conſilii ſui fructum: nimirum ut longiſſime removerentur Antinomiæ illæ, quas Viri aliqui eruditi, aut in legibus, aut in ejusdem interdum ipſiuſmet Juriſconſulti ſententiis deprehenderunt.

II. Interim difficile admodum eſt in Cujacii Operibus veſtigare, atque invenire locum ipſum ejus Commentarii, qui anxie quæritur. Atque hæc difficultas inde oritur, quod Auctor iſte receſſerit a Triboniani Methodo: & quæ *connexa*, atque affinia *ea collegerit* undique, & ſimul omnia pertractarit: in quo & laudatus a Brunquellio, & ſane laudandus.

At Cujaciana iſthæc methodus, quantum utilitatis, tantum habebat incommodi adjunctum. Difficillimum non raro erat Cujacii mentem plane aſſequi: atque in ejus Commentariis id invenire, quod quærebatur, quove invento opus erat; tunc potiſſimum, cum ipſe aliquid de legis inſcriptione immutaſſet, ratus, eam aut ab alio depromptam Juriſconſulto, quam ab illo, quem Textus ex Triboniani ſyſtemate indicabat: aut ex alio ejuſdem Auctoris libro, librive numero excerptam, ut ſæpe contingit. Quam ob inductam a Cujacio varietatem longus erat veſtigandi labor, plerumque etiam inutilis: quemadmodum fit, quum eos, qui alio commigraverint, in antiqua domo exquirimus.

III. Dicta difficultas ibi etiam eſt major, ubi ipſe vel aliquid de Legis inſcriptione immutat, vel legem aliquam præter exſpectationem illuſtrat, vel alia ratione a rerum ordine diſcedit.

Illud etiam accedit quod ſæpiſſime ex occaſione alicujus illuſtrandæ legis, aliam

Source : BIU Cujas

aliam longe diſſitam illuſtraverit: ſeu quod illam, unam eſſe ſit arbitratus ex fugitivis, quales aliquot ipſe appellavit in Notis prioribus in *Lib. III. Cap. VI. Inſtit. de Gradibus Cognationis ſub §. Illud certum*; & in *lib. 3. cap. 37. Obſervat. & Emend.* ſeu quod eam opportunitatem ſit nactus inſpiciendi, conveniret, nec ne, inter ſe leges illæ. Imo ſæpe leges Pandectarum ſub Titulis Codicis illuſtrare maluit, ac viciſſim. Quo ab ordinis neglectu neque receſſit aliquando in quibuſdam Tractatibus, quorum in numero ſunt: *Notæ ad Titulos XXIX. Ulpiani: Interpretationes in Julii Pauli receptarum ſententiarum ad Filium: De diverſis Temporum præſcriptionibus, ac terminis: De temporalibus intervallis: Conſultationes LX. Obſervationum, & emendationum libri XXVIII.* Utque omittam cetera, illud eſt animadvertendum; quod ſæpe dum Notis, Commentariiſque illuſtraret Inſtitutiones, Novellas Conſtitutiones, Feudorum libros, libroſque II. III. & IV. Decretalium epiſtolarum Gregorii IX. aliqua de lege Codicis, aut Pandectarum multo copioſius, pleniuſque differuit, quam alibi fecerat; ibi nimirum, ubi lex illa ſuam habebat ſedem, in qua tamen, aut omiſſa penitus, aut vix fuerat leviter indicata. In eo tamen religioſus admodum fuit, in ſervando ſcilicet Triboniani ordine, quum ad illuſtrandos devenit quinquaginta Pandectarum libros, ex quibus, ut videre eſt in editione Neapolitana, Liber, ſeu Tomus VII. integer, magnaque parte VIII. conſtant, quibus libris, ſeu Tomis reſpondent vetuſtiores editiones in Tabula Chronologica deſcriptæ ſub num. 58. Quamquam, ne quid videar diſſimulare, hic etiam integri Tituli, ac leges deſiderentur, alibi ab Auctore illuſtratæ; quod ſuperius monui.

IV. Minuendæ ſtudioſorum Cujacii moleſtiæ Promptuarium eſt elaboratum: futurum utile inveniendis Cujacii ſententiis juxta Triboniani methodum legibus inter ſe conferendis, legum antinomiæ dignoſcendæ: quod patet ex indicata hic breviter Promptuarii ſtructura.

Itaque, ut me, alioſque Juris ſtudioſos ingenti hac moleſtia relevarem, diu, anxieque Cujacii ſententiam ſingulis ſuper legibus, legumque Paragraphis veſtigandi gratia, animum adverti ad opus hoc Promptuarii elaborandum: quod, Superis bene juvantibus, duodecimo vix tandem anno eſt abſolutum, & quidem, quod ſine invidia, jactantiaque dixerim, non infeliciter. Etenim illud mihi videor eſſe aſſequutus, ut ad Triboniani methodum ſententiæ omnes ſint redactæ; illæ inquam, quæ in Cujacii voluminibus diſperſæ, divulſæque reperiebantur. Idemque præſtiti de ceteris Juribus Codicis, Inſtitutionum, Novellarum Conſtitutionum, Feudorum, Epiſtolarumque Decretalium Gregorii IX. ut videre erit in ſecundo Promptuarii libro. Atque id quidem commodi mihi ipſe initio propoſueram. Verum duo alia ſponte, & veluti e re nata, ſunt conſequuta. Primum, quod ex collectione, concurſuque locorum omnium, in quibus Cujacius de lege quapiam differit, quædam exorta ſit legum concordantia aptiſſima iis, quæ affert, confirmandis. Alterum vero, quod jam facillime, unoque intuitu dignoſci poſſit, an ea ſit in legibus antinomia, quam interceſſiſſe aliqui ſunt arbitrati.

Haud abſimili ratione, Promptuarii ope, facile dignoſcetur, an & quatenus Pandectis per Codicem, aut Codici per Novellas Conſtitutiones ſit derogatum, ſeu re ipſa, ſeu aliquorum ſententia: quidve concordiæ, quidve diſcriminis inter Pontificias, Romanaſque leges. Quid jam de legibus, quas Cujacius ne leviter quidem, obiterque attigit? labore eas fruſtra quærendi in illius Tractatibus Promptuarium eximet: Promptuarium, inquam, ita Cujacii operibus reſpondens, ut quod in his tractatum, in eo indicatum ſit reperire: & e contrario, quod in eo non indicatum, reperire non ſit in his tractatum.

Hæc vero omnia, ut induſtria, diligentiaque mea præſtarem, iſta mihi Promptuarii concinnandi ratio tenenda fuit. Primum deſcribere oportuit omnes ſeorſim Titulos: deinde initia legum ſingularum, & Paragraphorum, tum, qui illis adnexi, tum qui infra poſiti: demum ſub unoquoque ſeu Titulo, ſeu Lege, ſeu Paragrapho locum indicare, quo in loco Cujacius jam obiter, jam ex profeſſo ea de re differit. Et quod ad leges attinet, de quibus obiter differit, illud eſt animadvertendum: leges hujuſmodi, præterquam quod ſæpe ab ipſo per verborum initia, aut per numerum deſignantur, non raro, his denotari vocibus: *lege ſequenti*; quod cum fit, nemo non ſtatim videt, in ſequentis legis Commentario eandem illius rei tractationem reperiri. At cum aliam indicandi rationem uſurpavit, puta, cum ſcripſit in hunc modum: *L. 1. 2. & 3. &c. Tit. ſequ.* tunc Triboniani methodum reſpexit: titulumque indicatum voluit, proxime (juxta Pandectarum ſeriem) illi ſuccedentem, in quo lex fuit quoquomodo illuſtrata. Jam vero in legibus collocandis ordinem Textuum ſum ſequutus, illum

ipſum,

Source : BIU Cujas

ipſum, quo ſunt diſpoſiti in Editione Vulgata, quæ accurata Venetiis eſt apud Juntas: complectiturque Digeſtum Vetus, Infortiatum, ac Novum. Florentinam editionem adhibui ex Dionyſii Gothofredi opere, quod inſcribitur *Corpus juris Civilis Tom. I. Coloniæ Munatianæ ann.* 1756. complectiturque uno volumine quinquaginta libros Pandectarum.

Sed quia Vulgata editio a Florentina differt quam maxime, quod ad Titulos, Leges, Paragraphos bene multos attinet: ſive quod ad numerum, verborumque initia; primum omnium excogitanda ratio fuit utramque componendi, conciliandique Editionem, ita ut Promptuarii uſus æque eſſet utrique accommodatus. Si quis autem velit intelligere, quæ, & quanta ſit Florentinæ Pandectarum editionis a Vulgata diverſitas, conjecturam capere poterit ab aliquot exemplis, quæ ſtatim affero. Sub Tit. I. Lib. 7. *De Uſufruct.*, *& quemad. quis utatur*, numerantur in Florentina leges 74. at in Vulgata numerus eſt aliquanto major, legum nempe 81. Initium inductæ hujus variationis eſt a lege 7. quæ in Florentina tres habet ſubjectos Paragraphos, in Vulgata duos; quamquam ex altera parte Paragraphi, qui ſecundus eſt in Florentina, aliquid ſit deſumptum, translatumque in Vulgatam; & quidem ita, ut ex illo lex exſiſtat præcipua, numero octava. Iiſdem gradibus variatio excurrit ad ſequentes leges: *Arboribus avulſis*: *Si cujus rei*: *Sed ſicuti*; itemque ad *l. ſed & ſi*, immutato paſſim legum numero, unde exceſſus ille demum exſiſtit Vulgatæ ſupra Florentinam. Idem, niſi quod contra, videre eſt aliis in Titulis: cujuſmodi eſt locus ille, *De legat.* 3. ex *lib.* 32. *Tit.* 1. ſub quo Florentina plures collocat leges, ideſt 103. Vulgata aliquanto pauciores, ideſt 101. Superſedeo ab aliis ejuſdem generis exemplis hic recenſendis, quæ in Promptuario unuſquiſque per ſe utiliter poterit, atque invicem ſingillatim conferre. Aliquas tamen aliter inductas variationes operæ pretium duco breviter hic indicare. Profecto, ſub *Tit.* 5. *lib.* 42. *de Bonis* (Flor. *Rebus*) *auctorit. Jud. poſſidendis*, Florentina leges refert 39. Vulgata 15. tantummodo. Varietas iſta derivatur ex *l. cum bona*, cui Vulgata ſuperpoſuit *Tit. 6. de Privilegiis creditorum*; qui Titulus in Florentina omnino deſideratur: ejuſque locum obtinet unus, idemque *Titulus*, *de Rebus auctoritate Judicis poſſidendis*. Unde factum, ut lex *Bona* ſuum ſortita Titulum *in* Florentina, ſit ſibi ordine decimaſexta: eademque in Vulgata prima ſit, ac pertinens ad Titulum *de Privilegiis creditorum*. Præterea Vulgata leges 212. Florentina leges 211. attribuit *Tit.* 17. *lib.* 50. *de Regulis juris*, ſeu ut ipſa habet, *de diverſis Regulis juris*. Jam facile deprehenditur, unde ſit in Vulgata numerus uno auctior: ex lege nimirum, *ſi Filiusfamilias* 19. quam Florentina locat quidem poſt leg. 18. ſed nullo inſignita numero. At quod legum ordinem in duabus hiſce editionibus magnopere perturbat, inſignis illa varietas eſt, quæ conſequitur legem *Prætor bonorum*, numero in Florentina 117. in Vulgata 118. Etenim in Florentina poſt dictam *L. Prætor bonorum* 117. ſtatim additur *l. Qui in ſervitute* 118. Contra in Vulgata proxime adjungitur *l. Creditor qui* 119. quam Florentina ad numerum uſque 158. diſtrahit: iſtaque variatione, aliiſque ejuſdem generis variationibus per ceteras conſequentes leges protractis ad legem uſque *Ad ea quæ* 157. in Florentina, 200. in Vulgata; reditur deinde ad primum illud variandi genus, incipiendo a *l. Quoties nihil* 200. in Florentina, in Vulgata 201. continenterque ſic progrediendo ad legem uſque poſtremam ejus Tituli.

V.
Promptuarium tum in Florentinæ, tum in Vulgatæ Editionis Pandectarum uſum adhiberi poteſt: quamquam duæ illæ Editiones valde inter ſe differant: ut videre eſt in ſubjectis aliquibus ejus diverſitatis exemplis.

Denique accurate notandum eſt diſcrimen illud pluſquam palmare, ſeu potius pugna illa, atque oppoſitio, quæ ſtatim occurrit in primis ipſis vocibus *l. 19. ſub Tit. Qui, & a quibus manumiſſi liberi non fiant, &c.* Sane ſi Vulgatam illius legis lectionem attendas, verba hæc deprehendes: *Competit libertas*; ſed, ſi Florentinam, adverſantem reperies unius adjectione vocis ſententiam, itaque leges: *Nulla competit libertas*. Jam quid agas in hac ſententiarum pugna? Si ſapis, cum ſapientiſſimo Cujacio ſenties, qui in Commentario l. ſecundæ ſub Titulo Codicis *de ſententiis, & interloquutionibus, &c. Tom. IX. Edit. Neapolit. col.* 1067. *lit. D.* Accurſium taxat, præhabendamque conſtituit Florentinam lectionem. Perſuaſerat ſibi nimirum Vir conſultiſſimus, Florentinas Pandectas eſſe omnium integerrimas: proindeque eas *Caſtiora digeſta* appellavit *in Comment. ad §. ult. l. 3. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ. lib.* 54. *Pauli ad Edict.* Edit. Neap. *Tom. V. col.* 719. *lit. B.*

Source : BIU Cujas

VI. Florentinæ Pandectæ, eædem sunt, quæ Amalphi olim inventæ, atque a Pisanis abductæ.

Et quoniam Florentinas Pandectas multoties jam nominavi, pauloque etiam ante laudavi ipsis Cujacii verbis; erit fortasse, quem hoc loco incessat scientiæ cupiditas, sintne Florentinæ Pandectæ illæ ipsæ, quarum antiquissimum, emendatissimumque volumen Amalphi, in hujus Regni Urbe, a Neapoli non admodum dissita, olim asservabatur. Quocirca rem breviter ita innuam, ut gesta narratur ab Historicis probatissimis. Pisani, quum Innocentio II. ac Lothario Cæsari item II. auxiliares copias adjunxissent adversus Rogerium Normannum; quumque Amalphim classe instructa appulissent, feliciterque primo impetu expugnassent; Pandectarum volumen suam inde in Patriam asportarunt, spolia plane opima, fructumque victoriæ opulentissimum. Verum pretiosus ille rei litterariæ, civilisque Thesaurus, quum apud ipsos, annos bene multos stetisset: belli deinde jure occupatus a Florentinis fuit in Pisarum direptione, ac Florentiam abductus, in Urbem florentissimæ tunc temporis Reipublicæ principem. Hæc rei summa. Interim hac ipsa super re plura, eaque multo ornatius, elegantiusque differta legere est Opere in illo plane aureo, quod adversus Vindicias Guidi Grandii scripsit anno 1729. Florentiniisque typis vulgandum curavit Bernardus Tanusius, Vir, quem dum nomino, satis laudo: & in quo haud facile quisquam definiet, majorne sit legum cognitio, an Æqui Bonique amor, quo leges demum omnes collineant. Certe utramque hanc in ipso laudem summam esse deprehendit, gravissimoque judicio testatus est CAROLUS Hispaniarum Monarcha, prudentissimus ille Regum, tum in ceteris omnibus, tum maxime in rebus, hominibusque æstimandis; qui quum his Regnis præesset, hunc adesse sibi voluit a Secretis in iis, quæ ad jus, justitiamque pertinent: & quum istinc in paterna Regna discederet, FERDINANDO filio, Regique nostro auspicatissimo hunc ipsum providentissime reliquit, in partem Supremi Regiminis adlectum, præfectumque rebus gravissimis, cujusmodi sunt, quæ ad Principes, exteraque Nationes referuntur. Itaque divino non sine Numine factum arbitror, ut uni, eidemque Viro geminum beneficium referre debeamus acceptum. Alterum, quod Ipse inventi apud Nos Legum Sanctissimarum *Voluminis gloriam nobis adservarit scribendo.* Alterum, *quod, rem administrando publicam* ex uno legum præscripto, *eam nobis adservet felicitatem*, cui tuendæ, promovendæque leges omnes sunt constitutæ. Neque vero præclarissimæ ejus Familiæ, aut Cognationi nova, aut etiam recens gloria isthæc advenit, ex utilissima publicarum rerum administratione profecta: multo illa antiquior est, eaque cumulatissime floruit Antonius Minucius de Prato Veteri, Federico III. adhibitus a Consiliis: cujus Viri, qui Sæculo vixit XIV. non sine laude meminerunt scriptores, *Alexander Conf.* 129. *lib.* 4., *& Jason in Prælud. Feudal.* Quare ipsius indolem, ingeniumque in se excitasse videri potest Bernardus hic noster, qui maternam Aviam sortitus est, ex Patre illi cognomine, eodem in loco, eademque ex honestissima stirpe natam.

VII. Ad Promptuarium Florentinæ pariter, ac Vulgatæ Editioni accommodandum, Concordantia discrepantium locorum in interiore ipsius Parte est apposita, & ex parte repetita in Universali Indice. Idque eo factum libentius, quod alterutrius Editionis ignoratio, sæpe multos, ipsum etiam aliquando Cujacium in errorem induxerit: cujus rei specimen profertur ex controversiis inter ipsum, & Johannem Robertum.

Jam vero, quo discessi, redeo. Quum Florentina Editio a Vulgata in tam multis, tamque insigniter discrepet, visum est in interiore Promptuarii parte concordiam quamdam discrepantium locorum instituere: eamque, quod ad numeros titulorum, ac legum, & quod ad verborum initia attinet, repetere in Generali Indice Titulorum omnium, in quos quinquaginta libri Pandectarum, subjectæque Titulis leges distinguuntur: ordine prorsus alio, quam qui usurpatur in Vulgata trium voluminum Editione, quemve tenuit Cl. Vir Dionysius Gothofredus in Editione a se accurata Florentinarum Pandectarum; de quo sermo recurret infra. Quare ad vestigandum quemlibet Cujacii locum, Concordantiæ hujus ope, via jam patebit omnibus pervia: & æque iis commoda, qui Florentina, ac iis, qui Vulgata utuntur editione. Hoc vero in me Operis, ac Laboris eo suscepi libentius, quod Cujacius Florentinam plerumque sequutus sit: & quod ipsemet (ut solertissimis etiam Viris aliquid interdum de Homerica illa somnolentia obrepit) aliqua parte sit lapsus, in notissimis controversiis, quæ inter ipsum sub *Mercatoris* nomine, atque Johannem Robertum, egregium eorum temporum Antecessorem. Et harum quidem Controversiarum nullum exstat vestigium in exteris Editionibus, unam si excipias Parisiensem feliciter perfectam anno 1658. accurante Cl. Viro Carolo Annibale Fabroto, qui disputata a Cujacio contra Robertum in eam inseruit, hoc præfixo Titulo: *Notata Antonii Mertatoris*. At Neapolitani Typographi, tum in editione peracta ann. 1722. tum in recentiore alia ann.

1757.

Source : BIU Cujas

1757. multo conſultius, & cumulatius addiderunt quidquid utrimque fuit acriter diſceptatum. Quo ab exemplo non recedent fortaſſe Veneti Editores, novam Cujacii operum editionem aggreſſi ab anno 1758. Una itaque ex his Controverſiis, quæ Tom. X. Neapolit. Edition. continentur, eſt hujuſmodi. Allegaverat Robertus in ſuam ſententiam §. *Reſcriptum l. Cum tale, ff. de Condit. & demonſ.* ut videre eſt in ejus Auctoris *Lib. 1. cap. 3. col. 13. lit. B.* At Cujacius (*col. 15. lit. D. E.*) contra repoſuit, nihil tale eo in loco reperiri. En ipſa Cujacii verba: *Quod autem l. 22. adjungis l. 27.* §. Reſcriptum: *neque ullus in ea lege eſt* §. Reſcriptum: *neque ullus qui eadem de re loquatur*. Ad hæc quid Robertus? Vulgatam appellavit editionem: eam nimirum, qua & ipſe utebatur, & cum Germanis Itali Juriſconſulti plerumque utuntur, tamquam ea, quæ & magis recepta, & Magni Accurſii præterea Notis eſt illuſtrata. Inhærens igitur huic lectioni, ut dicebam, Robertus, ita Cujacium redarguit *col. 16. lit. B. Aptiſsime citavi l. cum tale*, §. Reſcriptum *cum* §. *ſeq. ff. de Conditionibus, & demonſtr. & quod contendit* (Cujacium ſubaudi) *in d. l. cum tale nullum eſſe*, §. Reſcriptum, *ac nullum alium* §. *qui eadem de re loquatur; certe illud prius ex Florentino exemplari dici poteſt, in quo aptius verba hæc:* Reſcriptum eſt *præcedenti* §. *adjunguntur; & qui in Vulgatis exemplaribus ab his verbis initium ducit*; Reſcriptum eſt: ſi arbitratu; *in Florent. incipit*: Si arbitratu.

VIII. In Promptuarii textura ex concordantiæ norma, primus Vulgatæ, ſecundus Florentinæ locus attribuitur, ob communiorem nempe illius uſum: non quod aliquid definiatur contra hujus antiquitatem, aut quod aliquid detrahatur de dignitate: quæ potius Hagemejeri judicio confirmatur, ipſiuſque Accurſii uſu commendatur. De diſcrimine inter utramque Editionem iterum ſermo eſt: moduſque exponitur adhibitus in altera ad alteram referenda.

Illud jam opportune moneo, quo nempe pacto Concordantia ipſemet ſim uſus in Promptuarii textura, ubicunque variatio aliqua incidit, ſive illa in Titulis, ſive in verborum initiis, ſive demum in legum, Paragraphorumque numero locum habeat. Equidem primo loco lectionem Vulgatam, ſecundo adhibui Florentinam: cui parvulas quaſdam notas de meo addidi, indicio ut eſſent inductæ variationis, qualis, & quantacumque illa ſit utramque inter Editionem. Quod vero primum locum attribui Vulgatæ lectioni, id non eo conſilio feci, quaſi dirimere voluerim celeberrimam quæſtionem illam, tantoque partium ſtudio ab Eruditis hominibus agitatam: An videlicet e Florentino manuſcripto derivata ſint exempla *omnia Vulgatæ Editionis: an potius hæc ſuam aliunde Methodum*, Formamque repetat. Adeat, quicunque *hujus indagandæ rei ſtudioſius eſt*, eruditam plane Academicam diſſertationem Chriſtiani Gotlib. Schwartii editam anno 1739. Lugduni Batav. Quæ tota verſatur in expendendo, *An ex unico Codice M.S. Florentino omnia cætera Pandectarum exemplaria quotquot vel manu deſcripta in Bibliothecis totius Europæ adhuc viſuntur, vel Typis expreſſa proſtant tamquam per traducem dimanarint?* Refertur ibi num. 2. opinio id diſerte affirmantium. Sunt autem ii bene multi, magnique nominis Viri, nempe Antonius Auguſtinus, Lælius, & Franciſcus Taurelli, Franciſcus Balduinus, Jacobus Vintimilius, Ludovicus Mireus, Jacob. Auguſtus Thuanus, Marquardus Freherus, Arturus Dukius, Ulricus Huberus, Enricus Mauritius, Bern. Henr. Reinoldus, Henricus Brencmannus, Jo. Salomon Brunquellus. Contra quos tamen alii ſentiunt, iique nec numero pauci, nec auctoritate deteriores; eoque ſunt in numero Budæus, Alciatus, Duarenus, Viglius Zuichemus, Jacobus Cujacius, Jo. Mercerius, Jo. Gœddæus, Elbertus Leoninus, Nicolaus Henelius, Antonius Schultingius, Jo. Petrus de Ludewig, & Chriſt. Godofredus Hofmannus. Impudentiſſimus hominum ſim, ſi meæ oblitus tenuitatis, tantis me immiſceam Viris; meumque in re tam dubia placitum proferre audeam. Sit lis ſub judice, quemadmodum fuit ad hanc uſque diem.

Illud unum moneo ex Joach. Hagemejero, quod *Codex Florentinus* (ſunt ipſa Hagemejeri verba *cap. 4. de Auct. Jur. Civil. & Canon.*) *non immerito præfertur Vulgatis exemplaribus, modo nihil abſurdi, iniqui, aut duri habeat, vel quod expreſsis textibus juris, & rationi, aut naturali æquitati adverſetur. Si vero tale quid ibi reperiatur, tum non facile ab antiquis editionibus recedendum eſt.* Ego ſane, quod mei eſt inſtituti, ideo, ut dicebam, Florentinæ lectioni Vulgatam præhabui in Promptuarii ordinatione, quod hujus frequentior ſit uſus apud nos Italos: quodque Notas Accurſii adjunctas habeat, ex quibus etiam ſortita appellationem CORPUS JURIS GLOSSATUM vulgo nominatur. Neque vero arbitretur aliquis Accurſium aut ignoraſſe, aut parvi feciſſe Florentinas Pandectas: imo earum ſæpe meminit: eaſque modo *literas Piſanas*, modo *lecturam Piſanam* nominat: locum affero unum, & alterum. In gloſſemate ad §. *Uſusfructus ſervi l. Qui uſumfructum ff. de Uſu-*

Source : BIU Cujas

fruct. & quemad. &c. ſic habet Accurſius : *Si habes uſusfructus ſervi Titio , ſicut eſt LITERA PISANA , planus eſt caſus .* Item in gloſſemate *ad §. Contra , l. Filio qui , ff. de inoffic. Teſt. ſub verb. Poſſeſſionem* , ſic inter Florentinam , aliamque lectionem diſtinguit : *hæc eſt LITERA PISANA , ſecundum primam lecturam , prout habet , FILII , ſcilicet jure manumiſſionis pater accepit bonorum poſſeſſionem , &c. Sed ſecundum aliam , ſcilicet FILIUS , non debet hic eſſe hæc LECTURA PISANA .*

Et ne quid omittam diſcriminis inter utramque Editionem , illud etiam animadverto : Paragraphos in Vulgata uno tantum hoc ſigno ¶ diſtingui , ac ſecerni : at in Florentina Paragraphos , quotquot ſunt , diſcriminari per totidem juxta appoſitos Arabicos numeros , puta 1. 2. 3. &c. Hoc quidem pacto a Gothofredo citantur , ubicumque occaſio incidit . At Cujacius nunc per numeros , nunc per verba , ſæpe etiam Paragraphum aliquem , nullo numeri indicio , citat . Ex quo factum , ut mihi utrique fuerit Lectioni inſiſtendum : quod hac ratione perfeci . Romanum numerum , & prima legum verba ſingulis præfixi legibus , pro eo , quo in utraque lectione diſpoſitæ ſunt , partitæque ordine . Tum ſub lege unaquaque univerſa collegi loca , in quibus de ea Cujacius ſuis in libris omnibus differit : ſive id ab ipſo ſit factum ſtudioſe , atque ex profeſſo , ſive leviter , & quaſi fortuito . Priorem tamen illum commentandi modum , in quo plus moræ , ſtudiique poſuit , indicatum volui per aſteriſcum (*) , moremque hunc ipſum tenui in collocandis Paragraphis pertinentibus ad leges ſingulas : quorum & prima deſcripſi verba , & ſeriem indicavi per adjectum numerum Arabicum , illum , inquam , ipſum numerum , qui in Florentina Gothofredi Editione apponitur ; quem numerum ſi aliquando omiſi , ea de cauſa feci , quod Paragraphus ille citatus , aut illuſtratus a Cujacio ſit , nulla numeri indicatione ex Florentina deſumpta . Loca vero Cujacianæ Interpretationis , aut illius tractationis ſub iiſdem Paragraphis ordine diſpoſui : pariterque inſigniora diſtinxi per aſteriſcum (*) , cetera indicavi tantummodo . Quæ omnia ex Promptuarii inſpectione obvium cuique erit plane , aperteque cognoſcere .

IX. Accurſii *Gloſſæ* , quanto ſint in pretio habendæ , multorum teſtimonio , ipſiuſque Cujacii judicio oſtenditur. Errores , qui in gloſſis illis irrepſerunt , digni ſunt venia : correcti tamen a Cujacio : ejuſque correctionis appoſita in Promptuario indicia , quemadmodum & commendationis. Indicia tum correctionis , tum commendationis , quo , & quemadmodum referantur , demonſtratur exemplo .

Habet & Promptuarium breves aliquot Cujacii animadverſiones , quibus Accurſii *gloſſemata approbat aliquando* , & commendat ; ſed nec raro improbat . Quocirca non erit abs re & de Accurſio aliqua , & de ejus Gloſſis breviter hoc loco differere . Prodiit Franciſcus Accurſius ex Azonis Schola , floruitque Federico II. imperante . Ad legum ſtudia ſe convertit ætate quidem provecta , utpote qui annum agebat quadrageſimum ; ſucceſſu tamen non ideo parum felici ; nam & leges magna cum laude Bononiæ eſt interpretatus , & pro recta earum cognitione plenius comparanda , collegit eruditionis quidquid potuit ex ſcriptis ſummorum Virorum , præcipue Irnerii , Bulgari , Martini , Placentini , Johan. Pylei , & Azonis : quorum obſervationibus facta etiam de ſuo acceſſione , partes fere omnes Juſtinianei Juris feliciter , utiliterque illuſtravit . Quanti ſint habendæ ejus Gloſſæ ad Romanorum leges , teſtatur luculentiſſime Struvius in Bibliotheca *Jur. ſelect. cap.* 3. §. 15. his verbis : *Tantam auctoritatem habent Gloſſæ , ut de his vulgatum ſit proverbium : Gloſſæ auctoritatem omnes excellere . . . Idolum Advocatorum fuerunt appellatæ .* Deinde id ipſum auget , confirmatque auctoritate Arthuri Duch in hæc verba : *Quare etiam ex ejus ſententia Cauſſam eſſe judicandam putat Arthurus Duch de Auctorit. Jur. Civil. lib. 1. cap. VIII. §. 6. quoties inſignis aliquis Interpres ei adhæſerit .* Scio equidem in ejuſmodi Gloſſis multa diſplicuiſſe aliquibus Doctis Viris , inter quos numerantur Andreas Alciatus , Franciſcus Hottomannus , Franciſcus Duarenus , & Goveanus : quorum judicio ſæpe Accurſius lapſus eſt , ſive ex Græcæ linguæ ignoratione , ſive ex modica , aut nulla hiſtoriarum cognitione , ſive ex pravo dialecticæ uſu , ſive alia de cauſſa . Verum alii ſe de illo honorifice ſentire profeſſi ſunt : habuere Gloſſas in pretio : & ſi quid in ipſis barbariem redolet , id non vitio Auctori tribuerunt , ſed ſæculi imperitiæ condonarunt . Certe Cujacius noſter *Lib. 3. cap. 11. Obſervat. & Emendat.* Edit. Neap. *Tom. 3. col. 65. lit. B.* ex occaſione conciliandi antinomiam inter *l. legatum , ff. de leg. 1.* & Paragraphum *Lucia , l. Titia , ff. de leg. 2.* ſic de Accurſio loquitur honeſtiſſime : *At illud tamen pernegatur in §. Lucia , ubi Accurſius noſter , quem ego , & Latinis , & Græcis omnibus Interpretibus Juris facile antepono , hujus rei explicandæ gratia tres opiniones adfert , ex*

quibus

Source : BIU Cujas

quibus poſtremam ipſe veriſſimam eſſe judico : verum explicatione indiget &c. Sed ne quid diſſimulem, quemadmodum Cujacius ſuam Accurſio laudem minime invidet, ita ejuſdem erroribus, quicunque forte irrepſerunt, minime parcit. Irrepſere autem, ut dicebam, vel quod ſæculo vixerit haud ſatis culto, neque ſatis litteris expolito; vel quod partium ſtudio abreptus, iis adhæſerit in legibus exponendis, a quibus recedere potius fuiſſet. Profecto Cujacius ſuam utiliter operam collocatam cenſuit in emendandis Accurſii Gloſſis : aperteque id profeſſus eſt in Commentario ſuper §. *ult. l.* 50. *ff. de Pecul. leg. lib.* 9. *Quæſt. Papinian.* Edit. Neap. *Tom. IV. col.*204. *lit.B.C.* ita inquiens : *Accurſius videtur ignoraſſe rationem, uti editus eſt ; ſed ſi emendate legas, veram rationem aſſequutus eſt : nec abſurdum eſt EMENDARE Gloſſam ; non minus Gloſſæ ſtudioſum eſſe decet, quam ipſius Textus.* Præterea *lib.*15.*cap.*32. *Obſervat. Tom. III.col.* 451. *lit. C.* Edit. Neap. in eamdem loquitur ſententiam : *Sed quia ego etiam EMENDANDIS Accurſii Gloſsis operam impendo, obſcura diligentia, inquies, quam tamen adhibuiſſe me ſemper, haudquaquam pœnitet; qui ex hoc ſtudio, & opera mea cœpi fructum ἐκ εὐδόκιμον* (ideſt, non inglorium) *atque ita pedetentim omnes reddidi EMENDATISSIMAS; & hac in re utinam me uteretur bene natus, beneque feriatus aliquando Typographus aliquis potius, quam mercenariis quibuſdam imperitiſsimis, quibus quandoque non uti ſane præſtaret, ſed nullis uti, quod non pauci hodie inſtituunt, audentque Typographi, rei litterariæ nihil exitioſius.* Quibus ex Cujacii verbis illud liquido conſtat, Typographos etiam ſuam habuiſſe partem, eamque non exiguam in erroribus, qui tribuuntur Accurſio. Quo fato & ipſa Cujacii opera identidem depravata conſpiciuntur in pene omnibus celebrioribus Editionibus, quæ uſque adhuc ad meas pervenerunt manus; & boni utinam avertant Superi eamdem a Promptuario meo calamitatem.

Sed ne longius abeam, illud hac ſuper re Lectorem moneo, me, interjectis paſſim quibuſdam annotatiunculis, indicaſſe Cujacii de Accurſianis Gloſſis judicium, ubicunque locus inciderit in Promptuario : & quale judicium illud fuerit, *nimirum honorificumne, an cenſorium*, opportune animadvertiſſe. Cujus meæ induſtriæ *ille erit fructus minime contemnendus, ut Gloſſæ auctoritas* tanto validius in agendis Cauſſis allegetur, quanto plus *illa acquirit roboris ex in*ſignis alicujus Juriſconſulti approbatione ; quod eſſe maximopere deſiderandum, Struvius, ut ſuperius memini, ex Arthuri ſententia confirmabat. At Cujacius ſuum de Gloſſa aliqua Accurſiana judicium non ſemper tunc profert, quum de lege, aut de legis Paragrapho differit ex profeſſo ; ſed aliquando id præſtat inter pertractandam obiter, aut legem, aut legis partem. Quare operæ pretium erit, Promptuario, meiſque interjectis annotatiunculis uti non ad unum, aut alterum Cujacii locum veſtigandum, ſed ad loca omnia inquirenda, & conferenda etiam inter ſe : illa vero potiſſimum, quæ non modo Cujacii interpretationem continent, ſed etiam Gloſſæ æſtimationem : quæque ideo annotatiunculæ indicio ſunt inſignita. Quocirca meo quidem judicio ille ſapiet, qui totam Cujacii mentem aliqua ſuper re conabitur plane aſſequi; aſſequetur vero non unius, aut alterius ſententiæ inſpectione, ſed complexione, & collatione plurium eodem ſpectantium ſententiarum : quarum aliquæ in Prioribus, aliæ in Poſthumis ejus Operibus reperiuntur: omniumque Promptuarii beneficio facillima erit veſtigatio, atque inventio. Pro veſtigationis interim, inventioniſque expedita praxi hæc erit tenenda ratio : nimirum ubicunque aliqua ex meis annotatiunculis alicui legi, aut Paragrapho adjungitur, eam diſtingui alicujus adjectione litterulæ, quæ tamen litterula illi reſpondet, quam videre eſt in margine Textus juxta Gloſſam Accurſii a Cujacio emendatam in Commentario ejus legis, aut Paragraphi. Sit exemplum: *Accurſius emendatur in gloſſemate ſub litterula d.* Jam, quo ſpectet litterula *d.* habes ex dictis.

Et meæ quidem, quas modo commemoravi, annotatiunculæ, pro eo litterularum ordine ſunt diſpoſitæ, qui reperitur in Textuum Editione Veneta apud *Juntas*. Jam quid illis fiet, qui Editione utuntur fortaſſe Vulgata quidem, ſed alia ab ea, quæ per *Juntas* eſt accurata? Scio, Vulgatæ multa exſtare Exemplaria; eaque inſcribi pariter : *Corpus Juris gloſſatum* : ſed formæ eſſe amplioris, quam Veneta illa, litterulaſque habere aliter diſpoſitas. Itaque ne mea ulli deeſſet induſtria, utentibus aliis hiſce Editionibus, ceteriſque quibuſcunque hac ratio-

X.

Locus improbatæ, aut approbatæ Gloſſæ in editione Veneta apud *Juntas*, ſatis dignoſcitur per litterulas adjunctas Annotatiunculis. In uſum tamen aliarum ipſiuſmet Vul-

Source : BIU Cujas

Vulgatæ Editionum, ſuperadduntur in Indice univerſali verba ipſa gloſſatæ legis.

ratione conſului per Indicem generalem. Ibi ſub lege unaquaque Verba Textus appoſui, cui emendatio reſpondet, aut approbatio eorum, quæ ſive ab Accurſio, ſive ab alio Gloſſatore dicta, Cujacio placent aliquando, aliquando diſplicent. Quare qui hinc Promptuarium, inde legem in Indice collocatam præ oculis habeat; nil opus habet Promptuarii litterulis ad eo cito perveniendum, quo tendit. Cur itaque (rogabit aliquis) res eſt a me geſta per litterulas illas ſolas, cum aliter geri potuerit; nimirum per verborum adjectionem alicujus Legis, aut Paragraphi eo ipſo loco, quod commodius erat futurum? Ingenue candideque fateor, me id initio minime prævidiſſe. Ecquis tandem hominum ſtatim, primoque intuitu provideat omnia, præſertim, quum opus aliquod perficiendum aggreditur, molis non exiguæ, ac difficultatis propemodum immenſæ? cujuſmodi meam hanc eſſe Promptuarii lucubrationem, ii facile intelligunt, qui probe norunt, quam ſint fere infinita Cujacii dicta, quamve divulſa, ac diſperſa: quantoque labore ſit opus, ut infinita quævis rerum multitudo ad certa quædam redigatur capita, certiſque finibus comprehendatur. Sed qualiſcunque iſta fuerit incuria, emendabitur in altero Promptuarii libro, ſeu Tomo, complectente jura Codicis, Inſtitutionum, Novellarum Conſtitutionum, &c. ubi, meus quidem mos iſte ſervabitur, indicandi per litterulas Gloſſæ commendationem, aut improbationem; ſed, ne ſit ad Indicem, temporis cum aliquo detrimento, alicui divertendum, verba ipſa gloſſatæ Legis, aut Paragraphi adjungentur.

XI.
Utriuſque Indicationis, tum per ſolas litterulas, tum per adjuncta litterulis legum, ſeu Textus verba, praxis proponitur, & explicatur exemplis.

Interim vero, exemplis aliquod oſtendendum hic eſſe cenſeo: quo pacto uſui eſſe Lectori debeant, tum indicatio Gloſſæ per litterulas in Promptuario, tum indicatio legis per ipſius verba in Indice univerſali. Exempla autem ſint iſta. In Promptuario pag. 597. col. 3. ſub *l. Obligationum fere*, Accurſii gloſſa a Cujacio laudata, denotatur his verbis: *Accurſius commendatur in Gloſſemate ſub litterula* o. In Indice vero, *pag.* 111. *col.* 4. ipſi illi legi, voces iſtæ ſubjiciuntur: *Vid. Accurſium in verb.* Fere. Jam quum verbum iſtud *Fere*, idem ſit in omnibus Vulgatæ Editionibus, nihil intereſt quod in editione Veneta apud *Juntas*, præcedentem habeat litterulam o. *in aliis non hanc, ſed aliam.* Rurſum. In Promptuariuo, *ſub §. 1.* ſignanterque *ſub §. Placet etiam* ejuſd. leg. *col.* 1. *pag.* 598. *Gloſſa emendatur in gloſſemate ſub litterula* a. In Indice autem *pag.* 3. *col.* 4. poſt binas ductas lineolas innuitur verbum *deberi*: quod eſt pariter factum in Notis aliis duabus ſub aliis ejuſdem legis paragraphis. Atque hæc dicta ſufficiant, ut exemplo eſſe poſſint uſuris Promptuarii Tomo primo, Notiſque in eo adhibitis.

XII.
Ut Promptuarii utilitas æque ad Florentinam, atque ad Vulgatam Pandectarum Editionem extendatur; proviſum eſt nova quadam Indicis conſtructione, in quo ex Alphabeti ordine Tituli, legeſque omnes ſunt diſpoſiti. Cauſæ afferuntur, ob quas recedere neceſſe fuit ab Indicatione, tum ea, quæ Florentinæ, tum ea, quæ proprie eſt Vulgatæ.

Dicendum nunc ordine de univerſali indice Titulorum, legumque omnium, quotquot exſtant in quinquaginta Pandectarum libris. Et ſane ejus Indicis diſpoſitionem, ſtructuramque plane noſcere oportet, ut ejus ductu deveniri ſtatim poſſit ad eum Promptuarii locum, ubi lex notatur, aut ſtudioſe a Cujacio tractata, aut leviter delibata. Itaque in Indice diſponendo recedendum mihi eſſe cenſui ab ordine, quem Editiones omnes tum Vulgatæ, tum Florentinæ lectionis hactenus (quod ipſe ſciam) tenuerunt. Vulgata quidem Titulorum, legumque omnium Indicem habet tripartitum, reſpondentem nimirum tribus Voluminibus, quæ Digeſtum Vetus, Infortiatum, ac Novum complectuntur. Florentina vero continenti, perpetuaque ſerie omnia, & ſingula indicat, contenta in Pandectis ad librum uſque quinquageſimum: quam minime interciſam methodum & Gothofredus tenuit, & ipſemet (quod ſuperius indicavi) ejus veſtigiis inhæſi. Sed ea partitio Indicis in Vulgata hoc habet incommodi, quod veſtiganti non ſtatim occurrat Titulus, aut lex, quam forte in uno ex tribus voluminibus inquirit, cum ſit in alio: idque iis non raro accidit, qui in jure pervolutando parum, aut mediocriter ſunt verſati. Pariter continuatio Indicis in Florentina ſuo non caret incommodo inde profecto, quod ſimile legum plurimarum, nunc ſub uno, nunc etiam ſub diverſis Titulis, initium facile in errorem inducit, unamque inquirenti legem aliam obtrudit. Hinc ſatius duxi, novam quamdam inire viam: nimirum deſcribere Titulos omnes Pandectarum ex Alphabeti ordine, eorum numerum, numerumque libri, ad quem pertinet, indicare: addere volumen Vulgatæ editionis, in quo continetur: denique eodem Alphabeti ordine ſub unoquoque Titulo leges omnes eo ſpectantes diſponere. Ita nemini neceſſe erit, aut per Vulgatæ Volumina, aut per Florentinæ Titulos diu vagari,

Source : BIU Cujas

vagari, quasi in incertum. Quamquam, & alia mihi causa fuit, cur novum hunc ordinem excogitarem. Erant siquidem omnino conciliandæ variæ illæ lectiones, per quas Tituli, & leges aliter in Vulgata, aliter in Florentina sæpissime offeruntur. Hoc videre est ipso in Indice, in quo diverso exhibetur charactere Titulus Florentinæ, & varia etiam lectio Titulorum quorumdam, quibus in asserendis Cujacius quandoque recedit ab ipsamet Florentina lectione. Diverso item Charactere exhibentur leges Florentinæ lectionis: & si quando aliter incipiunt, quam in Vulgata, id ipsum animadvertitur: imo Vulgatæ legibus quod ad verborum initia a Florentina variantibus asteriscus (*) apponitur, indicium diversitatis. Simili demum signo indicatum est, quandocunque, quæ præcipua lex est in Florentina, Paragraphus est, seu membrum legis in Vulgata, aut contra. Atque hujus sane Concordantiæ inter Titulos, ac leges, ceteroqui admodum necessariæ, nihil omnino erat, neque in Triplici Vulgatæ, neque unito in Indice Florentinæ: nihil etiam, quo discerni possent legum initia, numerique respondere inter se utriusque Editionis. Ex quo magnæ interdum inter Causidicos rixæ oriuntur, hoc affirmante, legem aliquam exsistere, illo mordicus negante: quod non facerent, si aut una ambo uterentur Editione, aut unam cum altera editionem conciliarent, ut conciliare jam facile poterunt, quicunque labore hoc meo uti volent; labore hoc, inquam, meo, quem ideo libentius suscepi, ut Juris studiosos ab hisce, aliisque hujus generis ambiguitatibus extricarem. Quod si citatio per numeros minus commoda est legibus reperiendis sub Titulo Indicis, in quo leges illæ citantur per verba, numerumque habent post se respondentem Vulgatæ pariter, ac Florentinæ; huic incommodo facile occurri poterit, adeundo scilicet Titulum ipsiusmet Indicis, sub quo notatur volumen Vulgatæ, deinde liber, ac numerus Tituli, tum *pag.*..... & *col.*.....ubi unaquæque lex suam habet sedem in Promptuario: atque ubi modus ille adhibetur citandi primum per numeros, deinde per verba leges omnes ad eundem Titulum pertinentes, inter quas expeditissime illa deprehendi poterit, quam invenire opus est, non ex Vulgata *modo, sed ex Florentina etiam Pandectarum* editione.

XIII. Cum insignis quædam, & præcipua sit variatio inter Florentinam, & Vulgatam in postremo Titulo Pandectarum, qui est de *Regulis Juris*; ut quæ eo spectant, facile in Promptuario reperiri possint; in Indice ejus loci opportune ad numerum adjungitur ejus legis initium, & notatur varietas; & quæ in Promptuario omissa sunt, in eodem Indice supplentur.

Atque hæc quidem dicta procedunt universe. Verum, ut supra innuebam, uno in illo Titulo de *Regulis juris*, qui postremus est *in libris Pandectarum*, insignis quædam, atque extraordinaria diversitas est Vulgatæ a Florentina, indicata etiam in Indice *pag.* XLVII. per notam adjectam. Quare difficile esset in Promptuario reperire aliquam ex legibus eum ad Titulum pertinentibus ex lectione potissimum Florentina; si dignoscenda res esset tantummodo numeri inspectione. Ideoque opportunum duxi, & id ipsum ibi animadvertere, & duplici in columna numeros utriusque editionis apponere legibus ejus Tituli bene multis: addito legum initio, ipsarumque varietate: quo fiet, ut quum forte lex aliqua ejus Tituli per numerum allegetur, & quidem ex utravis Editione; promtum unicuique sit, manuductione initialis verbi adjuncti ad numerum, consulere Indicem, ab eoque discere Promptuarii locum ei legi attributum. Est etiam, unde oblivioni provideatur, si forte alicui ex memoria exciderit Titulus legis, cujus ceteroqui initium memor teneat. Huic certe neque Promptuarium, nec dispositus a me Index prodesse quidquam poterit ad legem illam inveniendam: quum Promptuarii pariter, atque Indicis usus a Titulorum cognitione pendeat. At si adeat, vel triplicem Indicem Textuum in Vulgata, vel continentem Indicem Pandectarum ex Gothofredi lectione, deprehenso ibi Titulo, jam redibit utiliter ad novum, quem ipse dispposui, Indicem: a quo statim discet, quo lex illa in loco sit invenienda. Idem etiam supplebit ea, quæ in Promptuario desiderantur. Nam quod humanæ imbecillitatis est, præterita aliquando est aliqua Cujacii interpretatio ad leges pertinens, aut aliqua ejusdem sive commendatio, sive animadversio in glossemata Accursii: neque iis suus, ut debuerat, assignatus est locus in Promptuario. Sed quod hic peccatum, in Indice est correctum: ubi sub lege illa ipsa, ea sunt præstita, quæ alibi præstitisse oportuerat. En rei exemplum. In Indice *pag.* 1. *col.* 2. sub lege *quod in diem* 12. *ff. de Acceptilat.* sic habes: Omiss. *IV.* 745 *B. lib.* 28. *sub l.*77. *de Regul. jur.* (38). Cujus loci numerum IV. refer ad Tom. IV. Edit. Neap. alterum numerum Arabicum 745. ad columnam; & litteram B. ad situm legis ibi obiter delibatæ a Cujacio in Edit. Neapol. Duo illi præterea numeri librum indicantes, idest 28. sub *l.*

Source : BIU Cujas

77. *de Reg. jur.* & (38) ſunt appoſiti in communem lectorum gratiam, communemque utilitatem: quum eorum aliqui gemina Cujacii operum Editione utantur, aliqui alia ex externarum numero Editionum, quarum celeberrimas habui ipſemet in manibus, ac diligenter inſpexi. Et ſane ad Editionum varietatem, dignitatemque illud refertur, quod in una ex annotatiunculis ſuperpoſitis primo Pandectarum libro *pag.* 1. Promptuarii ſcripſi in hæc verba: *Alter Arabicus* (ſubaudi numerus) & *inter defluentes lineas ſub verb. Var.* ideſt, *Variarum oppoſitis locis, ſive citationibus adſcriptus, ad Tabulam aliarum celebriorum Editionum Promptuario præpoſitam refertur: de cujus Tabulæ uſu Præfatio conſulatur.* Interim, cum huc loci Præfatio devenerit, aperiendus jam eſt ejus Tabulæ uſus: iſque ſtatim Lectori innoteſcet, tantum ſi, dum hac de re dicere aggredior, ipſe interim aliquam ex Promptuarii paginis aut ſubjiciat oculis, aut animo, & cogitatione recolat.

XIV.
Indici Titulorum, ac legum Pandectarum ſuccedit Tabula Chronologica, oſtendens tempora, quibus Cujacii Opera, aut elucubrata ſunt, aut ſolemnius in lucem edita. Ejus Tabulæ ſtructura deſcribitur, & commendatur utilitas, inde præſertim, quod ipſius Ope, Promptuarium nulli non editioni, ſuo modo, aptari poſſit.

Ut Promptuarii uſus non uni tantum, aut alteri, ſed omnibus, quotquot ſunt, Cujacii Editionibus eſſet accommodatus; utque tempora agnoſcerentur, quibus aut ab ipſo elaborati, aut editi in lucem ſunt Tractatus omnes, Commentariique legum, vel quæ in Codice, vel quæ in aliis Jurium libris comprehenſæ, partitæque, ac diſtributæ paſſim ſunt in ejus Operibus, tum Prioribus, quam Poſthumis, animum appuli ad diſponendam Tabulam Chronologicam omnibus his cognoſcendis, conciliandiſque perutilem; eamque viſum eſt in primo hoc Tomo ad Indicem univerſalem Titulorum, legumque adjungere; præparata interim ejuſdem formæ, ſtructuræque alia ad Tomum alterum, adjungenda. Itaque, primum deſcripſi univerſos, quotquot ſunt, egregii Viri Tractatus, ſinguloſque ſuis circumſcripſi numeris. Sunt autem Tractatus illi omnino 85. qui tamen ad 87. excurrent, ipſis ſi addantur Emundi Merillii Tractatus, qui exſtant in gemina Neapolitana Editione, altera anni 1722. altera anni 1757. Sic deſcriptos, numeriſque ſuis definitos Tractatus alia etiam ratione ſecrevi: appoſita nimirum ſua ſingulis Epigraphe, temporeque indicato, quo, vel ſuo ſunt ab Auctore in lucem editi, vel ab aliis poſt ejus obitum. Ad *hæc, cura acceſſit alia, & ipſa neceſſaria, deſcribendi celeberrimas ejus Operum editiones, initio ducto a Pariſienſi anni 1584.* Auctore ipſo, *dum vivebat, accurante;* ceteriſque ſubinde additis ad poſtremam uſque Neapolitanam anni 1757. Venetamque anni 1758. cujus tamen duo adhuc tantum, iique Priorum Operum exſtant Tomi. Qua in ſerie Editionum videre eſt annotatum ſub ſingulis peculiarem Tomum, certaſque paginas, quæ veluti confinia ſunt ei Tractatui adſignata. Tractatus vero Cujacii omnes plerumque inſigniuntur numero Librorum, Titulorum, Capitulorum, &c. quorum indicia, vel cuilibet Tomo præponuntur, cujuſcumque ille ſit Editionis, vel ipſimet Operi inſeruntur. Hinc facillima fuiſſet ratio comperiendi locum legis alicujus a Cujacio illuſtratæ; facillima, inquam, ratio fuiſſet, ſi ſola verſaretur in omnium manibus Editio Neapolitana: nam, ſatis, ſuperque fuiſſet indicare tantummodo Tomum, Columnam, ſeu Paginam, litteramque ei legi præfixam. At conſulendum aliter fuit utentibus aliqua ex Editionibus exteris, quibus nec numerus Tomorum, nec paginarum ſeries Neapolitanæ reſpondet. Et conſultum oppido fuit, addendo, ut factum eſt in Promptuario, præter Tomum, paginamque editionis Neapolitanæ, indicationem etiam Libri, Tituli, Capituli, &c. aliuſve inſcriptionis ab Auctore adhibitæ, neque ab ullo Typographorum omiſſæ in ejus Operum pervulgatione. Quis enim in extera quavis Editione non inveniat ſtatim Cujacii Commentarium, quem forte expetit; tantum ſi ex Tabula Concordantiæ diſcat, quo ſit locatus in Tomo Editionis illius, quave in Tomi parte Cujacii Tractatus ille, ad quem Commentarius pertinet?

XV.
Praxis utendi Tabula Chronologica, & deducendi Promptuarium ad quamlibet Editionem exponitur per exempla locorum aliquorum, ex quibus capere licet aliorum conjecturam.

Placet rem in oculis ponere per exempla aliqua. In primo Tomo Editionis Neapolitanæ novem inter ceteros exſtant Cujacii Tractatus ad *Africanum*, comprehenſi inter paginam 1253., & pag. 1528. In horum Tractatu primo quatuor ſtudioſe illuſtrat leges; nimirum *L. cum falſum* 46. *ff. de Adquir. hered.* Legem *ſi id quod* 10. *ff. Si quid in fraud. Patroni &c.* Legem *In mortis* 22. *ff. De mort. cauſ. donat.* & legem *Servis* 20. *ff. De manumiſſ. Teſtam.* Jam primæ harum inveniendæ in Neapolitana Editione ſufficeret indicatio hæc: *Tom.* 1. *col.* 1253. *lit.* A*. Secundæ, hæc: *Tom.* 1. *col.* 1257. E*. Tertiæ, hæc: *Tom.* 1. *col.* 1259. C*. Quartæ demum: *Tom.* 1. *col.* 1260. B*; Sed quod attinet ad exteras alias

editio-

Source : BIU Cujas

editiones: quum ex numero (30) Tabulæ Concordantiæ colligatur, in quo uniuſcujuſque illarum Tomo, quibuſque ſint locati in paginis illi novem ad Africanum Tractatus, via inde aperitur ad inveniendam legem a Cujacio illuſtratam: Ideoque in Promptuario, ejus legis inveniendæ gratia, ſic habetur: *Tom.* 1. *col.* 1253. *lit.* A* *Tract.* 1. (30). Ubi verba illa *Tract.* 1. ad Epigraphem referuntur ſuperpoſitam Tomis omnibus, ubicunque ſunt editi; numerus vero (30) duabus in Promptuario comprehenſus defluentibus lineolis manuducit ad deprehendendum ſub numero illo ipſo Tabulæ Concordantiæ Tomum, paginaſque, ſuam in quibus habent ſedem novem Tractatus ad Africanum. Rurſum. In Tomo III. Edit. Neapol. ſunt Cujacii Libri XXVIII. *Obſervat. & Emendat.* in leges varias, ac bene multas: atque huic Tractatui in Tabula Concordantiæ locus eſt datus ſub num. (35). Ex iis vero libris continent ſinguli Capita 40. uno dempto vigeſimo octavo duobus tantum Capitibus abſoluto. In editione quavis illorum numerus librorum ſumma in pagina eſt deſcriptus: capitum vero numeri tractatibus ipſis inſerti ſunt paſſim. Jam ex legibus, quas ibi alias quidem ex profeſſo, alias vero obiter Cujacius pertractat, duas ſeligo futuras Lectori exemplo. Prima ſit lex *Abeſſe*, *ff. Ex quibus cauſ. major. &c.* hanc Cujacius accurate interpretatur: proindeque ſic de ea in Promptuario: *Tom.III. col.* 355. *lit.* B* *lib.* 12. *cap.* 33. (35). Et cum ibidem non accurate pertractet, ſed leviter attingat legem ultimam, *ff. de Offic. Proconſul.* de hac fit mentio in Promptuario hunc in modum: *Tom. III. col.* 355. *lit. C. lib.* 12. *ſub cap.* 33. (35). Profecto qui ſcire deſiderat, quid Cujacius de utraque lege dixerit, quantumvis extera editione utatur, adeat numerum 35. Tabulæ Concordantiæ: ab ea per numerum 35. revocari ſe ſentiet ad Tomum, & paginas, ad quas pertinent libri 28. Obſervationum, atque Emendationum: & quum interim per Promptuarium innoteſcat numerus libri, & capitulorum, per quæ obſervationes diſtribuuntur: nihil jam deeſt, quominus tuto, ac cito deveniatur ad quæſitum locum Cujacianæ interpretationis. De reliquis liceat conjicere ex dictis. De Veneta Editione 1758. unum eſt quod moneam: nempe primum & alterum Tomos, qui adhuc prodierunt, ſuum habere jam locum in Tabula concordantiæ: ſpatium interim relictum eſſe ceteris octo, tunc, cum prodierint, locandis. Quod & de Editionibus aliis fieri poterit; tum de iis, quas ipſe adhuc minime inſpexi: tum de iis, quæ forte deinceps accurabuntur. Ne vero tota, atque integra Concordantiæ Tabula ſit percurrenda, cupienti reperire E.G. qua in parte alicujus Tomi cujuslibet Editionis aliquis ſitus ſit Cujacii Tractatus, vel Commentarius, puta in *Paulum*, *Scævolam*, *Papinianum*, *Modeſtinum*, &c. proviſum eſt Indice contexto per verba initialia omnium Cujacii Tractatuum, adjunctoque ad Tabulam ipſam, cujus numeros Tractatus ipſi reſpiciunt. Demum proderit Tabula iis, qui ſua minime Editione contenti, conſulere velint aliam, ſive ex Vetuſtioribus, ſive ex Recentioribus. Mihi certe ex inſpectione antiquiorum Editionum emendare licuit errores aliquot, quibus depravata eſt Editio Neapol. anni 1722. a me, ut alibi dixi, adhibita in Promptuarii normam: quamquam aliæ etiam Editiones ſuis non careant errorum maculis. Quos tamen errores, ſi quis cupiat emendatos inſpicere, adire poterit Catalogum ipſorum ſeorſim a me confectum, reſpondentem ſingulis Tomis Edition. Neapol. anni 1722., locandumque in calce Tom. II. hujus Promptuarii.

XVI. Errores ipſi quomodo utiliter emendati, emendarique poſſunt in omnibus Editionibus Operum Cujacii; & ii quoque, qui fortaſſe in Promptuario irrepſerunt.

Sed de erroribus, qui inficiunt Editionem Neap. 1722. dicendum eſt aliquid. Sane id evenit, quod Cujacius praeſenſerat, prædixeratque in Lib. XV. cap. 32. ſuarum obſervationum; quodque vehementer timeo, ne Promptuario huic meo eveniat. Nam multis in locis Editio illa peccat; quæ loca emendanda fuerunt mihi, & quidem neceſſario emendanda. Secus quæ fuiſſet utilitas in accurate recenſendis ſub qualibet lege, aut paragrapho locis, in quibus ea de re Cujacius differit, nunc ſtudioſe, nunc veluti per tranſitum: quæ, inquam, fuiſſet utilitas, ſi lex illa ea in Editione perſtaret, aut mendoſa, aut depravata, aut ex ea Juris parte prolata, in qua nunquam fuerit? Catalogum itaque errorum contexere, mihi omnino opus fuit: ſuoſque in ſingulis Tomis errores deſignare. Quod & diligenter feci, & factum eſſe a me judicavi per appoſitum hoc ſignum (†) quod ubicunque in Promptuario Lectori occurrerit, ipſum edocebit,

Source : BIU Cujas

locum illum vitio aliquo laborare. Jam vero quidquid erratum ſit in vetuſtioribus Editionibus, emendari poterit per Tabulam Concordantiæ. Quidquid erratum in Edition. Neap. anni 1757. vel commune eſt alteri Editioni anni 1722. & quum hæc ſit a me emendata, ejuſdem & illa gaudet emendationis beneficio: vel eſt ſui proprium, & emendari poterit, aut eam redigendo ad Editionem anni 1722. aut ad ejus legis, ſive paragraphi uſurpatam in Promptuario lectionem. At quid de erroribus, qui in ipſo Promptuario fortaſſe irrepſerunt ob commune illud librorum omnium infortunium? Hi fortaſſe verſantur circa numeros Arabicos denotantes paginas, aut columnas Tomorum Cujacii; verum cum numeri illi adjunctam habeant deſignationem Libri, Tituli, aut Capituli ejus Tractatus, de quo agitur; poterit hac via deprehendi quidquid eſt minus recte prolatum in numeris enunciatis.

XVII. Quædam Promptuarii Notæ referuntur ad trium Illuſtrium Virorum totidem Opuſcula, nimirum *Alexandri Scot*, *Oſii Aurelii*, & *Dominici Gentilis*.

Occurrent etiam Lectori meæ aliquot diverſi generis Notæ, E. G. in hunc modum: *Vid. Promptuarium Tom. II. part. 2. col.... litt.....* quod Notarum genus, quid ſibi velit, & quo ſpectet, exponam hic opportune. Equidem per Notas illas Lectorem dirigo ad tria Opuſcula ibi impreſſa: quibus totidem egregii Cujacii defenſores aliqua ab eo prolata ab Æmulorum accuſationibus ſtudioſiſſime vindicarunt. Primum ex iis Opuſculis Auctorem habet Alexandrum Scot, titulumque hunc præfert: *Tractatus de Controverſis Jacobi Cujacii ſententiis & ſingularibus contra Johannem Bodinum, & alios ejus virtutis Æmulos*. Atque hic ille eſt, qui Editionem Operum Cujacii Lugdunenſem anni 1614. diligentiſſime curavit pro ſua in Auctorem, e cujus Schola prodierat, benevolentia. Neque interim alibi, quam in nuper dicta Editione, ejus Tractatus exemplum adhuc mihi contigit reperire: qui ceteroqui tot pervolutavi Editiones, quot in Tabula Concordantiæ deſcripſi. Alterum Opuſculum fuit ab Oſio Aurelio elucubratum, atque hoc donatum Titulo: *Diſpunctor ad Merillium in libris Digeſtorum*. Quocirca non eſt Eruditis ignotum, fuiſſe Cujacium ab Emundo Merillio variatione taxatum pluribus in locis. Et Neapolitanis quidem *Editoribus anni 1722.* viſum fuit Merillii Tractatum *inſerere Tom. III. col. 805.* eumque *ſic inſcribere*: *Emundi Merillii ex Cujacio lib. 1. ſeu Variantium Interpretationum Cujacii ex libris Digeſtorum*. Sed in ea Editione minime eſt adjuncta Oſii Aurelii celeberrimi Anteceſſoris in Cujacii cauſa ſuſcepta defenſio; quam mihi non difficile fuit reperire in Theſauro Everardi Ottonis. Ideoque non immerito operum Cujacii Editores Veneti ann. 1758. id negligentiæ vitio tribuerunt Neapolitanis editoribus in ſuæ Editionis Præfatione. Quare tum ut hanc a me ipſo negligentiæ notam averterem: tum maxime, quod futurum erat valde opportunum utentibus Promptuario, poſſe Cujacii mentem, non ex uno, aut altero, ſed ex multis collatis undique locis plane cognoſcere: minime paſſus ſum Oſii Tractatum in altera Promptuarii parte deſiderari. Tertii Opuſcoli Auctor eſt Dominicus Gentilis, doctiſſimus & ipſe in hac Neapolitana Academia Anteceſſor: cujus inſtitutum ſatis liquido conſtat ex libri Titulo: *Dominici Gentilis J. C. Vindiciarum ſecundum Cujacium adverſus Merillium*. Et ſane importune admodum factum eſt, quod qui primam illi Operi manum adhibuerat, ſupremam imponere ſit vetitus, communi fato interceptus. Jam, tria iſthæc Opuſcola, quamquam ea deſtinaveram in partem ſecundam Tomi II. excudenda tamen curavi, ante quam Tom. I. Promptuarii prælo ſubjici inciperet: ut nimirum ipſe uti poſſem trium horum illuſtrium Virorum ſententiis, earumque meminiſſe, quum leges illas a Cujacio illuſtratas referrem, quas ipſe aut variaſſe, aut perperam intellexiſſe viſus eſt Æmulis ſuis. Et induſtriæ hujus meæ ille etiam fructus erit, quod jam nihil ad Cujacium pertinens videri poterit omiſſum Neapoli: quum tamen Editores Veneti, qui de Oſio vulgando gloriantur, nihil in Præfatione Editionis inchoatæ anno 1758. aut de Alexandro Scot, aut de Dominico Gentili polliceantur.

XVIII. Non omnia, quæ in his Opuſculis, quemadmodum neque omnia, quæ in Merillii Tractatu continentur, ſunt per Notas obſervata,

Iis vero Opuſculis, quemadmodum Merillii Tractatu, uſus quidem ſum, ubicunque locus, atque occaſio ſeſe obtulit; ſed minime neceſſarium eſſe ſum arbitratus, leges omnino omnes innuere, de quibus in illis fit mentio; ſatiſque eſſe duxi præcipuas quaſdam indicare, ſuper quibus, contra Cujacium a Merillio, pro Cujacio a tribus illis propugnatoribus eſt accerrime dimicatum. Contra omnes omnino leges retuli, quæ vel obiter citatæ, vel ex profeſſo illuſtratæ fuerunt

runt ab utroque Anteceſſore *Roberto* nempe, & a *Cujacio* ſub *Mercatoris* nomine. Leges enim illæ, ſuper quarum interpretatione illi inter ſe docte, ingenioſeque rixantur, digniſſimæ æque ſunt omnes, quarum cognitio penitus teneatur, meliuſque ex ipſa tantorum Virorum diſceptatione comparetur. Quod ſi denique abſtinui a referendis legibus obiter citatis ab ipſomet Cujacio ſub legibus præcipuis a ſe illuſtratis in Notis ad quinquaginta libros Digeſtorum, ad duodecim libros Codicis, Novellas Conſtitutiones, conſuetudineſque Feudales, quas videre eſt in Tabula Concordantiæ a num. *66.* ad *69.* Si, inquam, a minus præcipuis iis legibus referendis abſtinui, illud in cauſa fuit, quod ipſemet Cujacius dirigat lectorem ad loca alia, in quibus leges hujuſmodi copioſius, accuratiuſque diſcuſſæ reperiuntur. Exceptis iis, quas curſim, raptimque attingit ſub hujuſmodi Notarum Rubricis, quæ omnes in Promptuario allatæ ſunt.

ta, ſed ſolum præcipua, & ſcitu magis digna. Contra vero, nihil omiſſum, quantumvis vel a Cujacio, vel a Roberto ſtudioſe, aut obiter dictum ſuper legibus in eorum controverſiis adductis.

XIX.
Promptuarii elaborandi difficultas, elaborati utilitas exponitur. Deinde æqua, & honorifica fit mentio eorum, qui in id Operis aliquid de ſuo labore, diligentiaque contulerunt.

Hactenus de Promptuarii ſtructura. Quantum vero laboris, moleſtiæque ex hujuſmodi lucubratione hauſerim, experiri quidem potui, verbis tamen declarare ſi velim, vix tandem poſſem. Annos non unum, & alterum, ſed duodecim ipſos inſumpſi Operi perficiendo: cujus difficultatem intelligent ii tantum, qui fortaſſe ſimile quid, ſi Superis placet, voluerint experiri. Ac ne tædio vincerer, animiſque conciderem, una fecit utilitas ſuſcepti laboris: utilitas, inquam, tum mei ipſius, tum aliorum: mea quidem, quod experiebar quotidie, quantum mihi ad Cauſas in hoc Neapolitano Foro rite defendendas adjumentum afferret Cujacii ex aſſidua ejus Operum lectione comparata cognitio: aliorum vero, quod facile intelligerem, multos fore, qui hunc ipſum ex Cujacii Operibus mei Promptuarii Ope caperent fructum. Et quamquam primus nunc Promptuarii Tomus in lucem prodeat: alter tamen in promptu eſt: ſtatimque poſt hunc prælo ſubjicietur; qui, ne qua pars Juris a Cujacio tractati deſideretur, exhibebit ea, quæ in Codice, Inſtitutionibus, Novellis, Feudis, Decretalibuſque Epiſtolis Gregorii IX. continentur. Quod ſi a communi utilitate laudandus hic meus labor eſt: laudem iſtam libentiſſime cum iis communico, qui meæ fuerunt *diligentiæ adminiſtri, laboriſque participes*. *Fuere autem hi* egregii quidem ingenii, aureæ indolis, magnæque ſpei Juvenes, nempe *Philippus de Caro quond. Thomæ, Paſchalis Roſſi, Franciſcus Pirò, Lucius Capozzutus, Vincentius Celentanus, Joſeph de Leo: Nuncius Cocco: Antonius Sarnelli: Joſeph Petruzzelli; & Bernardinus Capozzutus*. Quos omnes, quemadmodum quum apud me Fori tirocinium ponerent, paterna ſum benevolentia complexus; ita hoc loco, magna cum laude nominare & poſſum, & debeo. Imo pleriſque vehementer gratulor, quod Forenſem vitam, quam meo ductu fuerant auſpicati, feliciter jam, honeſtiſſimeque profitentur: & palam oſtendunt, quantum ex diuturna, aſſiduaque Cujacii, & Textuum pervolutatione in re legali profecerunt.

Faciam hic Præfationi finem; magnamque rurſum Promptuarii utilitatem paucis complectar. Nihil eſt hominum generi optandum magis, quam ut lites, vel nullæ ſint, vel, ſi quas eſſe contingat, ex uno potius legum ſanctiſſimarum Oraculo, quam ex aliquot Forenſium Auctorum ſenſu, atque opinione dirimantur. Etenim Juſtitia, & Æquitas, geminæ illæ Judiciorum normæ, ſunt ſitæ in legibus, veluti ſuis in fontibus: in Forenſium vero libris reperiuntur quidem, ſed veluti derivatæ a fontibus aquæ, ac deductæ in lacus plerumque limoſos. Profecto, recte ille ajebat, cujus Cujacius noſter meminit in Oratione *de modo docendi juris*, habita in Schola Bituricenſi, inſertaque Editioni Neap. anni 1722. & 1757. Tom. VIII. col. 1172.

Multum, crede mihi, refert, a Fonte bibatur,
Quæ fluit, an pigro, quæ latet unda, lacu.

Atque hinc Principes optimi, maximeque in Rempublicam providi legum obſervantiam ſuis in ditionibus curant ſtudioſiſſime: curavit certe apud nos CAROLUS REX olim noſter, nunc Auguſtiſſimus Hiſpaniarum Monarcha: curat nunc FERDINANDUS REX auſpicatiſſimus per paternarum omnium exempla Virtutum ad gloriæ & felicitatis apicem pulchre, matureque adnitens. Cujus, dum ad regimen ineundum fauſte adoleſcit, mentem interim, voluntatemque nobis

ſigni-

Source : BIU Cujas

ſignificant SAPIENTISSIMI, PRÆCLARISSIMIQUE VIRI, Supremæ Regni adminiſtrationi, ex providentiſſimi Parentis deſignatione adhibiti. Proindeque in Regiis omnibus Reſcriptis ad Magiſtratus directis nulla ſolemnior, atque uſitatior adhibetur formula, quam æquiſſima illa, *ut ſecundum leges agatur*. Et agitur ita ſane, quod ſine aſſentatione pronuncio, tum ab iis, qui jus dicunt, tum ab iis, qui jus tuentur. Verum auguror poſthac commodius, faciliuſque actum iri: nam ad leges per Cujacium, ad Cujacium ipſum per Promptuarium ejus Operum facilis jam aditus, patenſque via omnibus facta eſt.

IN-

Source : BIU Cujas

BERNARDUS AMBROSIUS

DOMINICO ALBANENSI

S.



Æpenumero animadverti, Dominice, eum fuiſſe Civitatis noſtræ veluti morem, ut rebus potius, quam verbis inclareſceret; exteros contra lingua magis, quam factis ſtrenuos eſſe. Ut enim agendo nulli cedimus, ita eorum, quæ agimus, famam inſuper habemus; cum aliis ferme omnibus placeat, res ſuas verbis, ſcriptoque extollere, earumque notitiam quam longiſſime tranſmittere. Hæc ne aliquis vel audacter, vel invidioſe a me dicta accipiat, primo illud obſervari velim, nulli vitio vertendum eſſe famæ amorem; immo ſtatuendum, minus a reprehenſione abeſſe eos, qui famæ percupidos ſe oſtendunt, quam eos, qui ea cupiditate non uſque adeo flagrant. Deinde, ſi ad calculos ſedeamus, non arduum erit conficere, tum ipſam Civitatem noſtram, tum ejus partes ſive urbicas, ſive civiles, celebritate ſua longe majores eſſe. De tribus enim potiſſimum inter Philopatridas ejuſmodi concertationes fervere ſolent, de Urbium ſcilicet Antiquitate, & Incolarum tum Nobilitate, tum Ingenio ad optima quæque agenda a natura facto. At antiquitatem noſtræ Urbis quod attinet, jam noſtratum doctiſſimi planum fecere, ejus originem ipſa Græcorum tempora longo poſt ſe intervallo relinquere, & a Phœnicibus eſſe repetendam. Quæ ſententia innumeris argumentis ſuffulta, ea potiſſimum ratione mihi probatur, quæ ex ipſa hominum naturæ ſimplicitate ſponte ſua prodit. Et ſaniores ſiquidem Philoſophorum, & ipſa experientia docent, mortales, in quacunque re ſuſcipienda, vel neceſſitate, vel utilitate, vel demum voluptate duci. Regionem autem noſtram undequaque conſideranti illico apparebit, eam iis prærogativis a Natura donatam, ac præcipuam habitam fuiſſe, ut vix ulla extiterit alia, quæ *tot tantiſque efficaciſſimis illiciis homines ad ſe attrahere poſſet*. Priſcos ergo illos peregrinatores *neceſſitate huc impulſos, & , quot non alibi certe reperire potuiſſent*, utilitatis, voluptatiſque argumentis *hic detentos fuiſſe*, vero eſt quam *ſimillimum*. *Accedit* quod Parthenopes vox in ipſa Phoenicum lingua ſatis genuinam invenit originationem, denotatque Pulchram Regionem; ut non cavillari videatur qui putet, eos & hoc amœniſſimum ſolum ſibi ſelegiſſe, & cauſſam ejus legitimæ optionis ipſo nomine teſtatam voluiſſe. Quod ſi moroſus aliquis, hæc ut Heroicis temporibus congruentia, ita fabulis veluti adfinia rejiciet; negare is non poterit, noſtram Parthenopem unam ex Homericis Sirenibus ſemper fuiſſe habitam. Hæc noſtræ Urbis primordia is arrogantiæ accuſabit, qui neſciat, quot aliarum Urbium origines aperte fabuloſae nunc etiam nobis obtrudantur, & quam immodice, immodeſteque iis glorientur earum auctores. Jam vero ut de ejus Incolarum nobilitate dicamus, quæ altera eſſe ſolet Philopatridum exercitatio, non ſemel indignatus ſum noſtrorum Scriptorum nonnullis, qui exoticas, &, ſi poſſent, etiam tranſmarinas familiarum origines tantopere amarunt. Innato ſcilicet genti vitio, ut aliena noſtris anteferamus. Si enim claræ Civitates claras familias & protuliſſe, & aliunde antiquitus advocaſſe dicendæ ſunt, atrocem ſane injuriam immeritæ Patriæ inferunt, qui ejus claritudinem ipſi Reip. Romanæ æqualem, aliena & adſcititia luce infuſcare potius, quam illuſtrare pergunt. An non ampliſſimas familias producere potuit noſtra Neapolis, quæ conſtantiſſimæ fidei, ſecundo potiſſimum Punico bello ſpectatæ, inſigne præmium tulit, ut Romanis rerum dominis amica magis, quam fœderata eſſet? Quam optabili vero libertatis ſpecie ſub illo fœdere gauderet, patuit rogatione Legis Juliæ. Cum enim ea Lege toti Italiæ Romana Civitas daretur, dum certatim alii ad tantum beneficium concurrerent, Majoribus tamen noſtris tanti viſum non eſt, ut cum eo ſtatum ſuum commutarent. Egregia profecto vel tunc temporis Neapolitanorum Civitas, de qua deduci, ne Romana quidem Civitate ipſis oblata, potuerunt. Propriis Legibus, propriiſque Magiſtratibus utebantur, nec aliud Romanis debebant, niſi certas ex fœdere naves. Imo non pauci opinantur, ad eorum fidelitatem remunerandam hoc tributum ipſis remiſſum a Gente imperioſiſſimi dominatus, quæ illud deberi potius ſibi, quam ſolvi cupiebat. Nec deinde inter Latinas Colonias ſive ſub Veſpaſiano, ſive ſub Tito deſcripta, aut Senatus Populique nomina, aut quidquam aliud, quod priſtinam ejus libertatem delibaret, amiſit. Ejus vero magnitudinis & celebritatis documenta ſuperſunt eximia. Nam ſuſpicacem infenſumque Cæſarem experta eſt, ea de cauſa, quod cum Magnus Pompejus in gravem morbum hic incidiſſet, magnificis, totique Italiæ exemplo futuris ſacrificiis pro ejus ſalute litaverit. Auguſtus athleticis ludis hic celebratis intereſſe in deliciis habuit.

Source : BIU Cujas

Pro Capreis Aenariam insulam cum Republica Neapolitanorum æquo jure permutavit. Nero in nostro Theatro musicos egit ludos. Hadrianus Neapolitani Demarchi (qui noster tunc erat Magistratus) nomen non recusavit . Quot autem prætoria , quot villas hic Romani Patricii exstruxerint , nemo ignorare debet . Quantum vero apud nos ferverent liberalium artium studia , sine quibus nulla Civitas magna esse potest , iidem Romani testati sunt , qui liberos suos huc potius , quam Athenas instituendos erudiendosque miserunt . Ita se habuit nostra Civitas florentibus Republica , & Imperio Romanorum . Tantum vero abest , ut , discissa Latina Majestate , secuta deinde barbaries ipsi exitium attulerit , ut ex hac ipsa rerum immutatione gravissimum peti possit argumentum singularis nobilitatis ejus familiarum . Constat quippe , nostram Neapolim immunem egisse ab iis Barbaris , qui toties Romam ferro flammaque vastarunt . Quo, amabo te , dum eorum patria incendiis direptionibusque flagrabat , præcipuos Romanos Cives evasisse , & parata sussugia quæsivisse dicemus , nisi Neapolim , ad quam eos maris opportunitas , & secundum litus vocabant , quamque & villis ornaverant , & rusticationibus frequentabant ? Id tum res ipsa fateri videtur , tum manifesto probant perplura nobilium nostrarum familiarum jam extinctarum nomina , quæ quantum ab omni absunt peregrinitate , tantum habent Urbanitatis , & alibi , quam Romæ , nasci non potuerunt . Ut ex Curia Capuana , Ahalæ , Aquillii , Virginii , Proculi . Ex Curia Nilensi , Papirii , Pulvilli , Sulpicii . Ex Curia Montana, Anci , Bruti , Cæcinæ , Genutii , Mumiæ , Julii . Ex Curia Portus , Atratini , Albini , Capellæ , Cicurini , Bruti , Furii , Genutii , aliique apud Mazzellam in Descriptione Regni Neapolitani . Ita non modo ex Romæ dominatricis perpetua amicitia , sed ex ejus etiam ruinis nostra Civitas amplitudine & dignitate crevit . Nec mutata deinde Italiæ facies res nostras pervertit , aut turbavit . Gothis quippe regnantibus , Græcorum Imperatorum clientes potius, quam subditi nostros habuimus Duces . Nec Longobardorum tres in proximo Principes , Campanus , Salernitanus , Beneventanus nostram deterere libertatem potuerunt . Donec a Nortmannis Svevisque inchoatum , ab Andegavensibus constitutum in Italia nobilissimum Regnum nostram Urbem dignam Regibus fecit sedem , & ad eum evexit nunc rerum omnium apicem , ut nulli , quotquot extant , Regiarum Urbium secunda sit . Quod certe non affirmarem , nisi judicii mei obsides haberem ipsos Advenas , quorum ad *Nos quotidie confluentium cordatiores ajunt , nonnullas quidem Principes Urbes eorum spem fefelliſſe , nostram vero ipsis expectatione longe majorem omni ex parte esse visam . Ut illud unde discesseram , magis atque magis constare possit,* nos rebus potius præcellere , quam verbis , factis magis , quam eorum fama delectari . Quorsum hæc ? inquies Dominice præstantissime , quidque ea ad Cujacianum Promptuarium ? Et sane vereor , ne aliquis hæc legens , statim expostulet Quid iste sibi vult , qui cursim res Neapolitanas delibans , delphinum silvis appingit , fluctibus aprum ? Cujus equidem expostulationis primam partem rectam esse ultro fateor : alteram vero iniquitatis accusare facile mihi est . Neapolitanæ siquidem tum Urbis , tum Gentis origines , & in rebus qua togæ , qua sagi præstantiam annalibus & historiis digniſſimas , imo decus iis addituras , nec obiter percurrendas , nec epistolæ modulo cohibendas fuisse , non ipse diffiteor . Dicam tamen quod res est . Dum exteros vel minima ostentantes , cum nostris vel maxima non extollentibus compono , non potui non aliquam inde concipere indignationem, cujus exhauriendæ cum hæc una hactenus mihi daretur ansa , eam arripere non dubitavi . Sed altera querelæ pars , quæ hanc disputationem ad Promptuarium tuum pertinere negat , aperte iniqua est . Vel ex hoc uno siquidem Opere de Neapolitanis ingeniis , Neapolitanaque industria , quæ tertia erat Philopatridum contentio, judicium facere cuivis licebit . Quod palmare argumentum altius repetere operæ pretium erit. Qui litterarum fata percurret , negare non poterit , nullam profecto Musis magis salutarem epocham illuxisse , quam Joviani Pontani Academiam sub Rege Alphonso Aragonio institutam, quæ in universam ferme Europam se diffudit , quæque Viris floruit ad Atticam Latinamque sapientiam a morte propemodum revocandam natis . Sic renascentes literæ primum apud nos gradum fecere , simulque nos, elato veluti signo, alios ad eadem audenda impulimus : ut non immerito Italia Alciatum , Germania Zasium , Gallia Budæum , Hispania Ant. Augustinum , alioſque præclarissimos solidæ doctrinæ antesignanos nobis quodammodo debere videantur . Sed aliis alio pergentibus , summi hi Viri viam iniverunt illustrandi Libros Juris Civilis , excelsam scilicet illam divinarum atque humanarum rerum notitiam , cum justi injustique scientia , & omnigena eruditione conjunctam . Ex his omnibus , veluti ex tot pretiosissimis lapillis compactum musivum , extitit deinde Jacobus Cujacius , cujus gloriæ nec profuit quisquam laudando , nec vituperando quisquam nocuit , cum utrumque summis præditi fecerint ingeniis . Licet autem miraculum illud hominis Gallia protulerit , tanto nihilominus sunt Nostri eum amore prosecuti , ut nullos magis de eo bene meritos umquam fuisse affirmem . Quod enim attinet ad Forum , emendatiores nostrorum Pragmaticorum, vel ante Franciscum Andream , Cujacium non

raro

Source : BIU Cujas

raro appellant. At poſtquam Andreas illa incredibili, qua polluit, ingenii, doctrinæ & eloquentiæ vi Neapolitanis roſtris repurgatis, & a Gloſſatorum tyrannide liberatis novam attulit faciem, in Judicum & Oratorum deliciis Cujacius fuit. Inchoatum ſiquidem opus perfecere Seraphinus Biſcardius, Cajetanus Argentius, aliique Viri Juriſconſultiſſimi, ſummiſque Magiſtratibus functi, qui Cujacium adeo excoluerunt, ut uno Cujacio minores fuerint. Vivunt adhuc qui Argentium cauſſas orantibus, Cujaciumque pro ſe laudantibus ex tempore interceſſiſſe audierunt, monentem, variaſſe in ea ſententia Cujacium, variationiſque locum actutum deſignaſſe. Quoniam vero Forum & Academia æquo ſemper incedunt gradu, vel ab initio exacti ſeculi hoſpes in noſtris Scholis Cujacius non fuit: quin ejus in jure exponendo acumen, ſolidamque eruditionem præ ſe tulerunt, felici ſucceſſione, Joannes Andreas Paula, Joſephus Pulcharellius, Felix Aquadieſius, Dominicus Auliſius, Nicolaus Capaſſus, Dominicus Gentilis, Joſephus Cyrillus. Gentilem audivimus, ferme peccati loco habuiſſe, aliquid non ex Cujacio ſapere. Quantus vero is poſtumæ Cujacii famæ aſſertor fuerit, fidem faciunt Vindiciæ ſecundum Cujacium adverſus Merillium, licet adumbratæ potius, quam perſcriptæ ab eo ſint. Cyrillus autem fulgidum Fori & Academiæ ſidus, cum ſe totum Cujacianum vel docens, vel cauſſas agens omnibus nunc prodat, ſuſpecto noſtro non indiget teſtimonio. Porro ſi Cujacii editiones recenſeamus, in hac etiam parte nulli majore cura & ſedulitate, quam Neapolitani ſunt, verſati. Nihil certe addi poſſe videbatur. concinno illi ejus Operum Syntagmati, quod magnus protulit Fabrotus. At illud Neapolitani Typi locupletarunt I. Indice perpetuo & copioſiſſimo Rerum & Verborum. II. Variantibus Interpretationibus a Merillio notatis. III. Animadverſionibus Johannis Roberti, ejuſdemque Notis in Reſponſiones a Cujacio ſub nomine Antonii Mercatoris editas. IIII. Fuſiore, & accuratiore verſione locorum græcorum. Quæ omnia fecere, ut licet noſtræ illius editionis pretium immane creverit, omnia tamen ejus exempla brevi fuerint diſtracta, & non minus ultra quam citra montes avide exquirantur. Et cauſſa non eſt cur nuperus Venetus Cujacii Editor tantopere demiretur, omiſſum in ea fuiſſe Oſii Aurelii Diſpunctorem ad Merillium, factumque, ut Merillianæ accuſationes ſine Aurelianis Vindiciis impune triumpharent. Cauſſa inquam non eſt. Eo vel magis, quod dum hac is admiratione abripitur, duo fatetur, Cujacium a nobis editum A. hujus ſeculi XXII. Oſium *a ſe excerptum ex Theſauro Ottoniano, qui ante A. hujus* ſeculi XXV. lucem non vidit: & *dum ex ipſo Ottone ſcire debuit, de Diſpunctoris raritate veterem apud nos fuiſſe* querelam vel ab *A. hujus ſeculi* XX. quo ipſum *hic edidimus Merillium; eumque librum* Theſauri primum beneficio & Ipſi, & nobis, & aliis innotuiſſe. Quid quod Theſauro vix ad nos devecto, illico Oſius præla exercuit noſtra, & hic primum A. XXXI. prodiit, ut magni Cujacii vindiciæ jamdiu expectatæ, nec dum adhuc Neapoli cuiquam viſæ, tandem aliquando peculiari libello conſignatæ vulgarentur, quæ ſunt editoris verba? Ceterum Cujacius a noſtris, an ab aliorum typis melius ſit vel habitus, vel habendus, ſaniorum eſto judicium. At illud vel inqui & inviti fateri omnes tenebuntur, in Cujaciana adyta, per te, doctiſſime Dominice, nunc primum regiam viam eſſe factam, & e Neapolitanis JCtis extitiſſe unum, qui Corpori Juris univerſo, & Cujacii voluminibus adeo impalluit, ut labore vix explicando, Leges ſanctiſſimas, earumque ſummum Interpretem nobis perpetuo collineantes ſiſteret. Qua fidelia & illum etiam parietem tu dealbaſti, qui Merillianis Variationibus infectus, tam nitidi operis pars erat non nitida. Cum enim nunc per te liceat, omnia omnino, quæ Themidis ille Summus Sacerdos in unumquemque Juris locum ſive conſulto, ſive obiter commentatus eſt, præ oculis habere, & de vera ejus ſententia certum judicium facere, jam ſine Oſii Diſpunctionibus, ſine Gentilis Vindiciis evaneſcent illæ variantiæ, quæ ex non collatis omnibus ejus lucubrationibus plerumque ortum ducunt. Quo labore cum tu defunctus eſſes, ab Oſio edendo abſtinere poteras. Sed tuus in Cujacium amor Oſio addidit Gentilem, (qui licet noſtro Cyrillo accurante ab A. hujus ſeculi XXXIX. editus ſit, nuperum Venetum editorem adhuc tamen latere videtur), & Gentili Alexandrum Scotum, ut Bodini etiam, aliorumque criminationes diluerentur. Licet vero Cujacii Obtrectatores & Adverſarios ſolide confutaverit Heineccius, debebatur nihilominus a Neapolitano Juriſconſulto is honor Manibus Cujacii, qui ad illuſtrandas noſtras Conſtitutiones pluries excurrit, & Afflictum noſtrum non ſemel laudat. Quantus autem per hoc tuum Promptuarium in jure profectus ſit deinceps futurus, dici vix poteſt. Certe qui vel in judicando, vel in docendo conſenuerunt, jam habent perſuaſiſſimum, nullam proponi quæſtionem, cujus definitio aut ex ipſo juris fonte, aut ex primario aliquo, integroque juris interprete tutius breviuſque peti non poſſit, quam ex infinitis propemodum de jure Scribentium operibus, quorum ingenia aut obnoxia, aut luxuriantia plerumque deprehenduntur. Nec raro evenit, ut forenſi pulvere conſperſi a quamplurimis Pragmaticorum libris fruſtra quærant, quod vel ab ipſa Lege, vel a Legis ingenuo enarratore ſtatim habituri fuiſſent. At quoniam durum & perpaucis datum eſt, ad ipſas puræ aquæ ſcaturigines contendere & eniti, hinc

eſt

Source : BIU Cujas

eſt quod plerique limoſos, & a fonte ſemotos rivos conſectantur. In ſacraria ipſa Legum, intimoſque receſſus certe penetravit Cujacius, ac nullam ferme earum partem inexplicatam reliquit. Sed vel peritiſſimos JCtos non raro fugit disjecta ab eo ſapientia tot voluminibus, in quibus reliquatio ſubductas ſemper vincit rationes. Quo certiora igitur ab ejus Operibus in omne genus diſputationes ſubſidia ſuppetunt, eo magis angitur qui ad ea quærenda viam ignorat. Fundum, quem nulla theſauri ſuſpicio pretioſum facit, celeri omnes tranſeunt pede. At ſi certi ſimus, magnam auri vim eo contineri, nemo eſt, quem tanta ſpes ad eum proſcindendum ac perfodiendum non urgeat ac impellat. Quam vero gratus acceptuſque foret qui ad tantas opes hauriendas iter indicet tutum ac breve? quique Ariadnæo filo commodato, ab irremeabili, quo pecuniæ vetus illa depoſitio præſepitur, labyrinthi errore nos liberet. Quis non immortale hoc prædicet beneficium? Eo vel magis, quod eius Auctori perit utilitas illa, qua aliis prodeſt. Privata ſiquidem eſſe deſinunt, quæ a domino publici juris fiunt. Quæ dum ſcribo, animum, conſultiſſime Dominice, ſubiit Arcana illa Romanorum Patriciorum Juriſprudentia ad myſteria & Formulas redacta, & ab iis, in latenti, ut Pomponius noſter ait, adſervata. Magnam ſibi ea arte illi potentiam adſtruxere. Quin tu unicus Cujacii promuſcondus domi ſedens, & extra fori vortices poſitus, a te Conſulentibus, tantæ mercis monopolio magna emolumenta tibi parare potuiſſes? Magnifica profecto ac ſingularis res eſt, in quolibet juris nodo Cujacium ſtatim advocare, ejuſque auctoritate niti. Cujuſvis etiam pretii eſt, omnes Accurſii Gloſſas a Cujacio caſtigatas, illuſtrataſve in numerato habere. Hæc duo cum tu unus præ aliis poſſes, neque tibi aliquis aut Cn. Flavius, aut Sextus Aelius Catus foret timendus, qui hoc ſecretum proderet, ut omnes alii poſſent, Promptuario tuo effeciſti. Quam novam ſane liberalitatem raro animi a quocumque compendio alieni argumento cumulas, dum opus ipſo Mæcenate digniſſimum, non in gratiæ & patrocinii aucupium uni dedicas, ſed nobiliſſimo noſtrorum Advocatorum Ordini inſcribis; quo magis planum faceres, non in tuam, ſed in eorum rem, herculeos duodecim, quibus ſaxum hoc volviſti, annorum labores te contuliſſe. Sed quantum alienis commodis inſervias, laboris vero ſis patiens, duo illa præ ceteris evincunt, Index omnium Legum concordiam Vulgatæ & Florentinæ editionis præ ſe ferens; & omnium, quot potuiſti, Cujacii editionum accurata monſtratio, *ut hæ omnes illius Indicis utilitate gauderent.* Hæc pectora, *hunc animum Neapolitani gerunt Juriſconſulti, ut rebus, non rerum fama, factis, non factorum gloria capiantur.* Quam eximiam laudem *noſtræ Civitati innatam*, totque perſpicuis argumentis, tuoque hoc cedro digno Promptuario conteſtatam, in omnium temporum longitudinem perennaturam, meus mihi animus auguratur. Sub tanto præſertim, tantæque ſpei REGE, imo Regum Floſculo, tantiſque Regni Rectoribus, quos cœlitus demiſſos, divina, quam ſuſceperunt, quaque porro pergunt, publicæ rei regendæ ratio, nobis probaret, niſi ſciremus, difficillimæ hujus artis tyrocinia eos poſuiſſe ſub CAROLO (o auguſtum, & Neapolitanas aures implens nomen) Regnatorum omnium Principe, & pluribus Regnis beandis nato. Horum Numinum ductu, auſpiciiſque, ut Neapolitana virtus magis atque magis exſerat ſeſe, emineatque, eis cum Tertulliano adprecamur Vitam prolixam, Imperium ſecurum, Domum tutam, Exercitus fortes, Senatum fidelem, Populum probum, Orbem quietum. Vale. A. D. III. Kal. VIIbres A. CIↃIↃCCLXIII.

Source : BIU Cujas

INDEX
TITULORUM OMNIUM
JURIS PANDECTARUM
Alphabetica serie dispositorum.
LEGUMQUE SUB UNOQUOQUE TITULO
PARI ORDINE CONTEXTARUM;

Variis lectionibus Florentinæ, ac Vulgatæ Editionis Pandectarum invicem collatis.

Litteræ V. I. N. *sub Titulis demonstrant tria Volumina Digestorum Vulgatæ editionis; scilicet.* Vetus. Infortiatum. Novum.

Asteriscus * *aliquibus legibus adhærens, variantem lectionem denotat inter Vulgatam, & Florentinam.*

Unaquæque lex suum exhibet numerum, concordantem, aut variantem inter utramque lectionem.

Pag. Pagina. *Col.* Columna *ad Promptuarium se referunt.*

Quod in Promptuario aliqua sub lege omissum est, in hoc Indice suppletur.

Glossemata deinde Accursii, Aliorumque ad quasdam leges, & paragraphos ex Cujacii Judicio, vel commendata, vel reprehensa, & suis in locis in Promptuario variis litterulis distincta, hic insuper, allatis Textus peculiaribus verbis, indicantur.

ABI

ABIGEIS.
N. lib. 47. tit. 14. pag. 659. col. 3.

Abigeatus. 2. pag.659. col.3.
De Abigeis. 1.ibid.
Oves pro. 3. ibid.

Acceptilatione. Flor. *ACCEPTILATIONIBUS.*
N. lib. 46. tit. 4. pag. 637. col. 2.

Acceptilatio est. 1.pag.637.col.2.
Acceptilatio sub. 4. ibid.
An inutilis. 8. ibid. col. 3.
Et per. 13. pag.638. col.1.
Et uno. 18. ibid. col.2.
In diem. 5. pag.637. col.3.
Nisi consentiat. 14.pag.638.c.2.
Pars stipulationis. 9. p.637. c.3.
Per Procuratorem. 3. ibid. col.2.
Pluribus. 6. ibid. col.3.
Pupillum. 2. ibid. col.2.
Qui hominem. 17.pag.638.col.2.
Quod in diem. 12.ibid.col.1.

ACC

Omiss.
IV. 745 B. Lib. 28. sub l. 77. de Reg. jur. } 38
Sane & sic. 7.pag.637. col.3.
Sed & si non. 10.pag.638.col.1.
Servus nec. 22. ibid. col.3.
Si accepto. 20. ibid.
Si acceptolatum. 19. ibid.
Si ego tibi. 23. ibid.
Si ex pluribus. 16.ibid. col.2.
Si is qui stichum. 15.ibid.
Si sub conditione. 21. ibid.col.3.
Species. 11. ibid.col.1.
Omiss.
VIII. 340 B. Lib. 44. tit. 7. sub l. 11. } 58

ACCUSATIONIBUS.
N. lib. 48. tit. 2. pag. 662. col. 3.

Alii propter. 9.pag.663.col.2.
Alterius. 22. pag.664.col. 1.
Capitis reus. 21. ibid.
Certis ex causis. 2.pag.662.col.3.
Cum Titia Testamentum.Flor. Vid. *Titia cum testamentum.*
Divi Fratres. 19. pag.663.col.3.
Ex judiciorum. 20.pag.664.col.1
Hi tamen. 11. pag.663.col.2.
Hos accusare. 12. ibid.

ACQ

In eum cujus. 15. ibid.col.3.
Is qui judicio. Flor. Vid. *Qui judicio.*
Levia. 6. pag.663.col.1.
Libellorum. 3. pag.662.col.3.
Mulierem. 13.pag.663.col.3.
Non est permissum. 1.p.662.c.3.
Nonnulli. 10. pag.663. col.2.
Qui accusare. 8. ibid. col.1.
* *Qui Judicio.* 4. ibid.
Senatus censuit. 14. ibid. col.3.
Servos quoque. 5. ibid. col.1.
Si cui crimen. 7. ibid.
Si plures 16. ibid. col.3.
Si servum. 17. ibid.
**Titia cum testamentum.* ibid.

ACQUIRENDA VEL AMITTENDA POSS.
N. lib. 41.tit.2.pag.538. col. 3.

Adversus. 53.pag.547.col.3.
Clam possidere. 6.pag.541.col.3. Vid. Accurs. in verb. *Suspicabatur = ut non videatur.*
Communis servus. 42.p.546.c.2.
Cum heredes. 23.pag.544.col.2.

ACQ

Et si nolit.Flor. Vid. *Sed si nolit.*
Exitus controversiæ. 35.p.545.c.3
Fundi venditor. 33. ibid.col.2. Vid. Accurs. in verb. *Item si amicus = Recte possessio ei tradita est.*
Generaliter. 9. pag.542.col.1.
Interdum. 21.pag.544.col.1.
Interesse. 39. pag.546. col.1.
Juste possidet. 11.pag.542.col.2.
Licet neque. 45. pag.546. col.3.
Locus certus. 26. pag.544.col.3.
Naturaliter. 12. pag.542. col.2.
Non videtur. 22. pag.544. col.1.
Peregre. 44. pag.546. col.2.
Per eum. 50. pag.547.col.2.
Permisceri. 52. ibid.col.3. Vid. Gloss. in verb. *Jubet.*
Pomponius. 13. pag. 542. col.3. Vid. Accurs. in verb. *Cum lapides = accepta.*
Possessio appellata. 1. p.538.c.3. Vid. Accurs. in verb. *Capiant = sententia est = ad usucapionem.*
Possessio quoque. 49. pag.547.c.1.
Possessionem. 29. pag.545. col.1.
Possideri. 3. pag.540.col.1. Vid. Accurs. in verb. *tamen possides = Animo solo = nam constat = occupaverit = causa cognit a. Prædia.*

Source : BIU Cujas

ACQ

Prædia cum . 48. pag.547.col.1.
Quamvis pupillus. 32.p.545.c.2.
Quamvis saltus . 46.p.546.col.3.
Quarundam . 51. pag.547.col.3.
*Quemadmodum.*8.pag.542. col.1
Qui absenti . 38. pag.545. col.3.
Vid. Accurs. in verb. *vel ex testamento = acquirere* .
Qui bona . 19.pag.544.col.1.
* *Quicquid filius* 4. pag. 541. Quidquid.Flor. col.3.
Vid. Accurs. in verb. *possideatur* .
Qui jure . 41. pag.546. col.2.
Qui pignoris . 36.pag.545. col.3.
Qui universas . 30. ibid.col.1.
Vid. Accurs.in verb. *id possideo* .
Quod meo . 18. pag.543.col.3.
Quod servus . 24. pag.544.col.2.
Vid. Gloss. in verb. *possidet = non corporalem* .
Quod uxor . 16. pag.543. col.2.
Rem quæ . 15.ibid.col.1.
Vid. Accurs. in verb. *erepta est* .
Res pignoris Fl. 37.pag.545.
* *Re pignoris* col.3.
Sed hoc jure . 2.pag.540.col.1.
* *Sed si nolit* . 7.pag.542. col.1.
Si aliquam . 28. pag.544.col.3.
Si colonus 31.pag.545. col.2.
Si de eo . 40. pag.546.col.1.
Vid. Accurs. in verb. *Retineas* .
Si ex stipulatione. 5.pag.541.c.3.
Si id quod . 25. pag.544.col.2.
Si is qui . 27. ibid.col.3.
Si me in vacuam. 34. p.545.c.3.
Si quis ante . 10. pag.542.col.1.
Si quis fundum. 43.pag.546.c.2.
Vid. Accurs. in verb.*Pignori obligatum* .
Si quis rem . 20. pag.544.col.1.
Si quis vi . 17. pag.543.col.2.
Si rem mobilem . 47. p.547. c.1.
Si servus . 14. pag.543. col.1.

ACQUIRENDA, VEL OMITTENDA HEREDITATE.

I. lib. 29. tit. 2. pag.333. col. 2.

Aditio . 45.pag.336.col.2.
Vid.Accurs.in verb.*acquirit.*
*Antistius Labeo.*62.pag.337.c.3.
Aristo existimat. 28.p.335.col.2.
Vid. Accurs. in verb. *petere.*
Aristo in decretis . 98. Flor. 99. pag.339.col.3.
Clodius Clodianus. 96. Fl.97.ib.
Cum falsum . 46. pag.336.col.2.
Cum heres . 52. ibid. col.3.
Cum hereditate. 55.pag.337.c.1.
Cum quidam . 30. pag.335. c.2.
Cum solus . 67. Fl.68.p.337.c.3.
Duo fratres. 77.Fl.78.p.338.c.2.
Ei qui se . 12. pag.334. col.2.
Et e contrario . 16. ibid. col.3.
Et si substitutum . 64.Fl.65.pag. 337.col.3.
Eum bonis . 86.Fl.87. p.339.c.1.
Vid. Accurs. in verb. *convenit* .
Eum qui . 51. pag.336.col.3.
Ex parte . 58.pag.337.col.2.

ACQ

Ex semisse . 74. Fl.75.p.338.c.1.
Filius familias . 91. Fl. 92. pag. 339. col.2.
Filius qui . 41. pag.336.col.1.
Vid.Accurs.in verb.*obtinere.*
Filium emancipatum . 60. pag. 337. col.2.
*Fuit quæstionis.*24.p.335.col.1.
Furiosus adquirere . 63. Flor.
* *In vulgata est* §.2. *leg. Antistius Labeo* 62. p.337.c.3.
Gerit pro herede . 87. Fl.88. pag. 339. col.1.
Vid. Accurs. in verb. *datam = qualisqualis* .
Heres institutus . 32.p.335.c.3.
Heres in omne . 37. ibid.
Heres per servum. 43.p.336.c.2.
* *Heres quandocunque* 54. pag. Heres quandoque Fl. 337.c.1.
Heredi cum . 31. pag.335: col.3.
Idem est Fl. 14. pag.334.c.3.
* *Idem etiam.*
Illud dubitari . 76. Fl.77.p.338. col.2.
Impuberibus . 11. pag.334.col.2.
In plurium . 69.Fl.70.p.337.c.3.
In repudianda . 23.p.335.col.1.
Is potest . 18.pag.334.col.3.
Is qui heres . 13. ibid. col.2.
Is qui putat. 15. ibid. col.3.
Julianus lib. 26. Fl. Vid. *Si pupillus paterna* .
More nostræ Civitatis . 8. p.334. col. 1.
Mutum nec non . 5.pag.333. c.3.
Necessariis . 57. pag.337. col.1.
Nec is qui . 17. pag.334. col.3.
Neminem . 27. pag.335. col.2.
Nolle adire . 4. pag.333. col.3.
Pannonius Fl. 85.Fl.86. pag.
* *Pantonius* 339. col.1.
Vid. Gloss. sub verb. *Cognoscitur* .
Pater quotiens Fl. 92. Fl.93.
* *Pater quoties.* p.339.c.3.
Per curatorem.Fl. 89. Fl. 90.
* *Per procuratorem.* ibid.c.2.
Placet quotiens.Fl. 78. Fl.79.
* *Placet quoties.* p.338.c.2.
Pro herede . 20. pag.334.col.3.
Omiss.
V.876 B. 877 B. Lib.1.sub l.88. *de Adquir.vel omitt. hered.* 45
VII. 565 B. Lib.10.tit-2.sub l.49. 58
Pupillus si . 9. pag.334.col.1.
Omiss.
VII. 12 A. Lib.37.tit.1.sub §. *impubes l.7.* 58
*Pupillum etiam.*49.p.336.col.3.
Quamdiu institutus. 68. Fl.69.p. 337.col.3.
Quamdiu potest . 39.p.336.col.1.
Quamdiu prior . 3.p.333.col.3.
Quæ neptis . 97.Fl.98.p.339.c.3.
Quæsitum est. 40. pag.336.col.1
*Qui ex duabus.*53. ibid.col.3.
Vid. Accurs. in verb. *Qui ex duabus* .
Qui heres . 29. pag.335.col.2.
Qui hereditatem . 19. p.334. c.3.
Qui in aliena . 6. pag.333.col.3.
Vid.Accurs.in verb.*fallens.*
Qui patri. 59.pag.337.col.2.
Qui putat . 73. Fl.74. p.338.c.1.
Qui servum . 47. pag.336. col.2.
Qui se pupillum . 95. Fl.96. pag.

ACQ

339.col.3.
Qui superstitis. 93.Flor.94. ibid.
Qui totam . 1. pag.333. col.2.
*Quod si dubitet.*33.pag. 335. c.3.
Quotiens.Fl. 44.pag.336.
* *Quoties pupillus* col.2.
Vid. Accurs. in verb. *& abstinuit* .
Recusari . 94.Fl.95.p.339.c.3.
Sed & si de sua . 34.p.335.c.3.
*Sed & si quis.*2.pag.333.col.3.
Servus communis. 66.Fl.67.pag. 337.col.3.
Servus duorum . 63.Fl.64. ibid.
Si duo sint . 38.pag.336. col.1.
Si ego & servus . 26.p.335.c.2.
Si ex asse . 10.pag.334.col.2.
Si ex sua . 36. pag.335.col.3.
Si is ad quem . 22. ibidem col.1.
Si is qui bonis . 90. Fl. 91. pag. 339.col.2.
Vid.Accurs. in verb. *mercatus = a creditoribus* .
Omiss.
IX. 787 E. Lib.6.tit.31. sub Rubr. 64
*Si is qui immiscuit.*56. pag.337. col.1.
Si metus . 84.Fl.85.p.339.col.1.
Si minor . 61. pag.337. col.2.
Si per epistolam . 50.p.336.c.3.
* *Si pupillus paterna* . 42. ibid. col.1.
Si pupillus se. 88.Flor.89.p.339. col.2.
Si quis alicui . 48. pag.336. c.3.
589 D. Lib.39.sub l.11. *de Condict.furt.*
VIII. 719 E* 720 A* Lib.50. tit.17.sub hac l.138. 59
831 B* 832 A* Lib.50. tit.17.sub hac l.138. 58
875 C* Lib.50.tit.17.sub hac l.138. 60

L.CLXXXII. *Omnes actiones.* Flor.CXXXIX.

III. 529 E. Lib.18.sub cap.29. 35
V. 686 E. Lib.51. sub l.24. *de Liber.caus.* 44
1147 C. Lib.24. sub l.29. *de Novat.* 45
VI. 6 B. Lib.2.sub l.3. *de Eo, per quem fact.erit* 47
439 B. Lib. 80. sub l. 19. *de Mort.caus.donat.*
558 B. Lib.9. sub §. 1. l. ult. *de Fidejuss.& nominat.* 51
VIII. 356 A. Lib.44.tit.7.sub l.26. 58
704 C. Lib.50.tit.17.sub l.87. 59
720 C* Lib.50.tit.17.
808 A. Lib.50.tit.17.sub l.86. 58
832 B* Lib.50.tit.17.
875 D* Lib.50.tit.17. 60
IX. 114 E. Lib.3.tit.1.sub l.1. 64
1048 A† Lib.7.tit.39.sub l.ult.
§. *Non videtur.* 1.
V. 902 B. Lib.2.sub l.66. *de Rei-vindicat.* 44
991 D. Lib.4.sub l.59. *Ad S.C. Trebell.*
1115 A. Lib.15.sub l.98. *de Solut.* 45
VI. 200 B. Lib.30. sub §. ult. l.18. *de Vulg.& pupil.substit.* 47
219 A. Lib.33.sub l.82. *de Leg.*1.
VIII. 345 C. Lib.44.tit.7.sub l.17. 58
720 C* Lib.50.tit.17.sub hac l.139. 59
832 B* Lib.50.tit.17.sub hac l.139. 58
875 D* Lib.50.tit.17.sub hac l.139. 60
X. 298 A. Mercat.lib.3.sub cap.9. 65

Source : BIU Cujas

Tom. Col. Lit. Neap. Editionum, & Var.

L.CLXXXIII. Flor.CXL. *Absentia ejus qui.*

VIII. 721 A* Lib.50.tit.17. 59
832 D* Lib.50.tit.17. 58
875 E* Lib.50.tit.17. 60

L.CLXXXIV. Flor.CXLI. *Quod contra rationem.*

III. 199 C. Lib.8.sub cap.8. 35
695 A.B. Lib.24.sub cap.9.
V. 697 B. Lib.54. sub §. *Item adquirimus l.1. de Adqu. vel omitt.poss.* 44
VII. 668 E. Lib.12.tit.1.sub l.15. 58
VIII. 721 A* Lib.50.tit.17. 59
875 E* Lib.50.tit.17. 60
§. *Uni duo.* 1.
V. 708 D. Lib.54.sub §. *ex contrario l.3.de Adq.vel omitt. possess.* 44
VIII. 721 A*D* Lib. 50. tit. 17. sub hac l.141. 59
832 E* } Lib.50. tit.17. sub hac l.141. 58
833 D* }
876 A* Lib.50.tit.17.sub hac l.141. 60

L.CLXXXV. Flor.CXLII. *Qui tacet non utique.*

III. 137 D. Lib.5.sub cap.39. 35
V. 757 E* Lib.56. 44
VII. 409 E. Lib.8.tit.2.sub l.5. 58
VIII. 721 E* Lib.50.tit.17. 59
833 D* Lib.50.tit.17. 58
876 A* Lib.50.tit.17. 60

L.CLXXXVI. Flor.CXLIII. *Quod ipsis, qui.*

VIII. 687 B. Lib.50.tit.17.sub l.54. 59
722 E* Lib.50.tit.17.
834 E* Lib.50.tit.17. 58
876 B* Lib.50.tit.17. 60

L.CLXXXVII. Flor.CXLIV. *Non omne quod licet.*

I. 196 A. Lib.3. cap. 15. sub §.4. *Not.prior.* 1
1216 D. Sub *l.si filiusfam.*78. 29
V. 788 D* Lib.62. 44
VII. 439 C. Lib.8.tit.3.sub l.19. 58
VIII. 668 B. Lib.50.tit.17.sub l.18. 59
723 A* Lib.50.tit.17.
753 C. Lib.50.tit.17.sub l.18. 58
834 E* Lib.50.tit.17.
876 B* Lib.50.tit.17. 60
1051 B. Lib.3.cap.15. sub verb. *omnis stipulatio* 61
X. 602 C* Lib.50.tit.17. 66
§. *In stipulationibus.* 1.
V. 788 D* Lib.62.sub hac l.144. 44
VIII. 723 A* Lib.50.tit.17.sub hac l.144. 59
834 E* } Lib.50.tit.17. sub hac l.144. 58
835 C* }
876 B* Lib.50.tit.17.sub hac l.144. 60

L.CLXXXVIII. Flor.CXLV. *Nemo videtur fraudare.*

VIII. 723 D* Lib.50.tit.17. 59
800 A. Lib.50.tit.17.sub l.78. 58
835 C* Lib.50.tit.17.
876 C* Lib.50.tit.17. 60
X. 602 C* Lib.50.tit.17. 66

L.CLXXXIX. Flor.CXLVI. *Quod quis cum servus.*

V. 788 E* Lib.62. 44
VIII. 723 E* Lib.50.tit.17. 59
835 D* Lib.50.tit.17. 58
876 D* Lib.50.tit.17. 60

L.CXC. Flor.CXLVII. *Semper generalibus. Semper specialia.*

VIII. 710 C. Lib.50.tit.17.sub l.110. 59
724 A* Lib.50.tit.17.
818 C. Lib.50.tit.17.sub l.110. 58
835 E* Lib.50.tit.17.
876 D* Lib.50.tit.17. 60

L.CXCI. Flor.CXLVIII. *Cujus effectus.*

III. 246 A. Lib.9.sub cap.37. 35
VIII. 724 A* Lib.50.tit.17. 59
835 E* Lib.50.tit.17. 58
876 E* Lib.50.tit.17. 60

L.CXCII. Flor.CXLIX. *Ex qua persona.*

I. 671 D. Sub consult.25. 6
VIII. 724 B* Lib.50.tit.17. 59
836 A* Lib.50.tit.17. 58
877 A* Lib.50.tit.17. 60

L.CXCIII. Flor.CL. *Parem esse conditionem.*

V. 97 D. Lib.6. sub l.11. *de Noxal.action.* 44
294 B. Lib.21.sub l.27.*de Rei vindic.*
VIII. 680 A† Lib.50.tit.17.sub l.36. 59
718 D. Lib.50.tit.17.sub l.131.
724 C* Lib.50.tit.17.
829 C. Lib.50.tit.17. sub l.131. 58
836 B* Lib.50.tit.17.
877 A* Lib.50.tit.17. 60

L.CXCIV. Flor.CLI. *Nemo damnum facit.*

V. 799 B* Lib.64. 44
VIII. 695 D. Lib.50.tit.17.sub l.71. 59
724 C* Lib.50.tit.17.
794 D. Lib.50.tit.17.sub l.71. 58
836 B* Lib.50.tit.17.
877 B* Lib.50.tit.17. 60

L.CXCV. Flor.CLII. *Hoc jure utimur, ut.*

VIII. 681 B. Lib.50.tit.17.sub l.38. 59
724 E* Lib.50.tit.17.
836 D* Lib.50.tit.17. 58
877 C* Lib.50.tit.17. 60
X. 602 D* Lib.50.tit.17. 66
§. *Dejecit.* 1.
Flor. *Dejicit.*
VIII. 690 A. Lib.50.tit.17.sub l.60. 59
724 E* } Lib.50.tit. 17. sub hac l.152.
725 A* }
785 C. Lib.50.tit.17.sub l.60. 58
836 D*E* Lib. 50. tit. 17. sub hac l.152.
877 C* Lib.50.tit.17.sub hac l.152. 60
§. *Ratihabitio.* 2.
Flor. *In maleficio.*

Tom. Col. Lit. Neap. Editionum, & Var.

VIII. 724 E* } Lib.50.tit. 17. sub hac l.152. 59
725 A* }
785 A. Lib.50.tit.17.sub l.60. 58
836 D* Lib.50.tit.17.sub hac l.152.
877 C* Lib.50.tit.17.sub hac l.152. 60
§. *In contractibus.* 3.
VIII. 341 B. Lib.44.tit.7.sub l.12. 58
681 A. Lib.50.tit.17.sub l.38. 59
B. Ibidem.
Accursius refellitur in glossemate sub litterula d.
724 E* } Lib.50.tit. 17. sub hac l.152.
725 A* }
772 D. Lib.50.tit.17.sub l.38. 58
836 D* Lib.50.tit.17.sub hac l.152.
877 D* Lib.50.tit.17.sub hac l.152. 60

L. CXCVI. Flor.CLIII. *Fere quibuscunque.*

I. 284 D. Lib.4.cap. 15. sub §. 5. *Not.prior.* 1
II. 473 A. Lib.7.sub tit.32. 31
IV. 625 E. Lib.23.sub l.45. *de Adquir.possess.* 38
627 A. Lib.23.sub *l.quamvis de Adquir.possess.*
996 B. Lib.4.sub l.53.*de Donat. int.vir.& uxor.* 39
1456 E. } Lib.2. sub l. 45. *de Adquir.vel amitt.possess.* 40
1457 C. }
V. 710 E. Lib. 54. sub §. *in amittenda l.3.de Adquir. vel omitt.poss.* 44
801 B* Lib.65.
VIII. 258 B. Lib. 41. tit. 2. sub §. *in amittenda l.3.* 58
269 D. Lib.41.tit.2.sub l.8.
679 B.C.E. Lib.50.tit.17.sub l.35 59
Accursius improbatur in glossemate sub litterula c.
725 A* Lib.50.tit.17.
770 C.E. } Lib.50.tit.17.sub l.35. 58
771 B. }
Accursius improbatur in glossemate sub litterula e.
836 E* Lib.50.tit.17.
877 E* Lib.50.tit.17. 60
X. 602 D* Lib.50.tit.17. 66

L.CXCVII. Flor.CLIV. *Cum par delictum.*

III. 134 D. Lib.5.sub cap.34. 35
V. 89 E. Lib.4.sub l.108.*de Reg. jur.* 44
139 A† Lib. 10. sub l. 2. *de Calumn.*
VII. 289 F. Lib.6.tit.1.sub l.25. 58
VIII. 678 B† Lib.50.tit.17.sub l.33. 59
725 B* Lib.50.tit.17.
836 E* Lib.50.tit.17. 58
878 A* Lib.50.tit.17. 60
X. 243 C. Mercat. lib.2.subcap.28. 65
245 B. Robert.lib.2. sub cap.28.
§. *Illi debet.* 1.
VIII. 725 C* Lib.50.tit.17.sub hac l.154. 59
837 A* Lib.50.tit.17.sub hac l.154. 58
878 C* Lib.50.tit.17.sub hac l.154. 60
X. 242 D. Robert. lib.2.sub cap.28. 65

Source : BIU Cujas

Tom. Col. Lit. Neap. Editionum, & Var.

L. CXCVIII. *Factum cuique suum.* Flor.CLV.

V. 799 E* Lib.65. 44
VIII. 725 D* Lib.50.tit.17. 59
782 C. Lib.50.tit.17.sub l.55. 58
837 B* Lib.50.tit.17.
878 C* Lib.50.tit.17. 60
§. *Non videtur*. 1.
V. 800 A* Lib.65. sub hac l.155. 44
VII. 788 E. Lib.19.tit.1.sub l.22. 58
VIII. 688 C. Lib.50.tit.17.sub l.55. 59
725 D* Lib.50.tit.17.sub hac l.155.
837 C*D* Lib. 50. tit. 17. sub hac l.155. 58
878 D* Lib.50.tit.17.sub hac l.155. 60
§. *In pœnalibus*. 2.
V. 800 A* Lib.65.sub hac l.155. 44
VIII. 688 E. Lib.50.tit.17.sub l.56. 59
725 D* Lib.50.tit.17.sub hac l.155.
782 E. Lib.50.tit.17.sub l.56. 58
837 C* Lib.50.tit.17.sub hac l.155.
878 D* Lib.50.tit.17.sub hac l.155. 60
X. 1234 E. Sub *l.duo Judices* 28. 86

L. CXCIX. *Invitus nemo rem.* Flor.CLVI.

III. 643 B. Lib.22.sub cap.13. 35
V. 63 B. Lib.3.sub l.21. *de Pact.* 44
116 E. Lib.9.sub §. ult. l.43. *de Proc.*
VIII. 655 E. Lib.50.tit. 17. sub Rubr. 59
687 C. Lib.50.tit.17.sub l.54.
725 E* Lib.50.tit.17.
781 A. Lib.50.tit.17.sub l.54. 58
837 D* Lib.50.tit.17.
878 E* Lib.50.tit.17. 60
X. 203 A. Robert.lib.2.sub cap.16. 65
§. *Cui damus*. 1.
IV. 921 C. Lib.3. sub l. 32. *de Negot.gest.* 39
1145 C. Lib.8.sub §. *Mater l.77. de Legat.2.*
VI. 127 A. Lib. 19. sub l. 22. *Rer. amot.* 47
VIII. 725 E* Lib.50.tit. 17. sub hac l.156. 59
726 B*
837 D* Lib.50. tit.17. sub hac l.156. 58
838 B*
878 E* Lib.50.tit.17.sub hac l.156. 60
§. *Cum quis*. 2.
VIII. 687 C. Lib.50.tit.17.sub l.54. 59
725 E* Lib.50.tit. 17. sub hac l.156.
726 C*
780 E. Lib.50.tit.17.sub l.54. 58
837 D* Lib.50.tit. 17. sub hac l.156.
838 C*
879 A* Lib.50.tit.17.sub hac l.156. 60
X. 602 D* Lib.50.tit.17. 66
§. *Plerumque*. 3.
VIII. 687 D† Lib.50.tit.17.sub l.54. 59
725 E* Lib.50.tit.17. sub hac l.156.
837 E* Lib.50.tit. 17. sub hac l.156. 58
838 C*
879 A* Lib.50.tit.17.sub hac l.156. 60
§. *Quod cuique*. 4.
VIII. 688 A. Lib.50.tit.17.sub l.54. 59
726 A*C* Lib. 50. tit. 17. sub hac l.156.

Tom. Col. Lit. Nap. Editionum, & Var.

837 E* Lib.50.tit. 17. sub hac l.156. 58
838 C*
879 B* Lib.50.tit.17.sub hac l.156. 60

L. CC. *Ad ea quæ.* Fl. CLVII.

V. 565 A. Lib. 36. sub §. ult.l.25. *Sol.matr.* 44
725 D. Lib. 54. sub §. *si pupilli l.4.de Usurp.*
VI. 145 A. Lib. 22. sub §. *qui tutelam l.56.de Furt.* 47
319 A. Lib.44.sub §. *si Tutor l.7.Pro emptor.*
VIII. 251 E. Lib.41. tit.2. sub §. *per procuratorem l.1.* 58
726 D* Lib.50.tit.17. 59
838 D* Lib.50.tit.17. 58
879 B* Lib.50.tit.17. 60
1113 E. Lib.4. cap. 6. sub verb. *Aut cum herede.* 61
§. *Semper*. 1.
VII. 617 A. Lib.10.tit.4. sub §. *ibidem l.6.* 58
VIII. 718 D. Lib.50.tit.17.sub l.131. 59
726 D* Lib.50.tit. 17. sub hac l.157.
727 B*
838 D* Lib50.tit.17.sub hac l.157. 58
839 C*
879 C* Lib.50.tit.17.sub hac l.157. 60
§. *In contractibus*. 2.
III. 606 C. Lib.21.sub cap.2. 35
IV. 1015 E. Lib.5. sub §. *Tutor l.39. de Admin.& peric.tut.* 39
1310 D. Lib.11. sub §.ult.l.121. *de Verb.oblig.*
V. 209 D. Lib.17.sub l.9. *Depositi.* 44
382 D. Lib.26. sub §. ult. l. 12. *Ad Exhib.*
VI. 558 A† Lib.9.sub §. 1. l. ult. *de Fidejuss.& nominat.* 51
VIII. 681 A. Lib.50.tit.17.sub l.38. 59
726 D* Lib.50. tit.17. sub hac l.157.
772 E. Lib.50.tit.17.sub l.38. 58
838 D* Lib.50.tit. 17. sub hac l.157.
839 C*
879 C* Lib.50. tit. 17. sub hac l.157. 60

L. CCI. *Quoties nihil.* Flor. CC. *Quotiens.*

V. 274 B† Lib. 20. sub l. 38. *de Petit.hered.* 44
VIII. 734 E* Lib.50.tit.17. 59
846 B* Lib.50.tit.17. 58
886 D* Lib.50.tit.17. 60

L. CCII. *Omnia quæ ex testamento.* Flor.CCI.

IV. 387 E. Lib.15. sub l.3. *de Reg. Caton.* 38
VIII. 676 C† Lib.50.tit.17.sub l.29. 59
735 B* Lib.50.tit.17.
766 C. Lib.50.tit.17.sub l.29. 58
846 E* Lib.50.tit.17.
886 E* Lib.50.tit.17. 60

L. CCIII. *Omnis definitio.* Flor.CCII.

IV. 4 C. Sub Præfat. 38
1421 B. Lib.1.sub l.1. *de Legibus.* 40
VIII. 656 E. 657 A. B. Lib.50.tit.17.sub l.1. 59

Tom. Col. Lit. Nap. Editionum, & Var.

Accursius commendatur in glossemate sub litterula f.
735 B* Lib.50.tit.17.
738 C.D. Lib.50.tit.17.sub l.1. 58
Accursius approbatur in glossemate sub litterula f.
846 E* Lib.50.tit.17.
886 E* Lib.50.tit.17. 60
X. 289 A. Robert.lib.3.sub cap.6. 65
602 D*† Lib.50.tit.17. 66

L. CCIV. *Quod quis ex culpa.* Flor.CCIII.

V. 860 B. Lib.75. sub §.ult. l.85. *de Verb.oblig.* 44
VIII. 735 C* Lib.50.tit.17. 59
846 E* Lib.50.tit.17. 58
887 A* Lib.50.tit.17. 60

L. CCV. *Minus est actionem.* Flor.CCIV.

V. 155 A. Lib. 11. sub l. 14. *de Minor.* 44
VIII. 735 D* Lib.50.tit.17. 59
847 A* Lib.50.tit.17. 58
887 B* Lib.50.tit.17. 60

L. CCVI. *Plerunque fit.* Flor. CCV. *Plerumque fit.*

VIII. 720 E. Lib.50.tit.17.sub §. *non videtur l.139.* 59
735 D* Lib.50.tit.17.
832 D. Lib.50.tit.17.sub §. *non videtur l.139.* 58
847 B* Lib.50.tit.17.
887 B* Lib.50.tit.17. 60

L. CCVII. *Jure naturæ.* Flor. CCVI.

VIII. 735 E* Lib.50.tit.17. 59
847 B* Lib.50.tit.17. 58
887 D* Lib.50.tit.17. 60

L. CCVIII. *Res judicata.* Flor. CCVII.

VIII. 736 A* Lib.50.tit.17. 59
747 C* Lib.50.tit.17. 58
888 A* Lib.50.tit.17. 60
X. 29 A. 32 A. Robert.lib.1.sub cap.7. 65
602 E* Lib.50.tit.17. 66

L. CCIX. *Non potest videri desisse* (Flor. *desisse*). Flor.CCVIII.

VIII. 736 B* Lib.50.tit.17. 59
848 A* Lib.50.tit.17. 58
888 A* Lib.50.tit.17. 60

L. CCX. *Servitutem mortalitati.* Flor.CCIX.

III. 519 E. Lib.18.sub cap.13. 35
VIII. 677 C. Lib. 50.tit.17. sub l.32. 59
736 C* Lib.50.tit.17.
767 E. Lib.50.tit.17.sub l.32. 58
848 B* Lib.50.tit.17.
888 B* Lib.50.tit.17. 60

Source : BIU Cujas

Tom.	Col.	Lit.	Neap. Editionum, & Var.	
	L.CCXI. Flor.CCX.		*Quæ ab initio.*	
I.	1136	B.	Sub *l.cum vir.42.*	21
III.	91	C.	Lib.4.sub cap.4.	35
IV.	385	A.	Lib.15. sub l.3. *de Reg. Caton.*	38
	387	C.		
VIII.	676	B.	Lib.50.tit.17.sub l.29.	59
	736	C*	Lib.50.tit.17.	
	766	A.	Lib.50.tit.17.sub l.29.	58
	848	B*	Lib.50.tit.17.	

Tom.	Col.	Lit.	Neap. Editionum, & Var.	
X.	888	C*	Lib.50.tit.17.	60
	56	D.	Robert.lib.1.sub cap.13.	65
	57	D.		
	58	E.	Mercat.lib.1.sub cap.13	
	59	A.		
	61	A.B.	Robert.lib.1. sub cap.13.	
	602	E*	Lib.50.tit.17.	66

Tom.	Col.	Lit.	Neap. Editionum, & Var.	
	L. CCXII. Flor.CCXI.		*Servus Reipublicæ.*	
V.	815	C.	Lib.69. sub l.7. *si quis caut.*	44
VIII.	731	A.	Lib.50.tit.17.sub l.175.	59
	736	C*	Lib.50.tit.17.	
	843	A.	Lib.50.tit.17. sub l.175.	58
	848	B*	Lib.50.tit.17.	
	888	C*	Lib.50.tit.17.	60
X.	602	E*	Lib.50.tit.17.	66

FINIS

Promptuarii Operum Jacobi Cujacii in quinquaginta libros Pandectarum.

Source : BIU Cujas

Adm. Rev. Dominus D. Jacobus Martorellius Regius in hac Univerſitate Profeſſor, revideat, & in ſcriptis referat. Datum Neapoli die 22. Julii 1763.

PHIL. EPISC. ALLIFANUS VIC. GEN.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

PRINCEPS EMINENTISSIME.

VIx oculos ad ſapientiſſimi Viri Dominici Albanenſis Promptuarium converteram, quando continuo obverſatum eſt proverbium τόλμα μεγάλης πρήξιος ἀρχὴ, τέλος σοφία, *rebus magnis principium audacia, perficit ſapientia*. Sane, Domine Eminentiſſime, incredibilem ejus audaciam difficilium rerum procreatricem, an potius ſapientiam commendem, animi pendeo. Pretium operæ fuit, ut is ingenio patientiſſimo fortaſſe ab ipſa adoleſcentia immortalis Cujacii volumina triverit, in iiſque ſatis diu alſerit, atque inſudarit, quo nobis ex omnigenis hujus ſummi Viri Editionibus ſeligeret, quæ in vaſto corpore diſtracta erant, & contrita veluti membra in unum coaleſcerent. Quam prompta, atque compendiaria via patefacta eſt (antehac anceps, contorta, ſalebroſa) ut ſtatim omnem Cujacianam eruditionis eodem de argumento copiam variis voluminibus adſperſam ſumma, conſtantique concordia ſuis locis conſtrictam procul ab omni diſſidio contemplaremur: profecto vix oculis fidiſſimis adducor, ut credam amaras atque has improbas vigilias uni Viro referri acceptas. Quantis maximis gratulationum ſignificationibus Auctorem mactabunt tum cives, tum ſapientes alienigenæ, & ab amicis ipſi lætiſſime accipiemus, & ab longinquis, ac peregrinis famæ rumoribus. Exhilaratus ſane ſum hujus Promptuarii apparandi palmam non ereptam ſagaciſſimi Viri Neapolitani curis, quæ jureconſulto noſtrati merito ſervabantur, quippe Neapolitani fori ſapientia, ac fama, quæ jam pridem longe gentium penetravit, nunc ob hujus operis celebritatem incaleſcet magis, ac inſurget. Addendum neminem unum iturum inficias ad hoc negotium tam arduum, tam contumax, niſi ſi quis interiorem legum ſcientiam apprime percalleat, ad aggrediendum in perditis, ac deſperatis habeat neceſſum eſt: quantus autem jureconſultus, & in jure ad reſpondendum, ad agendum, atque ad cavendum peritus ſit Albanenſis, fatemur univerſi vel ex eo, quod in tanta litium multitudine, & varietate cauſarum, in queis diuturnam operam collocavit ſuam, univerſæ bene, atque ab omni laude ei ceſſerunt, excipias tamen bene multas, quas domi facile perditum ivit, ſcilicet quibus lubens nuntium miſit, utpote non ex imperio, & præſcripto legum. Præterea, Princeps Eminentiſſime, gratulandum etiam Eccleſiaſticis Ordinibus, queis, adjuncta hujus Promptuarii ope, atque auxilio, familiaris magis, ac domeſticus nulli dubitamus, quin futurus ſit Cujacius, præſertim in exquiſitiſſimis, quæ ad res ſacras exornandas conſcriptæ, ſacrique ſunt inſtituti, obſervationibus, quando nunc eiſdem ſimul paratiſſimæ, & veluti in unum aggeſtæ locum proſtant. Igitur tam ingentis pretii Promptuarium, ut publicæ uſuræ ſit, Cardinalis Ampliſſime, Auctori de legali re operoſiſſime merito impertienda non ſolum matura facultas, ſed & quæ plena ſit auſpicatiſſimæ dignitatis tuæ. Neap. prid. Idus Aug. 1763.

Jacobus Martorellius omni officio venerabundus.

Attenta præfata relatione Domini Reviſoris imprimatur. Datum die 15. Auguſti 1763.

PHIL. EPISC. ALLIFANUS VIC. GEN.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

Source : BIU Cujas

Magn. U. J. D. D. Bernardus Ambroſius in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor revid eat, & in ſcriptis referat. Datum Neap. die 21. menſis Julii 1763.

NICOLAUS DE ROSA EPISC. PUT. CAP. MAJ.

S. R. M.

QUod Callimachus apud Athenæum veriſſime pronunciavit, *magnum librum, magnum eſſe malum*, nemo ad noſtram uſque ætatem reviciſſe mihi videtur, præter unum Jacobum Cujacium; cujus opera & numero plurima, & mole maxima, non modo litteratorum hominum nec pluteos onerant, nec deſideria explent, ut contra anxie quæſitum ubique ſit, num quidquam aliud is, præter jam edita, chartis illeverit. A veritate non aberrabit, ſi quis, Semonem illum plura legiſſe, quam alii viderint, plura quam alii ſcripſerint, ingenio ſuo comprehendiſſe, ac plura denique, quam ullus hodie ſit lecturus, ſcripſiſſe, cum Heineccio affirmabit. Nil pulchrius itaque iis, quæ nobis reliquit juris a ſummis Conditoribus Interpres primus & ultimus, quo veraci elogio eum donavit P. Pithoeus. At nihil iis æque difficilius. Ut enim omittam ſcribendi genus prope exlex, & uni undique exuberantis doctrinæ copiæ inſerviens, locutiones non obvias, verba intermortua & obſoleta, quibus omnibus Cujacius delectatur; crucem vel doctiſſimis figit rerum ordo abſtruſiſſimus, & a Tribonianea Compilatione plerumque diverſus. Dum enim Africanum, Scævolam, Papinianum, & alios, quos Tribonianus, velut Abſyrti membra, truncatos, diſcerptoſque nobis reliquit, in integritatem redditos, ac pene redivivos nobis ſiſtere Cujacius ſtudet, facere non potuit, quin prorſus aliam a Tribonianea viam iniret. Quod ſi experti didicimus, quam acceſſu facilis non ſit ipſa Juſtinianea Collectio omnium manibus trita, & cui a primis legum elementis aſſueſcimus; dici vix poteſt, quot pauci epoptæ ad Cujaciana ſacra poſſint admitti. Accedit, quod in iis ipſis Commentariis, quæ Triboniani veſtigiis inſiſtunt, reſtibilem ſapientiæ fœcunditatem continere impotens, ita incedit, ut viæ diverticulis ſcateant, ſors acceſſionibus creſcat, & mantiſæ non ſemel vineant obſonia. Nulla ferme ejus lucubrationum pars eſt, quæ leges permultas fugitivas, & ab ea, quam peragrat, regione aberrantes non exponat, ut in lectorum oculos ea magis incurrant, quæ minus expectabantur. His adde Accurſianarum Gloſſarum omnium vel caſtigationes, vel commendationes tot voluminibus ſparſim disjectas, ac veluti in Oceano, faſtidioſiſſimo piſcatu, exquirendas. Hæc & alia iis tantum ignota, quibus ſero in Orbe natis Cujacius numquam eſt viſus, dubium faciunt, pulchriora, an difficiliora ejus opera ſint habenda: adeout antiquiſſimum, ipſique Soloni tributum adagium *difficilia quæ pulchra*, nulli aptius congruat rei, quam Cujacianæ lectioni. Sed ejus pulchritudinem auxit, ſuſtulit difficultatem Dominicus Albanenſis, qui inter JCtos non ficti Herculis nomen & præconium meretur. Is enim primo leges omnes totius Juris Corporis in principia & paragraphos diſtinctas, additis Vulgatæ & Florentinæ editionis variationibus, in eum digeſſit ordinem, qui ipſum Tribonianum in admirationem raperet. Eadem cura diſpoſuit Libros Juris Feudalis, eoſque Decretalium Gregorii IX. qui Cujacium interpretem habere meruerunt. Mox iis omnia omnino Cujacianorum operum loca ſubdidit, quæ vel uni juris voculæ ſive directam, ſive reflexam affundunt lucem. Tum ne tot laborum fructus nemo non particeps eſſet, non dubitavit, celebriores Cujacii Editiones conferre, & in eam concordiam redigere, ex qua in omnes illas, Promptuarii ſui utilitas poſſet diverti. His non fabuloſas ærumnas devorare unius erat Viri, qui a teneris unguiculis Corpori Juris, & Cujacianis operibus uſu & mancipio ſe dedidit, & cum utroque univerſæ Sapientiæ Theſauro (unius Sacri Codicis Divinitati poſthabendos) tantam iniit familiaritatem, ut jus ſibi quæſierit allegendi, admittendique alios quoque ad eam converſationem, Platonis, Xenophontis, & Athenæi Sympoſiis pluſquam mille paraſangis anteferendam. Tantum igitur abeſt, ut in hoc æternitate digniſſimo Promptuario vel minimus cenſuræ ſit locus, ut potius in ejus numquam ſatis laudando Auctore demirari ſæpe amem exemplar hominis Chriſti fidem, Chriſtianoſque mores, non inanibus verbis, ſed factis Hieromartyrum conſtantiam æquantibus præſtantem, dum opum pretioſiſſimarum, quibus comparandis tamdiu ſudavit, & alſit, uſum non ſibi uni ſervat, ſed omnibus expromptam, facilemque copiam facit. Neapoli Nonis Sextilibus A. CIↃIↃCCLXIII.

Bernardus Ambroſius.

Die 31. Menſis Auguſti 1763. Neapoli.

Viſo Reſcripto Suæ Regalis Majeſtatis ſub die 27. currentis menſis, & anni, ac relatione U. J. D. D. Bernardi de Ambroſio de commiſſione Reverendi Regii Cappellani Majoris ordine præfatæ Regalis Majeſtatis.

Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reviſoris; verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum.

GAETA. PERRELLI. VARGAS MACCIUCCA.

Ill. Marchio Citus Præſes S. R. C., & Spectabilis Caput Aulæ Fiori tempore ſubſcriptionis impeditis.

Reg. fol. 97. a t.
Carulli.

Athanaſius.

BER-

Source : BIU Cujas

PROMPTUARIUM

UNIVERSORUM OPERUM

JACOBI CUJACII

Lectionibus variantibus Codicis, Novellarum Constitutionum, Institutionum Divi Justiniani, Feudorum, & Lib. II. III. & IV. Epistolarum Decretalium Gregorii IX. accommodatum

CURA, ET INDUSTRIA

DOMINICI ALBANENSIS

IN SUPREMIS REGNI NEAPOLITANI TRIBUNALIBUS CAUSARUM PATRONI.

TOMUS SECUNDUS.



NEAPOLI MDCCLXIII.
EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA
SUPERIORUM FACULTATE.

Source : BIU Cujas

Nisi utile est, quod facimus, stulta est gloria.

Phædr. Fab. 17. *lib.* 3.



O P U S

In binos Tomos distributum.

TOMUS PRIMUS

Omnes Pandectarum Leges complectitur, eisdemque respondentes Cujacii Observationes, Notas, Consultationes, ceterosque tanti Viri Commentarios indicat.
Insuper conspersas continet in nonnullas Leges Annotatiunculas, quibus ex mente, & judicio Cujacii aliqua præcipue Accursii glossemata, vel approbantur, & commendantur, vel, ut non raro, improbantur.

TOMUS ALTER

In Prima sui Parte pari ordine, & contextu Leges, & jura exhibet Codicis, Novellarum Constitutionum, Institutionum Imperatoris Justiniani, Feudorum, & Libri II. III. & IV. Epistolarum Decretalium Gregorii IX.
Accedit Secunda Pars singulis quoque locis Promptuario respondens; habetque integra hactenus desiderata

OPUSCULA

Alexandri Scot, Cujacii Alumni, Osiii Aurelii, ac Dominici Gentilis Neapolitanæ Academiæ Antecessoris egregii, qui pro Cujaciana Jurisprudentia, & doctrina contra varios ejus virtutis æmulos pugnam inierunt.
Appositis in principio cujuslibet Tomi Indice Titulorum, & Legum omnium; Nec non Tabula Chronologica ipsius Cujacii Operum, quo scilicet tempore ea elucubraverit, vel in lucem ediderit; eorumdemque ab anno 1584. ad hanc ætatem celebriorum editionum.
Qua deinde Tabula duce, Promptuarium non tantum Neapolitanis Editionibus, super quibus hoc opus potissimum elaboratum est, promptissime inserviet; verum etiam facili negotio erit usui Exteris, ac Vetustioribus in Tabula annotatis.

Source : BIU Cujas

O P U S

In binos Tomos distributum.

T O M U S P R I M U S

Omnes Pandectarum Leges complectitur, eisdemque respondentes Cujacii Observationes, Notas, Consultationes, ceterosque tanti Viri Commentarios indicat.
Insuper conspersas continet in nonnullas Leges Annotatiunculas, quibus ex mente, & judicio Cujacii aliqua præcipue Accursii glossemata, vel approbantur, & commendantur, vel, ut non raro, improbantur.

T O M U S A L T E R

In Prima sui Parte pari ordine, & contextu Leges, & jura exhibet Codicis, Novellarum Constitutionum, Institutionum Imperatoris Justiniani, Feudorum, & Libri II. III. & IV. Epistolarum Decretalium Gregorii IX.
Accedit Secunda Pars singulis quoque locis Promptuario respondens; habetque integra hactenus desiderata

O P U S C U L A

Alexandri Scot, Cujacii Alumni, Ossii Aurelii, ac Dominici Gentilis Neapolitanæ Academiæ Antecessoris egregii, qui pro Cujaciana Jurisprudentia, & doctrina contra varios ejus virtutis æmulos pugnam inierunt.
Appositis in principio cujuslibet Tomi Indice Titulorum, & Legum omnium; Nec non Tabula Chronologica ipsius Cujacii Operum, quo scilicet tempore ea elucubraverit, vel in lucem ediderit; eorumdemque ab anno 1584. ad hanc ætatem celebriorum editionum.
Qua deinde Tabula duce, Promptuarium non tantum Neapolitanis Editionibus, super quibus hoc opus potissimum elaboratum est, promptissime inserviet; verum etiam facili negotio erit ulni Exteris, ac Vetustioribus in Tabula annotatis.

Source : BIU Cujas

PRÆFATIO



Uum ſat multa de Inſtituto, Methodo, facilique Promptuarii noſtri uſu in Præfatione Tomi primi ſint dicta, pauca ſunt, quæ in Tomi hujus aditu, & quaſi veſtibulo, præfari oporteat. Dividitur is in duas partes, quarum prima continet *Libros XII. Codicis Juſtiniani*, *Novellas Conſtitutiones*, *Quatuor Libros Inſtitutionum*, *Jura Feudalia*, *& Epiſtolas Decretales Gregorii IX.* Secunda habet Opuſcula *Alexandri Scot*, & Cujacii alumni, *Oſii Aurelii*, *& Dominici Gentilis* in Neapolitana Academia anteceſſoris egregii, qui pro *Jacobi Cujacii* ſententia pugnam inierunt contra varios ejus virtutis æmulos de quibus dictum eſt in alterius Tomi Præfatione ſub num. XVII.

I. Diviſio Tomi II. Promptuar. in duas partes, quarum prima continet libros XII. Codicis, Novellas Conſtitutiones, Inſtitutiones, Feuda, & Epiſtolas Decretales.

His accedit aliud Opuſculum recens editum, & inſcriptum *Cujacius vindicatus adverſus quaſdam Conjecturas Jacobi Gothofredi*, *& Gerardi Noodt* in interpretamento L. penult. C. ad L. Cornel. de Sicar. *Tum contra nuperrimam expoſitionem Cæſaris Guaraſii a Jacobo Revardo jam antea excogitatam*.

II. Secunda pars habet Opuſcula Alexandri Scot. Oſij Aurelij, Dominici Gentilis, Opuſculum recens editum Cujacius vindicatus in interpretam. L. pen. C. ad L. Cornel. de Sicar.

Inſuper in fine hujus Tomi collocatæ ſunt Emendationes errorum, qui irrepſerunt in Editionem Neapolitanam anni 1722. (ſuper qua Promptuarium potiſſime elaboratum eſt) omnium Cujacii Operum, cuique ſimilis eſt Editio anni 1757.

Emendationes errorum, qui in editionem Cujacii anni 1722. in citandis legibus irrepſerunt.

In præliminaribus exhibentur Indices laudatorum Jurium (videnda quæ de his Indicibus, & Accurſii Gloſſis monui altera Præfatione a num. IX. ad XII.) eademque ſubinde proſtat Tabula Chronologica, ſeu Concordantiæ, præpoſita primo Tomo in Pandectas, & de cujus uſu ſat dictum eſt in eadem Præfatione ſub num. XIV. & XV. neque hic aliud remanet, niſi de ſingulis, quæ ſubjiciuntur Juribus, aliqua ad hujus peculiarem Promptuarii ſtructuram, & utilitatem pertinentia, adhuc præmonere.

III. Indices Jurium, quæ hoc Tomo continentur & Tabula Cronologica initio exſtant.

I. Codex Repetitæ Prælectionis.

Duodecim is libris continetur, exemplo fortaſſe duodecim Tabularum, ut multi opinantur. Priores novem, cum Accurſii gloſſis, exhibentur unico ſub Volumine in Editione, quam habeo, apud *Junctas* anni 1621. Poſteriores tres proſtant altero Volumine, quod inſcribitur *Volumen Legum*, ſeu *Authenticum* pariter apud *Junctas* excuſum anno 1591. Hicque, poſt Jus Longobardorum, exſtant Leges quamplures ad illos poſtremos Codicis Libros pertinentes, quarum bene multas ex variis Græcis Conſtitutionibus reſtituit nobis Antonius Contius; quod & idem ope Baſilicorum præſtitit Cujacius ſub variis ejuſdem Codicis Titulis.

IV. Quot in voluminibus Jura Codicis continentur.

Leges additæ illis tribus Codicis Libris deſiderantur in aliquibus Codicibus aliarum editionum, etſi formæ ſint amplioris, ut mihi contigit obſervaſſe in Lugdunenſi anni 1627. ubi deſunt Leges Longobardæ, Conſtitutiones Leonis, aliorumque Orientis Imperatorum, & Epitomata Juliani Patritii celeberrimi Urbis Conſtantinopolitanæ Anteceſſoris ad multas, variaſque novellas conſtitutiones Juſtiniani.

V. In aliquibus Codicis editionibus deſiderantur plurimæ leges.

Dionyſius attamen Gothofredus, & Cujacius noſter unico contextu, ſeu volumine Libros omnes XII. perpetua ſerie agnoſcunt, & laudant. Sed adhuc quod ad primi Libri priores tres Titulos attinet, quam maxima varietas occurrit numerorum inter Gothofredi, Cujacii, Vulgatique Codicis lectionem. Habet hic enim primum Titulum de *Novo Codice faciendo*: alterum de *Juſtinianeo Codice confirmando*: poſtremum *de emendatione Codicis Domini noſtri Juſtiniani*: & ſub unoquoque Titulo Legem unicam: quæ eædem ſunt Conſtitutiones, quas Cujacius, Gothofredus, & plerique Eruditi, nullo præfixo numero exhibent in præfatione ad eundem primum Codicis Librum.

VI. Gothofredus, & Cujacius omnes libros Codicis perpetua ſerie agnoſcunt.

Et hinc ſuboritur variatio ſequentium Titulorum in tota fere ſerie primi Libri.

Source : BIU Cujas

VII. De variatione titulorum inter Cujacii, & Gothofredi lectionem.

Libri. In lectione namque Cujacii, & Gothofredi primus Titulus est de *Summa Trinitate, & Fide Catholica*. At in Codicibus vulgatis Titulus idem indigitatur sub num. IV. & sic de ceteris ad Titulum usque XXXIX. *De Officio Comitis Sacri Patrimonii*. Titulus enim hic ex Goth. numerum non habet, eumq. Cujacius attulit sub num. XXXIV. Aliæ insuper varietates occurrunt in ulterioribus Titulis. Attamen, cum omnes peculiari studio adnotatæ sint in Promptuario, & non modo quæ ad primum spectant Librum singulorum Titulorum; sed ad posteriores quoque ceterorum Librorum Titulos; hic propterea opus non est singulas recensere, sed tantum monere, varias quoque esse lectiones circa numerum, & initialia verba quarundam Legum in aliquibus duodecim Librorum Titulis, ex causa præcipue Græcarum aliquot Constitutionum ope nunc Promptuarii mei in concordantiam reductarum, eodem fere ordine, quem tenui in variationibus Florentinæ, Vulgatæq. lectionis Pandectarum, de quibus memini me dixisse sub num. VII. primæ Præfationis. Nisi placeat dicere, variantes in Codice lectiones Legum, ex multitudine Exemplarium vetusti ævi in Codices ipsos facillime irrepsisse.

VIII. Irnerij Authenticæ extant quoque in Codice & erroribus scatentes.

In ipso etiam Codicis Volumine variis sub Legibus occurrunt aliquot Irnerii Authenticæ, super quibus Cujacius perraro differit, uno dempto singulari loco, de quo mox. Multas harum Authenticarum scatere vitiis, Viri doctissimi monstrarunt. Conradus Ritterhusius in promulside errorum Irnerianorum (quæ accurante Gregorio ejus Filio prodiit, & annexa est recentiori *Expositioni Novellarum methodicæ* Argentorati 1669. in 4.) docuit, quadraginta Authenticas partim falsas, partim impertinentes, partim loco non suo positas. Et Joannes Jacobus Vissenbachius eodem modo quindecim Irnerii errores perstrinxit in sua Sylloge errorum Irnerianorum; graviterque conqueritur, eum perperam descripsisse quamplurimas Authenticas, alias in alienum locum transtulisse, & oscitanter confarcinasse. Alii in aliam abiere opinionem.

IX. Cujacii judicium de authenticis.

De his vero Authenticis, tam Irnerii, quam Martini, Cujacius luculenter loquitur in Comment. ad LL. 7. & 8. C. de secund. nupt. (in Edit. Neapol. Tom. IX. col. 473. lit. C. D.) his valde notandis verbis, utpote æque ad rem, de qua agimus, Irnerianarum Authenticarum, seu Martini, ac ad Epitomata Juliani Antecessoris, de quibus dicetur in fine n. XIV. aptissime pertinentibus. Inquit igitur Cujacius. *Et excipitur tantum portio, quam ex pacto convento, non ex lege in tabulis nuptialibus sibi recepit in casum amissi filii, vel filiæ prioris matrimonii, in casum ἀωωδιὰς*, (orbitatis), *Novell.* 22. *Quod in ea Novella* JULIANUS ANTECESSOR *perspicue interpretatur. Et in hac re explicanda, ejus authoritate utitur Accursius in auth. Sed etsi quis, quod inseruit in hunc titulum Irnerius vel Martinus. Nam quæ ex Novellis breviter legitis sparsa per hunc Codicem, ea digessit partim Martinus, partim Irnerius, ut significat Glossa l. Fratres supra de inoff. testamento. Et ita, ut dixi, in Auth. Sed & si quis inserta in hunc titulum, Accursius explicandæ huius rei gratia utitur authoritate Juliani, non nominans quidem Julianum, sed ita scribens*, ut in Nov. de mul. quæ post mort. mar. c. nullam post hac, & de his qui ad sec. nupt. mig. c. nulla licentia. *Sed semper Accursius, cum citat Novellas, intelligit Julianum Antecessorem; qui Novellas Justiniani latine, & breviter exposuit, vetus Auctor, & brevissimus, quo carere non debemus, si volumus intelligere jus novissimum. Ipsas autem Novellas Justiniani, quæ sunt fusiores, & copiosiores, Accursius nominat semper Authenticas, l' Original, non Novellas.*

Utcumque se res habeat, de erroribus Irnerii apud Rittherfusium, & Wissenbachium, quique ab iis magni quidem nominis Auctoribus decerni poterant, vel saltem conjici, communes cum Martino, altero illarum Authenticarum compilatore (& non modo cum Martino, sed etiam cum Alberto, & Bulgaro; si verum est, quod asseritur in Indice Authenticarum inter alios Indices Titulorum & legum in Editione apud Junctas, Albertum nempe, & Bulgarum, alias suas quoque Justinianeo Codici inseruisse Authenticas), certe errata ipsa lucem mihi attulerunt hac in Promptuarii parte perficienda, perutiliter scilicet arbitrandi, ut quotiescumque de Authenticis omnibus sive Irnerii, sive Martini, aliorumque, occurrat mentio, Eruditos remitterem ad Cujacii sententiam eruendam ex pleniori

Source : BIU Cujas

niori expoſitione, quam ipſe ſingulis Novellis præſtitit; & a quibus, tamquam a fontibus, Authenticas omnes deſumptas eſſe conſtat; Quod feci, indigitatis in Promptuario, non modo numero Capitis juxta meliorem Lectionem Gothofredi, ſed etiam initialibus verbis Paragraphorum ad Lectionem vulgatam pertinentibus uniuſcujuſque Novellæ. Et hinc id ſaltem utilitatis eveniet, ut minime fidendum ſit Authenticæ illi, quæ a ſenſu Novellæ, ex qua deſumpta eſt, vel diſcrepet, vel aberret. Niſi forte putandum eſſet, Authenticam a Novella recedentem, uſu, & obſervantia, majorem obtinuiſſe auctoritatem.

X. Authenticæ citantur non modo numero capitum, verum etiam verbis initialibus.

Omnium inſuper Titulorum, & Legum Codicis, Authenticarum Irnerii, ſive Martini, Alberti, & Bulgari, & aliarum quoque Authenticarum, quæ tribuuntur duobus Fridericis Imperatoribus Indicem efformavi hic pag. 13. ſimilem Indici Pandectarum, de quo loquitur prima Præfatio num. XII.

XI. Proprius Index Codicis, & Authenticarum extat pag. 13.

II. Novellæ Conſtitutiones.

OMnes has Novellas, de quibus hic ſermo occurrit, græco idiomate fuiſſe conſcriptas, recte monet Jo: Fridericus Homberg in præfat. Novell. verſu *præmiſſa*. Nec obſtat hodie deſiderari in aliquibus Novellis græcum textum, cum potius eum periiſſe cenſendum ſit. Novellas 17. & 66. in latinum ſermonem quoque verſas, author eſt nobis Juſtinianus in eadem Novella 66. cap. 1. ſub §. *alteram* 2. ubi duo Conſtitutionum exempla, unum ſcilicet græce, latine alterum, ſe perfeciſſe teſtatur.

XII. Novellæ conſtitutiones quo idiomate ſcriptæ fuerint.

Præter has duas, alias quoque latine promulgatas fuiſſe, Antonius Auguſtinus in Paratitlis ad Novellas, rectiſſime conjicit.

Hiſce omnibus Novellis Juſtinianus non modo prædeceſſorum ſuorum jura, ſed & propria immutavit: quibuſdam inſuper ſuis Novellis, novis Conſtitutionibus ei placuit derogari, & quod prius ſtatuerat, immutare. Non omnes item Novellas Juſtiniano tribuendas optime arbitrati ſunt viri doctiſſimi Antonius Auguſtinus, Henricus Agylæus, & Henricus Scrimgerus. Quædam enim, ut Novella 117. 140. 144. & 149. a Juſtino *juniore*, aliæ, nempe *161. 163.*, & 164. a Tiberio, poſt Juſtinianum Imperatoribus, promulgatæ ſunt. Nec etiam Juſtiniani fuiſſe Novellas *166. 167. & 168.*, quibus totus Novellarum numerus apud complures Eruditos abſolvitur, ſed, ipſo Juſtiniano approbante, deſumptas ex Eparchicis, ideſt Libris qui generales formas, ſive Edicta Præfectorum Prætorio continebant, nemo ambigit cum Cujacio *lib. 6. obſervat. cap. 10.*

XIII. Quid Juris Novellis fuit immutatum & unde deſumptæ ſunt.

Quod ad Collationes attinet, quibus univerſæ Novellæ cum ſuis titulis clauduntur, maxima varietas obtingit inter Vulgatam, Gothofredum, & Cujacium. In Volumine enim Authentici, aliqui Codices vulgati (ut eſt editus apud Junctas anno 1591., quo utor) decem afferunt Collationes; quarum novem habentur poſt tres Libros Codicis poſtremos; & ſubinde additur decima Collatio, quæ continet Conſtitutiones in ſuperioribus variis Collationibus prætermiſſas.

XIV. Novellæ claduntur ſub Collationibus & variantibus lectionibus titulorum: Ope nunc Promptuarij lectiones variantes Authentici, Gothofredi, Cujacii, & Juliani in unum ſunt congeſtæ.

Gothofredus Conſtitutiones decimæ Collationis reſtituit præcedentibus Collationibus in ſuperioribus novem prætermiſſis. Idem (ut de aliis taceam editionibus) obſervatur in Volumine Authentico editionis Lugduni 1627. Cujacius de ſingulis Conſtitutionibus fuſe, & luculenter loquitur in Expoſitione Novellarum, nulla tamen indigitata Collatione: quinimo, ut plurimum, immutatis verbis, non ſenſu Titulorum, quibus diſtinguitur lectio Codicis vulgati, & Gothofredi. Tituli namque, ut Cujacius ipſe lib. 20. Obſervat. Cap. 23. monet: *neque certum, neque veterem ullum Auctorem habent, quoniam vel eos pro ſuo ingenio ſibi ſtudioſus quiſque fecit, vel ſumpſit ex Baſilicis, ex quibus, qui pertinebat ad tres, aut plures Novellas, eum numquam aptavit inepte.*

Cujacius deinde ſic fatur in expoſitione Novellæ 69. Tom. 2. col. 1110. lit. E. *Porro huic Novellæ locus eſt tam in civilibus, quam in criminalibus cauſis, ut recte Julianus, & Joannes, & Accurſius ſentiunt: & tituli latior inſcriptio probat, quamquam (ut verum fateamur) non ſit ex titulis Novellarum neceſſaria argumentatio, propterea quod arbitrio ſunt ſtudioſorum, non auctoritate Juſtiniani confi-*

Source : BIU Cujas

conflicti, & idcirco tam varii, alii Juliano, alii veteri Interpreti, alii Haloandro, alii Scrimgero, alii Basilicis, alii Indici nostro, quo maluimus uti.

Index hic Cujacii (quem, ut ipse inquit in fine præfationis ad expositionem Novellarum Tom. 2. col. 1018. lit. A. excerpsit ex Bibliotheca Reginæ, utpote breviorem, aptioremque ceteris) ut plurimum alter est ab illis, quibus utitur Gothofredus in suo Indice, collatis ad marginem tribus aliis Voluminibus Novellarum, nempe Scrimgeri, Haloandri, & Juliani Antecessoris.

Sed miror, cur Gothofredus in suo perutili Opere Juris Novellarum omiserit recudi tota Juliani Epitomata ad Novellas Justiniani; fueritque contentus in laudato suo Indice Julianum invocasse, ut & in altero subsequenti Indice, aliquot nempe Constitutionum Justiniani, Justini, & Tiberii excerptarum ex libro Juliani ipsius Antecessoris.

Quod de Juliano dictum est ex Cujacii judicio sub numero IX. hujus Præfationis, poterat quidem commovere eruditissimum Gothofredum, ut Julianum non indigitaret solum in Indicibus, & Notis ad Justiniani Novellas, sed ut integra præstaret illius doctissimi Antecessoris opera; eo vel magis, quod in plenioribus Editionibus opera ipsa evulgata conspiciantur, & quidem accuratissime. Julianus namque mirum in modum verbosas quasdam Justiniani Præfationes Novellis adhibitas contraxit, lucemque attulit quibusdam salebrosis, difficillimisque Justiniani Constitutionibus. De tanto viro altero singulari loco perspicue loquitur Cujacius Obs. VIII. c. 40. Tom. 3. col. 218. lit. A., inquiens: *Veterem Interpretem Novellarum rejiciunt, & aspernantur temere omnes: quod equidem fero iniquo animo, cum propter antiquitatem (crediderim enim Græcum fuisse, qui non multo post editionem Novellarum rogatus Occidenti latinam interpretationem donaverit) tum propter eruditionem hominis.* Operæ pretium propterea duxi variantes lectiones omnes titulorum, nempe Voluminis Authentici, Gothofredi, Cujacii, & Juliani in unum sub unoquoque titulo congerere, ut facillime inde inspiciatur non modo sensus interpretationum Glossarum Accursii, Cujacii, Gothofredi, & Juliani, quas singuli præstiterunt Justiniani Novellis, sed & discrimen uniuscujusque numeri Novellis præfixi, & quomodo ex tam multiplici, variaque lectione iidem tituli vel discrepent, vel consentiant.

XV.
Quæque Novella habet Præfationem capita, seu §§. & Epilogum.

Unaquæque Novella constat Præfatione, Lege in diversa capita, seu §§. distributa, & Epilogo. Capitum, seu paragraphorum, eorumque initialium verborum omisi peculiarem indicationem in promptuario, diverso proinde ordine, quem tenui in paragraphis Legum Pandectarum, & Codicis. Satis enim superque esse arbitratus sum illorum Capitum, seu paragraphorum meminisse iisdem in locis, in quibus eos Cujacius obiter retulit, & indicavit.

Ceterum quod ad capita, seu §§. pertinet, & de quibus pertractat Cujacius in principali expositione alicujus Novellæ, sat quoque est adire singulas uniuscujusque Novellæ expositiones.

Præterea Cujacius (ut Eruditorum moris est omnium) ubi obiter de Novellis verba facit, numquam earumdem titulos indigitat, sed tantum numerum: non raro insuper indigitat numerum tantum alicujus Novellæ, non capita, neque paragraphos ejusdem, quibus proprie, & peculiariter respondet ejus interpretatio. Et tunc non dubito, quin Eruditi, tota illius Constitutionis lege perspecta, Cujacii sensum exposcant a Textu ipso, & præcipue ab illo seu capite, seu §. a Cujacio non indicato. Quod vellem præmonuisse in prima Præfatione, utilissimum esse ad sensum investigandum omnium legum Corporis Juris.

XVI.
Indicem Novell., numericum, & per initialia verba exhibet Promptuar. pag. 55.

Quod deinde spectat ad Indicem, quem efformavi earundem Constitutionum, numericum nempe, & per initialia verba omnium variantium Titulorum, ab Authentico, Gothofredo, Cujacio, & Juliano excerptorum, id non inutiliter præstat hoc Promptuarium pag. 55.

Source : BIU Cujas

III. Institutiones Justiniani.

XVII. Quibus in locis de Institutis tractat Cujacius.

QUatuor Institutionum Libri præcipue à Cujacio illustrantur tribus in locis; In Notis nempe prioribus, & posterioribus, & in Scholiis, de quibus omnibus dixisse sit satis num. 1. & 61. Tabulæ Chronologicæ præpositæ Tomo 1. & secundo Promptuarii.

In Volumine Authentico suam habent sedem Institutiones post Imperatorias quasdam Constitutiones. Ex variis collatis duodecim Codicibus tam manuscriptis, quam impressis, Christianus Gothlib. Schuuartius sua accuratissima Scholia philologica excerpsit, & in lucem edidit Lugduni Batavorum anno 1639. ibique satius sit conferre utilitatem, quæ ad rem Institutionum, variamque quorumdam sive Paragraphorum, sive Rubricarum lectionem pertinet.

XVIII. Institutiones constant quatuor libris: variis titulis seu Rubricis & §§.

Constant igitur Institutiones Libris quatuor, Tituliſque variis, seu Rubricis & sub unaquaque Rubrica Paragraphis. Rubricæ nihil aliud sonant, quam aut Titulos ipsos, quos minio notare Veteres solebant, aut priores elocutiones Titulis adhærentes, & hinc apud Juvenalem Satyr. 14. *Rubræ majorum leges*, & apud Persium Satyr. 5. vers. 90.

Præsertim si quid Masuri rubrica notavit.

XIX. Quid significat Rubrica.

Cujacius in Commentario Libri LXIII. Pauli ad Edictum (in edit. Neap. Tom. 5. pag. 793. Lit. D.) de L. 2. ff. de Interdict. verba faciens, Rubricam, & Titulum pro eodem habet, quod scilicet notaretur minio, & croco, ibique affert illud Martialis *Et croco rubeat superbus Index*; nec non aliud Ovidii

Nec titulus minio, nec cedro charta notentur

Additque alterum Prudentii effatum lib. 2. contra Symmachum *Cur rubricæ miniantur? Quia prohibent peccare reos.*

Ex his arguit Colerus in Thesauro Juris Everardi Ottonis cap. 37. Parergorum, rubricas ideo minio conscriptas, cum sit color proximus sanguineo, ut leges scilicet viderentur sanguineum quoddam, & horrendum minari, ac proinde Draconem non atramento, sed sanguine Leges suas scriptitasse, quod maximæ severitatis, & minarum plenæ essent.

Ut ut se res habeat, hic, quoad usum Promptuarii respicit, monendum censeo, me quoque appellasse Rubricas, priores Cujacii elocutiones titulis cohærentes, & non modo Institutionum, sed & Codicis. Cæterum Cujacii Præluſiones, adhibitas in Commentariis ad Libros Papiniani, Pauli, Ulpiani, cæterorumque Jurisconsultorum appellavi Præfationes, ut & illas, quas Cujacius præposuit expositioni Novellarum, cæterisque Tractatibus.

XX. Quid denotat verbum paragraphus.

Institutionum Rubricis subjiciuntur Paragraphi. Hæc vox Paragraphus abest a puriori Latii sermone, barbariemque redolet, significat lineam in longum protensam, seu scripturam disjunctam, ac separatam, partemque Tituli, seu Capitis. Cur autem Paragraphus hac forma §. scribatur, videre est apud Ferrandum Adduensem lib. 1. Explic. num. 1. eodem in Thesauro Ottonis.

Dionysius Gothofredus de Institutionibus differit ante opus Pandectarum, quod & ipse feciſſem, nisi Promptuarium meum in Pandectas, & Codicem alium non expetiisset ordinem, sive chartæ ratio non fuisset habenda.

Gothofredus item, & Cujacius numeros, præmisere omnibus cujuscumque Tituli paragraphis, quod desideratur in Volumine Authentico, & plerisque Codicibus glossatis. Lectionem propterea numericam Gothofredi, & Cujacii in Promptuario anteferendam arbitratus sum, & varietatem initiis verborum occurrentem inter utramque lectionem peculiari studio indicavi.

XXI. Index Institut. habetur pag. 64.

Quod denique ad Indicem Titulorum omnium, Rubricarum, & Paragraphorum pertinet, eum pari ordine Indicis Pandectarum, & Codicis Promptuarium exhibet pag. 64.

Source : BIU Cujas

IV. Feuda.

XXII. De Feudis Cujacii judicium.

NUlla *eſt pars Juris pejori conditione, quam illa, quæ de Feudis eſt*, inquit Cujacius noſter epiſtola ad Thomam Redigerum præmiſſa libro 1. de Feudis (edit. Neapolit. Tom. II. Col. 1175.) & revera ita ſe res habet.

In Codicibus Vulg. ſeu Volum. Auth. Conſuetudines feudales duobus libris incluſæ, ſuum tenent locum poſt Conſtitutiones Leonis Imperatoris, & unicam Zenonis. Sequuntur deinde aliquot Tituli, quibus referuntur Conſtitutiones extravagantes Friderici II. Imperatoris. Poſtmodum, poſt leges additas tribus poſtremis libris Codicis, afferuntur Fragmenta, ſeu extraordinaria Feudorum Capitula a Cujacio nobis reſtituta ex Ardizone, & Alvaroto, de quibus hunc in modum perſpicue loquitur libro IV. de Feudis Tit. LXXII. de alienatione Feudi. Edit. Neap. Tom. II. col. 1304. lit. A. *Ab hoc Titulo incipiunt fragmenta, ſive extraordinaria Capitula, quæ nobis Ardizo, & Alvarotus conſervarunt, hactenus neglecta ab omnibus, ſed non minoris fructus, quam libri ſuperiores, quæ nos Titulis diſtinximus noſtro ingenio, non ope veterum librorum, ut ſuperiores omnes Titulos reſtituimus.*

De hac diviſione ſeu diſtinctione Cujacius meminit lib. 11. Quæſt. Papiniani ſub §. Papinianus l. 7. Solut. matrim. edit. Neap. Tom. IV. col. 294. lit. C. ubi inquit: *ut conſtat ex lib. 4. Feudor. tit. de fructibus Feudi. Ante noſtram diviſionem olim ij libri valde male dividebantur.*

XXIII. Jus Feudale quot in libris continetur.

Totum igitur Jus feudale Cujacius partitur in quinque libros. Liber I. Titulos complectitur triginta, & unum. II. Titulos viginti duos. III. duos tantum exhibet Titulos. IV. centum, & novem. Et V. varias habet Conſtitutiones Imperatorias ad Feudalia pertinentes.

Lectio tamen Vulgata, & Gothofredi, duobus tantum contenta eſt libris, & ſub unoquoque, Titulis ſuis, licet Gothofredus indigitet quoque Cujacii lectionem. Hincque propterea exoritur fere inextricabilis varietas non modo librorum, & Titulorum, ſed etiam Paragraphorum uniuſcujuſque Tituli, quod revera crucem figit eruditis, qui ſuper aliquo Capitulo, ſeu Paragrapho Vulgatæ lectionis, Cujacii ſenſum, ſeu tanti viri interpretationem exoptent. Et ipſe ego (qui citra vanam jactantiam, ob aſſiduam quamplurium annorum volutationem illius eruditiſſimi Viri, quodammodo familiaris dici poſſem Operum ejus) nullum, toto in hoc Promptuarii Opere, laborem huic ſimilem me devoraſſe fateor, conferendi ſcilicet Jus Feudale, & Cujacii interpretationes: quod dixiſſe memini, quum hæc peragebam, præſertim Jacobo Caſtellio olim Regio Conſiliario viro doctiſſimo, meique amantiſſimo, & res ipſa ſatis etiam ſuperque declarat, ac demonſtrat.

Promptuarium igitur quod ad Collationem, ſeu compilationem pertinet Juris Feudalis, tot tantiſque varietatibus impliciti, exhibet nunc viam facilem, & omnibus expeditam, reperiundi ſub unoquoque Libro, Titulo, & Paragrapho Cujacii interpretationem ſenſui reſpondentem Textus Juris Feudalis.

XXIV. Index Juris Feudalis extat pag. 71.

Quod deinde ad Indicem attinet, ſat eſt illum exhibuiſſe omnium Titulorum pag. 71., cum Paragraphos facile ſit reperire in Promptuario, ubi de hac re feudali agitur pag. 313.

V. Epiſtolæ decretales Gregorii IX.

XXV. Decretales quot in libris comprehenduntur.

QUinque in Libris Epiſtolæ hæ comprehenduntur. Cujacius de II. & IV. perfuſe agit, de III. totum ſuum non complevit Opus, & de I. & V. obiter aliquas præſtitit Interpretationes, ſcilicet in II. III. & IV. Libro, de quibus dictum eſt in Tabula Chronologica num. 57.

In Præfatione ad Librum IV. harum Epiſtolarum Decretalium (edit. Neap. Tom. VI. col. 1051.) monet Cujacius, Jus civile, & Pontificium, *duo eſſe Jura quaſi cognata, & inter ſe revincta communi quodam vinculo, adeo ut nec unum ſine altero conſtare poſſit.* Hac de cauſa ſe interpretationem ſuſcepiſſe Juris Pontificii teſtatur, ut videretur, qua parte unum ab altero diſcreparet, & qua *Jus*

Pon-

Source : BIU Cujas

Pontificium ſit proprium, neque diſcrepans, neque conſentiens cum Jure civili.

Opus ſane ſummopere utile, & perlaudandum, & longe alia ratione a Cujacio pertractatum, *quam vulgus Interpretum ſoleat* (verba ſunt Cujacii) *quorum culpa factum eſt, ut nihil hoc Jure rudius, nihil inſuavius, aut inſultius pleriſque videatur eſſe.*

COmpoſito toto Jacobi Cujacii Juriſconſulti, & præſtantiſſimi & diligentiſſimi opere: duo mihi ſupereſſe videntur tractanda, quæ collectam ſummis laboribus famam & εὐδόξιαν, tanti viri minuere: aut verius reliqui temporis ſpem lectoribus, Reique publicæ poſſent adimere, opinio ſcilicet & obſcuritas. Opinionem, quæ per hominum animos etiam de bonis viris pervaſerit, ita diſcrimen exiſtimationis parere, ut ejus commenta ſola dies delere poſſit, & ſciunt omnes, & rerum probat eventus: Nec raro ſtudioſi a bonis auctoribus falſa licet opinione avocantur: Obſcuritatis cauſam, ſi quæ in Cujacio eſt, non dictio, aut ordinis ulla immutatio, ſed ipſa rei gravitas & brevitas contulerunt. Cum enim innumeros cerneret Juris interpretes, & forte plures quam foret Reipublicæ neceſſarium: id primum explicare conatus eſt, quod vel omnes fefellit, vel erat ab omnibus prætermiſſum: non tam igitur rudibus explicationes legum, quam doctis judicia, quædam prætermiſſorum, aut errorum ſuppeditare ſtuduit, idque breviter, & ſuccincte. *Brevis eſſe laboro, obſcurus fio.* Verum cum ad tractandum, & explicandum leges ſe convertiſſet: uti docendo, ita ſcribendo: nemo diſtinctior, nemo clarior, in optimo illo ſuo preſſo & compoſito dicendi genere. Adauxit forte difficultatem, Græcorum frequentior uſus, cujus linguæ ignoratio, & veteribus, prioriſque ſæculi Juriſconſultis non parum nocuit: & noſtris etiam nocet plurimum. Sed hanc cauſam familiari Græcarum ſententiarum verſione, quæ in limine eſt cujuſve voluminis, ſubſtulimus in ipſo opere quicquam, niſi Cujacianum inſerere, nefas duxi. Reliquum igitur mei eſſe muneris exiſtimavi, etiam hac in parte defuncto feliciter præceptori meo ſuccurrere. Brevitas obſcuritaſque uberiori rerum explicatione tollenda eſt, & eam auctor ipſe, *ſi fata dediſſent*, tollere meditabatur. Multa diſcretis locis explicavit uberrime: cætera deinceps explicaturus. Nos igitur ab auctore explicata indicabimus, cætera ex auctoris mente, (modo prius de opinione) perſequemur: opinionem de Cujacio non dico iniquam, (cum ingenii ejus vires etiam inimiciſſimi prædicent) ſed obſcuriorem duo pepererunt, invidia æqualium, & quorumdam ſtilus malignior: aliorum vero, vel ſeverior, vel diligentior in ſcribendo calamus. Æquales enim, quos nactus eſt (cum Duarenum præſertim, tum alios præſtantes viros) cum Cujacium excellente opinione evolaſſe, ſeque relictos ſenſiſſent: non præſtantiam modo dignitatis, & fortunæ, ſed etiam æquabilitatem communis juris ægre tulerunt, ægritudini ſucceſſit invidentia, cujus eſſe omninm acerrimum motum dixit, & recte Tullius. Verum nihil jam habet Cujacius quod offenſione invidiæ deperdat. *Mors enim*, dixit orator, *cum extinxit invidiam, res geſtæ æterna nominis gloria nituntur.* Neque etiam ſcribentium malevolentia, aut ſeveritas egere mea videtur induſtria. Excellentium enim hominum virtus ad imitationem etiam ſua ſponte rapere ſolet; nec tanti viri laboribus & periculis parta dignitas, inſolentia forte vix ſani aliquando hominis, aut communi, & pervagato mortalium vitio minui poteſt: Ille certe feliciter ceſſit: nobis tamen credo conandum, ne qui auctorem ſuum fefellit error, vel faſtidium, præcipites etiam rapiat poſteriores; Hæc jam cura ſit. Qui igitur ſingularem hujus viri doctrinam ſectati ſunt, in tres videntur ordines ſtatuendi: Alii enim inſita ſibi ab adoleſcentia conſuetudine reprehendendi, in Cujacium irruerunt: Alii novitatis admiratione, cum non prius explicata, vel animadverſa tradi viderent, eum novitatis inſimulaverunt, & quaſi rerum novarum cauſas diligentius perquireret, reprehenderunt. Alii denique con-

(1) *Alexander Scot J. C. Auctor hujus Tractatus, fuit unus ex auditoribus Jacobi Cujacii; qui nedum pro Præceptore ſuo (& quidem jure merito) pugnam iniit contra varios ejus virtutis æmulos; ſed & diligentiam præſtitit Collectioni ejuſdem Cujacii Operum, in editione præſertim Lugdunenſi anni 1614., unde Tractatus hic depromptus eſt. Aptiſſimam inſuper verſionem, ſeu interpretationem Græcarum ſententiarum ad mentem Cujacii in unoquoque Commentario conſperſarum, adhibuit ac perfecit in limine ſingulorum Voluminum. Sicque in edit. Neap. anni 1722. ſatis feliciter peractum inſpicitur; quod in cæteris vetuſtioribus editionibus omnino deſideratur.*

Source : BIU Cujas

controverſarum ſententiarum opinionem diverſam, diverſo ſenſu, diverſaque ratione moti, ſequentes vel verecundius, vel ſeverius contrarias ſententias agitant. Primi ſola reprehenſione, vel etiam propter malignitatem (uti loqui ſolet Cujacius) ſcutica digni: Secundi, ſola ſententiarum uberiori explicatione mitigandi ſunt. Tertii denique, vel in probabili ſua ſententia relinquendi, vel ſi ſectantur ſeverius, rationibus ſunt ad probabiliorem opinionem traducendi: Tria hæc nos conamur: Sed de primo hominum genere prius eſt agendum. In hoc primus & quaſi princeps occurrit Joannes Bodinus, ſcriptor Gallicus, & non auditæ Reipub. inventor: & cujus malevolentiam jam multæ nationes imbiberunt. Hic dum nec ſacris parcit nec profanis: & antiquos omnes ſcriptores, & præter cæteros Ariſtotelem uti novæ ſuæ Civitatis, & novorum Civium hoſtes lacerat: eodem etiam genio Cujacium perſequitur. Quæ poſſent ſacra contingere advertit Antonius Poſſenus, e Societate Jeſu, vir prudens *lib.* 1. Bibliothecæ ſelectæ, *cap.* 26. in Cautione ad lib. de Rep. Joan. Bodin. in ſumma quid de ejus hominis ingenio exiſtimare debeamus, in priori quadam Cautione monet his verbis: *Quod de ingenio ſcriptisque Bodini quæ multorum manibus teruntur, exiſtimari poteſt, hoc eo magis ſcribendum eſt, quod rerum uſus, variarumque in homine ſcientiarum ſpecies incautis ſenſim inſtillat, Catholicæ religionis oblivionem, ut mitiſſime loquar. Et vero etiam magis, quod non ita pridem commendati ſunt Italicæ genti, verſi ab interprete aliquot ejus libri tamquam viri, ut vocat, diviniſſimi.* Ubi plura ejus non modo falſa, ſed periculoſa, ne dicam venenoſa etiam dogmata notat, & recenſet. Fabius Albergatus, Italicæ genti traditam ſcriptionem Florentinus, Italico etiam idiomate refutavit: Civilis diſciplinæ uti ejus gentis plerique vir doctus. Deliberavique diu ex ejus ſententia, An Bodinum (qui ſe omnium gentium, & nationum conſenſu jam multis ſæculis probatæ, & doctrinæ, & receptæ ſolus oppoſuit, & cujus omnes in pertractandis artibus, & ſcientiis ſubtilitatem hactenus mirati ſunt, ſolus evertere & reprehendere nixus eſt) non tam refutatione, quam miſeratione dignum dimitterem: conſtitui tandem, quod & in politicis fecit Albergatus: ne relictis ſanioribus cibis, novarum ſemper rerum avidus humanus animus fungos ejus appetat: etiam ad ea quæ rem noſtram tangunt, reſpondere.

De definitione magiſtratus, & an plures ejuſdem rei tradi poſſint definitiones.

CAP. I.

BOdinus lib. 3. Reip. cap. 2. quam ego vere ſoleo vocare Rempublicam, (quia ex publico desumpta eſt, licet Reip. pernicioſa) ſic differit, Cujacius, præter definitionem (magiſtratus) Ariſtot. tres allaturum ſe ſpopondit; ſic enim ille: *Magiſtratus*, inquit, *eſt perſona publica, quæ juriſdictioni præeſt: Vel quæ pro tribunali jus dicit. Vel quæ juriſdictionem, ac judicium publicum habet. Iſta quidem ratione quatuor futuræ ſunt unius, & ejuſdem rei definitiones: quo nihil eſt a Dialecticorum præceptis, ac doctrina, atque adeo ab ipſa natura magis alienum, quæ non patitur unius rei plures una definitiones eſſe:* Subtilis dialecticus hæc ex Ariſtotele ſubtiliter: qui ſexto lib. Top. quem ille citat, & cap. 3. Definitionum naturam explicans, cum propter ſcientiam tradi rerum definitiones concludat, ſic ſtatuit. φανερὸν ἂν ὅτι μὴ διὰ τούτων ὁριζόμενοι οὐχ ὥριται· εἰ γὰρ ὥριται πλείους ἔσονται τῷ αὐτῷ ὁρισμοί· δῆλον γὰρ ὅτι καὶ ὁ διὰ προτέρων, καὶ γνωριμωτέρων, ἔτι βέλτιον ὥρισται ὥστε ἀμφότεροι ἂν εἴησαν ὅροι τοῦ αὐτοῦ, καὶ δὲ τοῦτο δοκεῖ· ἑκατέρων γὰρ ὄντων ἔν ἐστὶ τὸ εἶναι, ὅπερ ἐστιν, εἰ πλείους ἔσονται τῷ αὐτῷ ὁρισμοὶ, τὸ αὐτὸν ἔσται τῷ ὁρισμένῳ τὸ εἶναι ὅπερ καθ' ἑκάτερον τῶν ὁρισμῶν. δῆλον τοῦτο. *Manifeſtum enim* (inquit Ariſtoteles) *qui per hæc* (notiora ſcilicet) *non definiverit, non definiet. ſi enim definiat, plures erunt ejuſdem rei definitiones. Certum enim quod qui per priora & notiora, etiam melius definiet. Sic ambæ erunt ejuſdem rei definitiones, quod non ita videtur. Cujuſque enim rei una eſt natura qua conſiſtit: At ſi plures ejuſdem rei fuerint definitiones, eadem erit rei natura; quæ utraque definitione explicatur.* Negat ne hoc loco Ariſtoteles unius rei omnino tradi plures definitiones: An vero plures ab anteriori? Definitiones propter ſcientiam inventæ ſunt, quæ etiam a poſteriori datur. eſtque Demonſtratio (cujus definitio ſemper medium eſt) ex poſteriori: Datur igitur & definitio a poſteriori: & plures igitur ejuſdem rei definitiones. At enim eæ dicet non naturam rei enodabunt, ſed illuſtrabunt tantum: hoc certe in Logicorum principiis aberranti Bodino darem, ſubtili philoſopho, Ariſtoteliſve interpreti non darem. Siquidem Metaphyſicus, aut Phyſicus adeo utraque definitione etiam naturam rei (diverſa licet via) explicari concedet definitionum naturam ſi penitius ex Ariſtotelis Analyticis, quarto aut duodecimo μετὰ τὰ φύσικα perquiſiſſet, non eo definitiones a deſcriptionibus abeſſe, quod illæ genere conſtant & differentia; hæ vero non: ſed hoc potiſſimum, quod hæ ad qualemcumque rei cognitionem: illæ vero ad ſcientiam, ſive ea ſit a priore ſive poſteriori ducant ſtatim (quo erat acuto ingenio) perſpexiſſet. Unde recte loco per ipſum Bodinum citato concludit Ariſtoteles, non ex iis quæ ſingulis, ſed ἐκ τῶν ἑκάστοις γνωριμωτέρων τὸ ὁρισμὸν ποιεῖσθαι χρῆ. *Ex omnibus notioribus rem definiendam eſſe.* Non ergo in eo deliquit Cujacius, quod non eſſentiam, ſed ſcientiam magiſtratus traditurus, plures ejus definitiones conſtituerit: quod & ante ipſum fecit Ariſtoteles. Imo etiam per ſingulas cauſas rem definiri poſſe a priori tradit Ariſtoteles primo Poſteriorum Analyticorum: definitioneſque eas inter ſe comparat. Non ergo una tantùm, ſed quatuor tradi poſſunt ejuſdem rei definitiones a priori. Modo tamen in unam junctæ, aut unam efficiant, aut una accuratiſſima Methaphyſica eas quatuor contineat. Sed forte cum Ariſtotele aget benignius, quem etiam eodem loco docuit Græce loqui. Quis unquam Græcorum ἀρχεῖν, dixit, ἐπιτάττειν? Ante Bodinum certe nemo. νόμος ἐπιτάττει. *Lex ſtatuit apud* Platonem, ἐπιτάττω μὴ κλέπτειν *ſtatuo non furari* dixit Xenophon. ſed decepit Lexicon Vulgare. Non tam magiſtratum, quam principatum definit Ariſt. lib. 4. Politic. pleriſque locis. Sed qui Magiſtratum a nemine dicit recte definitum in nova ſua Rep. novum

vum etiam ſtatuit magiſtratum lib. 3. cap. 3. *Magiſtratus*, inquit, *eſt Officialis, qui publicum imperium habet*. Genus eſt hujus definitionis *officialis*, quem initio ſecundi capitis ita definit. *Officialis eſt publica perſona, quæ munus habet lege definitum*. Statimque tertio capite adſcribit. *Officialem genus eſſe diximus perſonarum publicarum, quæ munus ordinarium lege definitum habent*: qui modo Officialem eſſe voluit genus, ſpeciem jam ſtatuit: Imo Magiſtratum per ſuam ſpeciem deſcribit: Idipſum ergo quod ante me Albergatus (cujus ego opere perilluſtris & Domini mei Horatii Caponii, Epiſcopi Carpentoracti officio uſus ſum) hic affirmo: tam acute Ariſtotelomaſtygem, ea definiendo, dividendoque diſtinxiſſe, in quibus non modo Sigonium, Goveanum, Cujacium, Cruchium, præclara Galliarum Italiæque lumina: ſed omnium qui unquam exſtiterunt phyloſophorum principes ignorantiæ imperitiæque arguit, ut ne ipſa quidem confuſio rerumque prima moles permixtis iterum naturis, ſpecierum generumque obducta ut primum facies, diſcordantius quicquam poſſet effingere. Hæc abſcondita, & de Magiſtratibus inaudita, prioribus ſæculis prodidit Bodinus. Sed nos ad alia.

De fatalibus, & eorum nuncupatione, ex eodem Bodino.

CAP. II.

IDem ipſe Bodinus ponendi callidiſſimus, eodem lib. 3. cap. 6. ſic ſcribit: *Sed quæri poteſt an magiſtratus ſuam ſententiam, a qua provocatum eſt exequi poſſit, poſt ſtata tempora, quæ Noſtri fatalia vocant, ab inveterato eorum errore, qui libros Codicis Juſtiniani, & Græcorum leges νεαράς* novellas *latinas fecerunt, in quibus pro κυρίας ἡμέρας legerent κηρίας ἡμέρας, qui dies in Leg. XII. ſtati appellatur, ut in hac lege* SI STATUS DIES CUM HOSTE, *ideſt, cum Peregrino: eodem ſenſu a M. Tullio κύρια δόγματα decreta philoſophorum certa ac rata vocantur. Nec vero latinorum quiſquam aut Græcorum, κυρίας ἡμέρας, κηρίας, aut fatales appellavit. Juriſconſulti ſæpe dies ſeſſionum a continuis diebus ſejunxerant: quod ſi quid intra certum tempus a magiſtratu fieri jubebatur, ſtatutum tempus, & edictum peremptorium J. C. vocant. cum vero tempus quo lis terminari debeat, lapſum fuerit, litem mori, nos inſtantiam perimi dicimus: antea vero litem vivere. Sed Juriſconſultorum nemo, fatalem diem, aut fatalia tempora uſurpavit: omnis error ab unius literæ υ in η derivatur; nam cum verbo κὴρ ſeu* קיר, *quo Græci, æque ac hebræi fatum ſignificarent, neceſſe fuit κυρίαν ἡμέραν fatalem diem interpretari. Demoſthenes ſæpe κυρίαν vocat, quod latini ſtatum diem, noſtra praxi præfixum appellamus: Sic enim Demoſthenes contra Midiam ἐστὶ ἦκεν ἡ κυρία τῶν νόμων. Item contra Stephanum κηρίαν ἔγγραφα, interdum etiam, ἡμέραν διαμετριμένην, ad Nicoſtratum. juniores Græci ἡμέραν ἐμπρόθεσμον, & ὡρισμένην nuſquam tamen κυρίαν appellarunt. Syneſius quidem Pontifex, vitæ poſtremum diem κυρίαν metaphorice appellavit; ne κηρίαν diceret verbum a Chriſtianis hominibus, & vera religione alienum. Verius igitur ac melius pro fatalibus appellationum diebus, ſtatuta tempora dicamus, ſic enim Juriſconſultus vocat*. Hucuſque felix illud Bodini fatum produxit appellationum fatalia. Cujacius, naturali ſua, & ſolita modeſtia, qui nunquam ſponte in quenquam ſtylum acuit, ad hæc ſuppreſſo Bodini nomine ſic paucis reſpondet lib. 18. Obſervat. cap. 38. *Miſereor ejus qui petito ex vulgaribus lexicis ignavo ſubſidio, nulla neceſſitate probandi coactus, κυρίας rectius eſſe probat, quam κηρίας; ac proinde laborat in corrigendo mendo nec quidquam, quod nuſquam eſt, nec potuit admitti in vertendo, ſi forte illi credere dignum eſt, in latinum ſermonem C. Juſt., Theod., Hermog. ab his quos comminiſcitur illos Codices vertiſſe in linguam latinam. Nam ut cætera, quæ per quam verterunt bene, probant ſi peritiſſimi fuerunt linguæ Græcæ nunquam κηρίας pro fatalibus accepiſſent*. Et ad l. 1. de Temp. & repar. appell. clarius. *Deinde ponit dies fatales appellari Græce κηρίας per η παρὰ τὸ κῆρα quo nomine ſignificatur fatum: quod nemo umquam probavit. Nam a nomine κὴρ quod ſignificat fatum, dicunt κῆρας, aut καιρίας non κηρίας*. Dionyſius Gothofredus in annotationibus ad Novell. 49. cap. 1. parum a Cujacio diſſentire putat Bodinum. Ego vero penitus video diſcordes. Primum enim ex verſione Codicis naſci potuiſſe hunc errorem negat fortiter Cujacius: imo & Codicem quem habemus ex Græco fuiſſe converſum, merum eſſe dicit ſomnium: nec ejus conjecturæ ulla recta ratio aſſignari poteſt, aut de eo ante Bodinum ullus unquam cogitavit. Sed conjectanti credatur, in quo exemplari legit *κηρία?* in quo manuſcripto? Græci (inquit) pro *κυρίας* legerunt *κηρίας*. Quaſi vero patrii ſermonis doctiſſimi uſitatas voces ab exoletis non diſcreverant: aut uſitatarum non agnoverunt rectos uſus: *κυρία* uſitatum nomen, & inter cætera ſtatutum diem ſignificat *κήριος*: item in oratione ſoluta, non fatale, ſed favum mellis. a *κηρὸς ὁ*, *cera* ſignificat, aut cellulam in qua apes mellificant. Vel Dioſcoridi tumorem in cute excreſcentem. Exempla in ſuo theſauro plura adfert Stephanus: pro fatali non invenitur inter ſolutæ orationis ſcriptores: nec a *κὴρ* quod fatum eſt, deducitur. Detur tamen Bodino antiquitatis veſtigatori, uti *ἀκήριος* in poëtarum verſibus ſcriptum eſt, pro immortalis *ἄνοσος ἀθάνατος* etiam & *κήριος* itidem reperiri, quod etiam mortalis: non tam a *κὴρ* fatum, ſeu potius *malum fatum*, quam *κῆροι*, id eſt, Parca deducetur, unde Euſtathius Ιλιαδ. μ. *ἀκήριοι* interpretatur *ἀβλαβεῖς* ideſt illæſi. Vel a *κηραίνω*, quod eſt *perimo, lædo, noceo*: eruntque *κηρία ἡμέραι*, ſi ita ſcriptum fuiſſet, quod neque credidit Cujacius, nec credendum eſt, dies peremptoriæ ſeu quibus lites perimuntur. Sed integra ne ſunt in jure omnia, an vero aliquis hic latet error, nec amplius Græcorum errore decepti fatales dies nuncupabimus? Certe ſi qui Ciceronis auctoritate tam eſt uſus conſtanter, cum *κύρια δόγματα* philoſophorum vertit etiam ad eundem iterum divertiſſet lib. 1. de Divin. num. 125. quo eſt a nobis diſſectus, fati hanc deſcriptionem inveniſſet. *Fatum autem id appello, quod Græci εἱμαρμένην, ideſt, ordinem ſeriemque cauſarum, cum cauſa cauſæ nexa rem ex ſe gignat.* Non igitur in deteriorem partem, fatum accipitur, ut a Græcis *κὴρ*, quod & pluribus probat Stephanus:

Source : BIU Cujas

nus: ſed fatum dicitur quod deſtinatum & conſtitutum eſt, ut veniat, ut ipſe ſui interpres M. Tullius de fato, & fatalis neceſſitas, fatalis caſus, dies fatalis &c. *Tam enim*, (inquit Cicero de Fato num. 30.) *fatale eſt medicum adhibere, quam convaleſcere*, nunquid hoc loco fatale eſt conſtitutum? quid ergo periculi ſi latini homines dixerint latine dies fatales, qui eſſent terminandis litibus conſtituti, & ita ſine errore κυρίας ἡμέρας vocaverint?

De ætatibus ædificiorum, & eorum æſtimatione, contra eundem.

CAP. III.

LIb. 4. Reip. cap. 2. dum quærit Bodinus, an rerum publicarum converſiones, ex ædificiorum ætatibus liceat metiri: Hæc habet, *Legibus quidem cavetur ædium exuſtarum æſtimationem ab ætatibus fieri oportere: Sic enim in exemplari Hetruſcorum legitur: tametſi Cujacius antiquarum lectionum diligentiſſimus interpres eorum ſectam ſequitur, qui* QUANTITATIBUS, *legendum putant. Sed hac ratione marmoreas ædes auguſtiſſimas, vilius æſtimari oporteret, capaciſſimis horreis, luto, ac materia putri conſtructis. At Vitruvius, & architecti omnes ex ædium exuſtarum ætatibus cui ſi parietes lateritii fuerint, hos enim Plinius æternos, ſi ad perpendiculum erigantur, appellavit, accepti damni æſtimationem inire ſolent.* Primo hoc loco videndum quid ſtatuerit Cujacius, deinde quam Vitruvius æſtimationem eſſe voluerit: Cujacii mens ex lib. 6. obſerv. cap. 3. (quem etiam locum indicare videtur Bodinus) colligitur. *Alia eſt*, inquit, *ætatis ſignificatio in l. domus, ff. de legat. 1. Ædificiorum ætatibus æſtimatis, ideſt, amplitudine, & magnitudine, ut in Evangelio D. Matthæi, ἐπὶ τὴν ἡλικίαν ad ætatem, ideſt, ad magnitudinem corporis, Euſeb. lib. 4. de vita Conſtantini, σωμάτων θ' ἡλικίαν, τὸ πλεῖον ὑπερβάλλοντα μεγέθη, & alio loco μέτρον ἀνδρὸς ἡλικία. Corporum ætates communi granditate excedentem, menſura hominis ætas.* Non ergo QUANTITATIBUS legendum dixit Cujacius, nec ullam hujuſmodi ſectam ſequitur: non abnegat in quibuſdam libris legi QUANTITATIBUS. Lectionem tamen non probat. in lectionibus ad legem domus lib. 9. reſponſor. Papin. His verbis, pro *ætatibus, quod eſt rectiſſimum, habent quantitatibus Codices quidam, in quibus ſcilicet gloſſa ſubiit locum vocabuli huic rei proprie accommodati, quo uſus eſt Papinianus.* Tantum ergo abeſt, ut hujuſmodi ullam ſectam probet, ut mere dixerit gloſſema: Sed hinc concludit ſubtiliter Bod. *Sed hac ratione marmoreas ædes auguſtiſſimas vilius æſtimari oporteret, capacibus horreis, luto ac materia putri conſtructis:* Mathematico certe quantitatem a ſubjecta ſubſtantia, cæteriſque accidentibus diſcernente digna concluſio: & in aliis reprehenſus, hactenus harmonicæ Reipublicæ dignus evadit Magiſter, ſic concludit: Quantitatum ratio in æſtimandis ædibus habenda, qualitates igitur negligendæ: Docto ſatisfaciet quod ab eodem Cujacio lib. 18. obſerv. cap. 38. ſcriptum eſt; Sed ne decipiantur rudiores, accedat quod ad prædictam legem commentatus eſt.

A Nam, ut Græci ἡλικίαν ſumunt non tantum ἀπὸ τῦ χρόνυ, ſed etiam ἀπὸ τῦ μεγέθυς ϗ μήκυς, ut grammatici docent, *non ſolum a tempore, ſed etiam magnitudine, & longitudine.* Ita procul dubio latini *ætatem* accipiunt etiam pro quantitate, menſura, magnitudine corporis cujuſque. Hoc ergo vult Papinianus, ſumptuum factorum in reſtituendis ædibus rationem haberi pro modo, ſive menſura ædificiorum, quæ reſtaurata ſunt: qualiter ſcilicet ſe ædificia habent, qualive materia conſtructa ſunt: nec enim unquam quantitas ſpectatur ſola ſine qualitate, & iis ſumptibus ab herede retentis ſive deductis, nova ædificia fideicommiſſario præſtari. Phyſica igitur eſt hæc ædium æſtimatio, & quan-
B titati juncta qualitas, etiam ubi, & quando: id notat Heſychio vox ἡλικία, quam ſic interpretatur μέγεθος τῦ σώματος ϗ μέτρον π, *magnitudo corporis, & menſura quædam.* Etiam prima ſua ſignificatione ab ἥλιος, quantus quantitatem notat; ſed Bodino in perquirendis Græcæ linguæ proprietatibus diligentior, Stephanus, aut ſi quis alter Theſauri Auctor, ſuppeditet exempla. Sed forte uti in multis, etiam & hac voce Latio eſt Græcia ditior. Nec idem apud latinos authores ætas ſignificabit. Ad Ciceronem ergo ejus linguæ & patrem, & patronum recurramus hic 5. In Anton. num. 43. *His adoleſcens ſubvenit Reip. ſed ætate multo robuſtior.* de Amicitia num. 76. *Omnino amicitiæ*
C *corroboratis jam confirmatiſque, & ingeniis, & ætatibus judicandæ ſunt.* Et quod de ætatibus Virgilius, aliique poëtæ non tam ſucceſſionem futuri temporis, quam integrum ſeculi ſpatium notat. Sed addit Cujacius, quod non advertit Bodinus: hoc loco ætatem ædificiorum accipi pro ætate ſtatuque præſenti, non pro ea ætate, eove ſtatu, quo in futurum hæc ædificia duratura ſunt. *Nam in jure*, inquit, *præſentia rerum pretia ſpectamus, non quæ futura ſunt olim, ut l. 3. §. Divi D. de jure fiſc. l. 2. Cod. de patr. qui fil. diſtrax. & multo minus ea pretia, quæ futura ſunt ſpectamus, ſi non ſpectamus præterita. Præterita enim ſunt certa, futura incerta.* Nec hac in re
D communem Doctorum interpretationem, (quod plerumque inſimulat Bodinus) aſpernatur Cujacius. Sic enim ad hanc legem Bartol. Certe æſtimatur quantum modo valet ædificium, non quantum expendit heres. Idem Baldus, Imola, cæterique omnes. Sed Vitruvio architecturæ perito nititur Bodinus, ex cujus lib. 2. cap. 8. etiam hæc verba in ora libri citantur. *Non enim quæ ſunt molli cæmento 4. de Rep. cap. 2.* ſubtili facie venuſtatis, non ea eſſe poſſunt in vetuſtatem non ruinoſe: itaque cum arbitri communium parietum ſumuntur non æſtimant eos quanti facti fuerunt: ſed cum ex tabulis inveniunt eorum locationes, pretio præteritorum annorum ſingulorum deducunt
E octuageſimas: & ita ex reliqua ſumma partem reddi jubent pro iis parietibus, ſententiamque pronunciant eos non poſſe plus quam annos octuaginta durare. Sed ex verbis Vitruvii apparet, nihil ad collapſum, aut incenſum, & iterum refectum ædificium: ſed ad communis ſtantiſque parietis communi dividundo datis arbitris referri, uti & ipſe in Obſervat. notat Cujacius: verum nec ſenſus quidem proderit Bodino: Nec enim ſtatuit lex ſumptuum rationem haberi, adamuſſim æſtimatis quantitatibus ædificiorum, ſed etiam boni viri arbitra-

Source : BIU Cujas

bitratu; quæ verba multa requirunt : ut puta deducto veterum ædificiorum, deducto etiam ruderum pretio, id tantum æſtimetur, quo amplius conſtat reſtitutio ædificiorum. Imo quod etiam addit Vitruvius, *pro qualitate ſtructuræ, ſumptus, vel pluris, vel minoris æſtimentur: & lateritia quidem ſtructura &c.* Eſt ergo hic Vitruvii animus idem qui Papiniani, ſub diverſa tamen ſpecie, non genus ſtructuræ, non perpetuitatem ædificiorum, ſed quantitatem, & menſuram ſpectandam, quam Græci ἡλικίαν, Latini ætatem vocant: Sed ita tamen ut etiam qualitatis ratio aliqua habeatur: quod ad eundem Vitruvii locum ita fatetur Cujacius. *Sed ſi anno primo quo ſumpti ſunt arbitri communi dividundo, ineatur ſumptus æſtimatio, deducatur ſumptus pars octuageſima, ſi anno ſecundo, duæ octuageſimæ, ſi anno tertio, tres: ſi quarto, quatuor, & ſic deinceps quoad perventum ſit ad annum octuageſimum, quo ſtructura cæmentitia nullo eſt in pretio. Et hæc etiam quæ ille auctor prodidit non ſpecie propoſita, eſſe ſpectanda non nego: quis ſanus, & ſiccus id negaret?* Sed in eo ponenda differentia, quod Vitruvii vetus ædificium ſpectet, quo conſumpto, etiam ejus pretium conſumitur: Papinianus non vetus conſumptumque ædificium, ſed refectum, quod eædem ædes eſſe intelligitur (*l. ſervitutes*, §. *ſi ſublatum*, *D. de ſervit. urb. præd. l. Paulus*, §. *domus*, *& l.ult. D.de pignorib.*) quod ex fideicommiſſo reſtituendum eſt, intuetur, præſentiſque ædificii pretium dicit æſtimandum examinatis ætatibus.

An Conſul apud Conſulem manumittat.

CAP. IV.

DUm Joan. Bodinus de mutuis Magiſtratuum inter ſe officiis diſſerit, excuſare nititur Ulpianum quod *l. un. de Offic. Conſul.* dixerit Conſulem apud Conſulem manumittere: Sunt enim hæc Bodini verba : *nihil magiſtratus præſente collega imperare, aut decernere poteſt niſi aperte aſſentiatur, aut ſe imperio ſocii ſponte ſubjiciat : Sic enim Paulus ſcribit apud eum cui par imperium eſt manumitti non poſſe : Neque pugnat Ulpiani dictum illud, Conſulem apud Conſulem manumittere poſſe, quod quidem intelligi debet de Conſule, quo die faſces ac imperandi jus habet.* Sint primum hujus controverſiæ fundamentum ipſa Ulpiani verba : hæc enim ſunt : *Conſules apud ſe ſervos ſuos manumittere poſſe, nulla dubitatio eſt : Sed ſi evenerit, ut minor viginti annis Conſul ſit, apud ſe manumittere non poteſt : cum ipſe ſit qui ex Senatuſconſulto conſilii cauſam examinat, apud collegam vero, cauſa probata, poteſt.* Nunquid hoc loco Conſulem apud Conſulem manumittere dicit Ulpianus? nihil minus : apud Conſulem collegam cauſa probata, dicit poſſe manumittere, non autem apud collegam manumittere, Imo Conſulem minorem viginti annis non apud collegam, ſed apud ſe manumittere affirmavit idem Ulpianus. *l. 2. de Offic. Conſul.* quæ eſt inſerta *l. ſi Rogatus de manum. vindic.* ſuntque ejus hæc verba : *Conſul apud ſe poterit manumittere, etiamſi evenit, ut minor annis viginti ſit :* Ulpianuſne ſui an vero Bodinus felicior interpres? Sed defenſionem Ulpiani videamus, quam ex Feſto meditatus eſt Bodinus. *Quod quidem intelligi debet de Conſule, quo die faſces, ac imperandi jus habet.* Affirmat Ulpianus cauſam apud collegam probandam cum Conſul minor eſt : Bodinus : cum collega faſces, & imperandi jus habet: Si Imperium habent alternum, collegæ non ſunt : Non vidit, quæ de alterno fratrum regno ſcripſit Statius poeta.

Hæc inter fratres pietas erat: hæc mora pugnæ
Sola, nec in regem perduratura ſecundum.

In regno verum, *nuſquam par ſtare caput.* Aſpera ne illa populi Romani ſors, *hic imperat, ille minatur?* Certe quod de faſcibus alternatis ſcribit Feſtus, non ad imperandi jus alternum referendum eſt, ſed ne nimia Conſulum prærogativa populus a Conſulari imperio creſcente diſcederet, a primis eſt Conſulibus conſtitutum. Quod his verbis clare Dionyſ. Halicarnaſ. lib. 5. Antiq. Roman. ſub initio, ὡς δὲ κατεῤῥήσοντες ταῦτα, δείσαντες, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, μὴ δόξα τοῖς πολλοῖς ἐγγένηται περὶ τ καινῆς πολιτείας ἀκ ἀληθὴς, ὅτι δύο βασιλεῖς κύριοι γεγόνασι τ πόλεως ἀνθ' ἑνὸς, ἑκατέρα τῶν ὑπάτων τὰς δώδεκα πελέκεις ἔχοντ@, ὥσπερ εἶχον οἱ βασιλεῖς. ἐκράναντο τὸ δέος ἀφελέσθαι τῶν πολιτῶν, κ τ ἐξουσίας μειῶσαι τ φθόνον τ μὲν ἑτέρα τῶν ὑπάτων, τὰς δώδεκα καταξάντες ἡγεῖσθαι πελέκεις, τὰς δὲ ἑτέρα δώδεκα ὑπηρέτας ῥάβδας ἔχοντας μόνον. ὡς δὲ τινες ἱστοροῦσι, κ κορώνας γίνεσθαι δὲ τῶν πελέκεων τὰ παράλληψιν ἐκ περιτροπῆς, ἕνα μᾶλλον κατάχοντος αὐτὰς παραλλάξ ἑκατέρα. τοῦτο δὴ τὸ πολίτευμα καταστησάμενοι πρόθυμον ἐποίησαν εἰς τὰ διαμόνιν τῶν πραγμάτων τὸν δημότικα κ τάπεινον ὄχλον. κ ἀλλὰ τούτοις παραπλήσια ἀκ ὀλίγα, *His* (inquit) *conſtitutis veriti ut mihi videtur, ne opinio invaleſceret in populo innovatæ Reipublicæ non vera, quod duo Reges pro uno facti ſunt urbis domini, cum uterque Conſul duodecim ſecures habeat, uti antea Reges habebant: judicarunt, metum populo adimere, & poteſtatis minuere invidiam : Conſtituentes alteri Conſulum duodecim præferri ſecures, alterum præcederent duodecim lictores faſces tantum ferentes, & uti ſcribunt nonnulli etiam furcas : fierique ſecurium ſingulis menſibus commutationem ad invicem inter collegas.* Non ergo imperium, ſed inſignia tantum commutabant Conſules: & recte Paulus *l. An apud, de manum. Vind. An apud ſe manumittere poſſit is, qui conſilium præbeat ſæpe quæſitum eſt: Ego cum meminiſſem, Javolenum Præceptorem meum, & in Africa, & in Syria ſervos ſuos manumiſiſſe, cum conſilium præberet, exemplum ejus ſecutus, & in prætura, & in Conſulatu meo, quoſdam ex ſervis meis vindicta liberavi.* Et docet Paulus, Prætorem, vel Conſulem minorem viginti annis. Cum Conſilium præbet, manumittere volentibus, etiam apud ſe ſervum ſuum manumittere poſſe, de Conſilii, & collegæ ſui ſententia, & id præceptorem ſuum, & in Syria, & in Africa præſtitiſſe. Statuendum ergo: cauſa probata apud collegam, & apud Conſilium, minorem viginti annis ſervum apud ſe manumittere poſſe : cauſam apud ſe probare non poſſe, ne in re ſua ſit Judex : At manumittere apud ſe poteſt, quoniam dominus eſt : cum & privatus detracto magiſtratu manumittere ſervum ſuum poſſit. Ita rectè ſcribit idem Cujac. lib.

7. Obſer-

Source : BIU Cujas

7. Obſervat. cap. 17. *Et omnino ſicut per procuratorem non fit manumiſſio, l. 3. Cod. de Man. Vin. quod nemo alieno nomine lege agere poſſit, cauſa tamen probatur recte per procuratorem*, l. etiam §. abſens ff. eod. *Ita vero apud collegam non manumittimus, ſed cauſam probamus &c.*

Quid ſit legis actio, & an eam habeat legatus Proconſulis nomine alieno.

CAP. V.

SCribit iterum Bodinus lib. 1. de Rep. cap. 8. in hæc verba. *Et quemadmodum Magiſtratus, qui legato juriſdictionem ita mandavit, ut nihil omnino retinere, aut agere videatur: non tamen in legato imperandi prohibendique poteſtas, aut legis actio ineſt, ſed in ipſo magiſtratu: quod ſi præter mandatum quid agat imperetur: nihil agitur, niſi ratum habeat, qui mandavit:* quem locum in adoptandis alienis diligens, ex animad. rub. lib. 1. cap. 21. in ſuam rempublicam traduxit uti ſuum. citatis etiam in ora libri *l. nec adoptare, de offic. Proconſ. l. & quia, & l. ſolet, ff. de juriſdict.* & ex his efficere molitur legatum non habere legis actionem ſuo nomine, habere tamen alieno. Primum ergo videndum, quæ legis actiones dicantur: deinde an alieno nomine dari poſſint legis actiones. Et actus legitimos converti inter ſe, nec minus complecti legis actiones, quam actus legitimi nomen, ſatis docet ipſe Cujac. lib. 28. quæſt. Papin. ad leg. *Actus legitimi, de Reg. Jur.* Definitque eſſe Actus, qui in jure peraguntur ſolemnibus verbis, & ſolemni ritu: & certo numero in eadem lege expreſſo circumſcribit. De quibus recte Boetius, *Hos ſolos actus auſim vocare legitimos & legis actiones, quos invenio ita appellari: non auſim alios adjicere, alioquin unum ſi ſuper adjicerem, ſane paulatim adjicerem omnes, ut omnes inducunt, qui ſcribunt, actum legitimum eſſe procuratoris dationem. quam conſtat fieri nudis verbis, & mancipationem teſtamenti, & ſtipulationem, ergo & omnem contractum: quia ea eſt concluſio omnium contractuum.* Ad hæc: legis actiones, nec diem, nec conditionem recipiunt expreſſam. Nec etiam quod ſecundo dicendum per procuratorem, niſi remediis quibuſdam ſuccurratur poſſunt exerceri, de quibus fuſe ea lege Cujacius, (nec an actiones quibus inter ſe homines decertant ex duodecim tabulis legis actiones jam cenſeantur de certo, *ex l. Neceſſarium*, §. *Deinde ex his legib. de orig. Jur.*) periculoſum certe a lege deſignatis ullas adjungere: hoc tamen certum, etiam antiquo jure neminem per procuratorem lege, ſine jure legitimo agere potuiſſe, niſi pro populo, pro libertate, & tutela, quod notat regula juris, *l. nemo de reg. Jur. Nemo*, inquit, *alieno nomine lege agere poteſt.* Et cum lege agere commune ſit reorum, & magiſtratuum, neutrique agant per mandatarium, recte Martianus *l. 2. & 3. de Off. Proc.* magiſtratum non poſſe lege agere per eum, cui mandavit juriſdictionem: legatum igitur proconſulis non habere legis actiones ſolemnes reſpondit Juriſconſul. non ſuo nomine, cum non habeat eam juriſdictionem, *l. 3. de Offic. Proconſ.* nec etiam alieno, *l. nemo de Reg. jur.* Cur igitur Jo. Bodinus legatum legis actiones alieno nomine voluit exercere? Primo certe, cum Cujacio crediderim non ſatis acute legis actiones a cæteris judiciariis actibus diſcreviſſe. ad hæc: legatum omnem a Proconſule, a ſe nullam juriſdictionem habuiſſe, more aliorum delegatorum judicium, ſibi perſuaſiſſe: Verum diſcernendæ ſunt, legis, & Juriſdictionis actiones. Cum mandata igitur juriſdictione tranſeunt, quæ juriſdictionis ſunt: non tamen legis actiones, quæ nec mandari poſſunt, nec in legatum Proconſulis ex mandato tranſit legis actio. quod enim habet magiſtratus a lege ſpecialiter conceſſum alteri, uti merum imperium, quod ei lex dedit, alii mandare non poteſt, *l. 1. §. ult. de Offic. ejus*. Verum legatus Proconſulis, cum mandata juriſdictione non modo actus juriſdictionis, ſed etiam legis actiones exercet; alieno igitur nomine: non enim ex ſe, ſed mandato ſortitur imperium. Sed advertendum ante mandatam juriſdictionem, *l. 13. de Offic. Proc.* reſpondiſſe Pomponium, legatum proconſulis non habere quicquam proprium: mandata tamen juriſdictione habere, notatur. Nec enim a Proconſule, a quo mandatam ſuſcipit juriſdictionem, ſed Senatuſconſulto datur legatus, ut acute *Cujac. lib. 7. Obſerv. c. 21.* & ideo ad *l. ſi quid erit, de Offic. Proconſ.* contendunt Græci interpretes, legatum ex lege propriam juriſdictionem habere, non prorſus ex mandato: ita tamen ut eam ante mandatum non obtineat. Poteſt enim eſſe legatus ſine mandato, utpote, quem Proconſuli dedit adjutorem Senatuſconſultum, uti de Fontejo Servilii legato ſcribit Appian. lib. Belli civil. Sed proconſul commodo ſuo mandat juriſdictionem, quod etiam ex *l. 2. ff. quis, & a quo*, convincitur quæ a legato Proconſulem appellari docet, quod ex *l. 1. ejuſdem titul.* fieret fruſtra, niſi quid proprium haberet. Multa igitur etiam ex lege habet legatus: habet enim jus dandi tutoris ex oratione Divi Marci *l. 1. ff. de tutor.* Conſtitutione Severi, & Anton. cognoſcit de ſuſpectis tutoribus, quod uti pleraque alia in favorem pupillorum introductum eſt, *l. 10. §. ult. de teſt. tut. l. 3. §. præterea, de ſuſpect. tut. l. 1. §. ult. de uſura, l. 12. de Offic. Proconſ.* legatus mandata ſibi juriſdictione jus habet dandi judicis, & facile etiam ei permittitur quæſtionis publicæ exercitio, *l. 1. Cod eod. tit.* Denique ad legatum Proconſulis, non tantum juriſdictio tranſit, ſed & totum prope officium juris dicundi. Non ex mandato, ſed lege. Atque ideo habet Proconſulis legatus Adſeſſores, ſive Comites, *l. 6. §. penult. de pœn.* Scribit etiam Spartianus, in Africa, legatum, & ſellam, lictores, & faſces habuiſſe. Et ideo dicit *l. prima*, §. *damus de ſuſp. tut.* in mandata juriſdictione totum officium juris dicundi ad legatum tranſire, non ex mandato tamen, nec etiam totum: nec enim ad eum tranſit jus gladii, vel extrema animadverſio, *l. 1. §. penult. de offic. ejus, cui mand. eſt, leg. ſi quid de Offic. Proconſulis*. Nec eſt apud eum legis actio, *l. 2. & 3. de Offic. Proconſ.* ex quibus fruſtra nixus eſt Bodinus, legatum alieno nomine legis actiones exercere. Nam *leg. & quia, & leg. ſolet de juriſdic.* quibus ſuam ſententiam confirmat delegata a prætore juriſdictione differunt: cujus eſt a legato diverſa ratio. Nec enim permittitur exercitio judicii publici, *leg. 1.*

de

Source : BIU Cujas

de Offic. ejus. Nec datio tutoris, *l.* 8. *de tut. dat.* Nec cognitio ſuſpecti, *l.* 1. *de ſuſp. tutor.* Nec etiam datio judicis, cum nihil habet proprium.

De pœna legitima Adulterii.

CAP. VI.

NOn levis fuit ſemper inter Juriſconſultos controverſia, quænam antiquo, & Regio Romanorum jure pœna adulterio deberetur: Jo. Bodinus lib. 1. de Repub. cap. 3. ſcribit, *Cum lege Romulia jus etiam vitæ, ac necis marito tribuatur: Si vel eam in adulterio deprehendiſſet, vel partum, vel claves ſuppoſuiſſet, vel vinum bibiſſet.* Hanc legem deſcribit Dionyſius Halycarn. lib. 2. Antiq. Roman. cujus etiam verba lucis non parum adferent. ἁμαρτάνουσα δέ τι, δικαστὴν τὸν ἀδικούμενον ἐλαμβανε, καὶ τῷ μεγέθους τῆς τιμωρίας κύριον. ταῦτα δὲ οἱ συγγενεῖς μετὰ τῆ ἀνδρὸς ἐδίκαζον, ἐν οἷς ἦν φθορὰ σώματος, καὶ ἃ πάντων ἐλάχιστον ἁμαρτημάτων ἔλληνι ἔδοξεν ἂν ὑπάρχειν, εἴ τις οἶνον εὑρεθείη πίνουσα γυνὴ, ἀμφότερα γὰρ ζημιῶν ἐκέλευσεν ὁ Ῥωμύλος, ὡς ἁμαρτημάτων γυναικείων ἔσχατα. φθορὰν μὲν ἀπονοίας ἀρχὴν νομίσας, μέθῃ δὲ φθορᾶς, καὶ μεχρὶ πολλοῦ διέμεινε χρόνου ταῦτ' ἀμφότερα παρὰ Ῥωμαίοις ἀπαραιτήτου τυγχάνοντα ὀργῆς. μάρτυς δὲ τῷ καλῶς ἔχειν τὸν περὶ τῶν γυναικῶν νόμον ὁ πόλυς χρόνος. *Si quid peccaverat, judicem ſumebat eum, qui erat injuriam paſſus, & magnitudinis pœnæ moderatorem: Hæc cognati cum viro judicabant, in quibus erat violata pudicitia: et (quod erat inter Græcos vitiorum omnium leviſſimum) ſi quæ deprehenſa fuiſſet mulier bibens vinum: nam utrumque multabat Romulus, ut vitiorum muliebrium extrema: ſtuprum inſaniæ principium judicans; temulentiam vero ſtupri: Et longo tempore inter Romanos, utrumque remanſit iræ implacabilis. teſtiſque æquitatis hujus de mulieribus legis tempus diuturnum.* Cujacius cum ad l. 7. & 8. ff. Quod metus cauſ. ſcripſiſſet, *quemlibet adulterum argumento legis Corneliæ jure a marito occidi, ſi ſe telo defendat*, & iterum: *uxorem in adulterio deprehenſam impune occidere licuit, quemadmodum ex Catone Aulus Gellius refert.* a Bodino, & Rober. levitatis arguitur: quod in libris Obſerv. ſcribat frequentius adulterium non eſſe capitale: verum lib. 18. Obſerv. cap. 38. illam temeritatis notam torquet in auctores: *Jus occidendæ adulteræ quod olim fuiſſe maritis plane ſcripſeram ad* leg. 7. Quod metus cauſ. *id eis jus non fuiſſe me ſcripſiſſe Obſer. 6. qui hoc tibi tantum ſcripſi, male hoc quoſdam legi Regiæ adſcribere, de qua verba M. Catonis loquuntur, nec ullus auctor ea lege ſcribit dari jus occidendi ſed dimittendi tantum, vel multandi, ſicut nec ſi partum ſuppoſuerit, aut claves adulteraverit, aut vinum biberit: nam de vino epoto fuit multa tantum & infamia, licet quidam mariti ſeveriores ob eam rem uſque ad cædem progreſſi ferantur.* Legene Regia occidendam adulteram putat Bodinus, multandam Cujacius? Non admodum moveret me illa cenſura, niſi gravius Juſti Lipſii, hominis & humani, & in humanioribus artibus, inter primos numerandi judicium, accederet: qui ad lib. Annalium Cornel. Taciti, ſic ſcribit, nec ejus verba propter eximium & cum brevitate ornatum cenſui mutanda. *Adulterii pœnæ quæ olim, non in promptu: recludam ſi potero, & tenebris priſci ævi radium aliquem dabo novæ lucis. Romuli lege, matrona ejus culpæ rea, marito permiſſa cognatiſque: ii uti viſum multabant, puniebant. Sed utrumne morte? Puto verecunde contra virum doctum licuiſſe. Ex Dionyſio qui lege Regia maritum conſtituit,* κύριον τὸ μεγέθους τῆς τιμωρίας. arbitrum magnitudinis pœnæ. *ex jure ipſo: quia mulier, quæ juxta ſacratas Romuli leges nupta ita in manu viri, ut proles in patris: ex Tacito apud quem Plantius priſco inſtituto, de capite famaque conjugis, propinquis coram cognovit, & inſontem nunciavit.* Ait, capite famaque. *Si in ſuperſtitionis crimine id juris, credo & in adulterii; in eas quæ ſacris Baccanalium inceſtu uſæ, cognati maritique, intra domos animadverterunt, ajunt Livius, & Valerius: nec dubito quin ea animadverſio ad caput pertinuerit. Denique Egnatius quiſpiam uxorem, quod vinum bibiſſet, fuſti interemit: idque factum non modo accuſatore, ſed etiam reprehenſore caruit: quidni idem juris in graviori culpa ſit?* Conjecturæ ſunt, & graves, & acutæ: Sed cum in contrarias frequenter partes trahantur, incertiores certe puto quam ut a tanti Viri ſententia deducant. Sed ad rem penitius. Non omnes uxores in manum viri convenerant; nam quæ non convenerat in manum viri, ad ſucceſſionem mariti inteſtati, & viciſſim vocatur ex prima parte Edicti, *unde vir, & uxor*, deficiente omni cognatione legitima, *l.* 1. *C. Unde vir, & uxor.* deficiente cognatione præfertur ſcripto: quæ vero in manum viri convenit, inter ſuos numeratur, & eo nomine vocatur ad hæreditatem, & more liberorum etiam emancipatur, unde ex Gallo remancipatæ mulieris definitio, ex Feſto, & Gellio, cum ex manu viri dimitteretur, quod Græcorum Gloſſæ ἀποκαθιστάναι, ἀντιπαραχωρεῖν, & ἀντιπαραγράφειν dixerunt: Multis tamen eam poteſtatem a patria abeſſe docent juris auctores. Plantius de capite, & fama conjugis propinquis coram cognovit, ex crimine ſuperſtitionis: nec tamen inde convincitur, adulterii pœnam eſſe capitis: Plantius itidem Sylvanus Prætor in certis cauſis, Aproniam conjugem in præceps jecit, tractuſque ad Cæſarem, venas præbuit exolvendas, unde contraria licet ratiocinatione concludere: In maritorum ſeveritatem ſæpe animadverſum: uti ſunt ejus generis plura exempla. in inceſtuoſas domi animadverterunt mariti, lege tantum: denique Egnatius fuſti uxorem interemit: ſeveriores quoſdam maritos ob eam cauſam ad cædem progreſſos fatetur Cujacius. Nos fatemur: Imo ſubtili & humano, quo valet ingenio Lipſius fatetur, eo ſevero jure per quam raro maritos uſos: addo ego, nunquam lege, ſeveritate aliquando: Nunc Dionyſii verba perpendamus. Scribit Dionyſius, marito cujus eſt quaſi læſa auctoritas, concedi modum vindictæ, id enim ſignificat τιμωρία: nec tamen ea vox pœnam legitimam, quam iræ arbitrium notat, uti ad hanc vocem ſcite magis, quam religioſe ſcribit Stephanus: quid mirum ſi nonnumquam mariti ſeverius exarſerint? Imo Plutarchus in vita Romuli hanc legem non ad necem ſed repudium extendit ἔθηκε δὲ νόμους τίνας, ὧν σφοδρὸς μὲν ἐστὶν ὁ γυναικὶ μὴ διδὰς ἀπολίπειν ἄνδρα, γυναῖκα δὲ διδὰς ἐκβαλεῖν ἐπὶ φαρμακείᾳ τέκνων, ἢ κλειδῶν ὑποβολῇ καὶ μοιχευθεῖσαν. *Leges igitur conſtituit*

Source : BIU Cujas

ſtituit Romulus: quarum una vehemens, ne virum uxor relinquat : vir uxorem dimittat ſi veneno liberos occidat, vel clam & furtim marito mœchata ſit. Imo ipſe Bodinus adulterii pœnam proximorum arbitrio potius, quam furori mariti conceſſam eſſe fatetur : idem ſonant Dionyſii verba, a Lipſio probe, ab aliis pleriſque vix intellecta, Bodinus vel non intellexit, vel diſſimulavit. Accedit quod multorum ſæculorum moribus hanc legem probatam eſſe dicit Dionyſius non ſeveritatem, ſed æquitatem plura ſæcula probaſſe; ſæcula certe non cædem, ſed repudium probaverunt: & deinceps utar Lipſii, & verbis, & ſenſu : *Moribuſque receptum videtur, ut adulteram apud cognatos convictam, domo ſaltem exigerent, multarentque dote : Id jus, (ſive mos fuit , & in eo dubius Lipſius) Plautus indicat in Amphytruone :*

Quod ſi adduco tuum cognatum huc , a navi Naucratem,
Qui mecum una vectu' ſt, una navi: atque is ſi denegat
Facta, quæ tu facta dicis, quid tibi æquum eſt fieri ?
Nunquid cauſſam dicis , quin te hoc multem matrimonio ?

Et reſpondet mulier , ſi deliqui, nulla cauſa eſt, *& clare Valerius lib.* 8. *cap.* 11. Cum C. Titinius Minturnenſis, Fauniam uxorem, quam impudicam de induſtria duxerat , eo crimine repudiatam ſpoliare dote conaretur , *Portius Latro contra adulteram* : illud Judices mihi tormento eſt , quod notata judicio vero, ut multiplicatam dotem perdat; plus tamen ex quæſtu habet, plus habitura eſt, quam quantum damnatæ perdendum eſt. *Hæc antiquitus obtinuiſſe videntur, quibus addo : Si maritus cognatique diſſimulabant, aut, ut Livii verbis utar, idoneus in privato ſuplicii exactor nemo erat: non raro, publico judicio perſequebatur id crimen magiſtratus : & præſertim Ædilis : ac damnatos damnataſque apud populum reperio pecuniaria multa, imo exilio interdum. exempla adduxi ſupra de Viſtilia: & nunc non repono. Adde è Valerio de Cn. Sergio Silo*, cui promiſſorum matri familiæ nummorum gratia, dies ad populum dicta, damnatuſque lib. *6. nec plura reperio priſco ævo :* Satis igitur & ſuper habemus adulterii pœnam morte mitiorem , etiam probante Lipſio , nec deinceps adderem, ni & ſequentia Cujacii doctrinam illuſtrarent , quam de lege Julia de Adulteriis tradidit & brevius & obſcurius, lib. *6.* Obſerv. cap. 11. Adſcribam igitur : *Lex Julia ſecuta eſt ferente Auguſto : pœna ejus in volumine Digeſtorum , quod miremur, non expreſſa : & ideo ſerram inter ſe reciprocant viri docti , Capitalem eam fuiſſe plures ſenſerunt, deterioreſque : relegationem tantum pauci bonique. Et Hercle non fuit mors : ex Taciti verbis lib.* 3. *de Julia filia neptique.* Adulteros earum morte, aut fuga punivit. *ſtatimque addit, culpans Auguſtum :* Clementiam majorum, ſuaſque ipſe leges egrediebatur. *Nam intelligit Julias leges. Ne exilium quidem, ex eodem loco : ſic enim interpretor fugam. Et ex hoc qui in manibus:* (qui erat lib. 4. Annal.) *Ubi Tiberius contra legem Juliam , ſeveritatem pervicaciter amplexus , Aquiliam exilio damnat . Exilium , intelligo perpetuum , quod ſit vice deportationis , eſto igitur relegatio. Facit huc illud Taciti, de* Viſtilia, eaque in Inſulam Seriphon abdita eſt , id eſt , *in Inſulam relegata. Et paulo clementius de Manlio, relegatione ſimplici* Adultero Manlio Africa atque Italia interdictum. *Juvat aliquid illud Ovidii, qui ob adulterium damnatus:* Nam relegatus, non exul dicor. *Et rationes quædam ex jure ſcripto : Quas pete ex Cujacio lib. 6. Obſerv. cap.* 11. *Nodus aliquis eſſe poſſit in Juriſconſulti verbis ad legem Juliam* : Adulterii damnatam ſi quis duxerit uxorem, lege eadem tenetur, *quod tollere videtur relegationem. Et in verbis Porcii Latronis quæ ſupra: è quibus multa dotis ſaltem erui poteſt, & infamiæ nota. Porcius autem poſterior Julia lege. Dicam vere, parum certa res eſt : & exempla relegationis , quæ in Hiſtoria in perſonis eximiis videri poſſunt, a ſeveritate Principum, non a lege, aliudque ſervatum fortaſſe in hominum vulgo. Ni fuiſſet, non illæ tam frequentes eſſent de adulteris apud ſcriptores id ævi querelæ . Seneca audet ſcribere* . Nunquid jam ullus adulterio pudor eſt ? Poſtquam eo ventum eſt, ut illa maritum habeat , niſi ut irritet adulterum . *Aliaque reperies paſſim in eam ſententiam parum probabilia , ſi relegatio , & fuga adulterii pœnæ ; quicquid ejus eſt capitale poſtea id crimen factum, ut ex Apulejo notat idem Cujacius : cui adde Arnobium lib.* 4. Adulteria tamen legibus vindicant , & capitalibus afficiunt eos pœnis , quos in aliena comprehenderint fœdera genialis ſe lectuli expugnatione jeciſſe. *Et gladio animadverterunt , non in adulteros modo, ſed omnes impudicos , ſtupratoreſque Wandalicæ leges, ut legi apud Salvianum lib.* 7. Addiderunt quoque hoc ad libidinem comprimendam, ſeveras pudicitia ſanctiones decretorum gladio pudicitiam coercentes. Ex his efficio lege Regia maritum vitæ neciſque arbitrium non habuiſſe in uxorem adulteram, imo neque vetuſto jure.

Jus accreſcendi an tranſeat in emptorem hæreditatis ; an vero hæredi adhæreat.

CAP. VII.

QUæ hactenus ex Bodino allata ſunt : ſatis indicant, quam temere multi in Cujacii gloriam inſurrexerint : Mercerium, & alios ejus ingenii perſequi , vix putavi neceſſarium : imo contra voluntatem defuncti facturum : qui ne coquo quidem ſuo , nedum nomine aut ſcriptione ipſæ ſuperſtes dignum exiſtimavit : nos ergo utiliores & ſtudio veri agitatas quæſtiones deinceps perſequemur. Quarum ſit hæc prima . Jus accreſcendi an tranſeat in emptorem hæreditatis : an vero adhæreat hæredi . Cujus prima mihi videtur a Bart. profecta contentio : ejus ſententiam *ad l. Re conjuncti, ff. de legat.* 3. *num.* 26. effuſa fere omnium vox eſt ſecuta : Hic indiſtincte contra Pet. Ar. judicium , ad ſucceſſorem cum ſingularem , tum univerſalem, jus accreſcendi & in legato & in hæreditate voluit tranſire. Sententiæ fundamentum in Ulpiani ſtatuit judicio : qui *l. ſi totam ff. de acquirenda hæreditate* ait hæredi tacite rogato reſtituere, eo nihil accreſcere , quod non videatur rem habere, nec igitur hæredi, qui venditionem & rem

hære-

Source : BIU Cujas

hæreditariam & jure inde quæſita dimiſit, quicquam accreſcet. Franciſcus Duarenus, de jure accreſcendi lib. 2. cap. 6. ſententia Juliani a Papiniano laudata, *l. ſi Titio ff. de uſufruct.* perobſcuram & difficilem hanc contentionem adeo dicit apertam, ut probabilibus argumentis eam ſubvertere velle, parum prudentis conſultique hominis eſſe videatur. Bartoli igitur rationem ab alluvionis ſimilitudine adauget; quod accedit fundo vendito alluvione, lucro cedit emptoris: non venditoris: & hæreditati igitur venditæ ſi quid accreverit, pari jure debebitur emptoris commodo, non hæredis. Alia etiam ejus ſententiæ fundamenta ſtatuit Antonius Gometius tomo primo Reſolutionum cap. 10. & eum ſecutus Andreas Fachineus controverſi juris ſcriptor μεθοδεκώτατος. lib. 10. Controverſ. cap. 3. Primum ſuppeditat l. 2. §. cum quis ff. de Hæredit. & act. vendit. dum. *emptorem*, dicit, *vicem hæredis obtinere*: Alterum eſt ex eadem lege, quæ hæreditate vendita omnia, quæ ad hæredem quavis occaſione perventura, concedit emptori hæreditatis: *ut neque amplius neque minus juris emptor habeat, quam apud hæredem futurum eſſet*: & fortius eadem leg. §. non tantum. *Non tantum quod ad venditorem hæreditatis, ſed & quod ad hæredem ejus ex hæreditate pervenit, emptori reſtituendum eſt: & non ſolum quod jam pervenit, ſed & quod quandoque pervenerit, reſtituendum eſt.* Si quid igitur jure accreſcendi pervenerit, reſtituendum eſt.

Tertio emptor hæreditatis, in hæredis locum ὑποβαλλόμενος ſive ſurrogatus, fideicommiſſarii inſtar eſt, ſi teſtator, qui duos pluresve inſtituit hæredes, unumque portionem ſuam alteri reſtituere juſſerit, qui & reſtituit: ſi eo hæres portionem alteram repudiaverit non hæredi onerato, ſed fideicommiſſario, in quem tranſeunt omnia hæreditatis utilia jura, *ut l. 1. & per titul. ad Senatuſc. Trebell.* ea portio accreſcet; eſtque tex. *in l. Papinianus eod. tit.*

Denique jus accreſcendi portionem, ſive rem ſequitur, non perſonam, ut in *d. lege ſi totam, de Acquir. vel omitt. hæred. l. hæc ſcriptura*, §. 1. *ff. de Cond. & Demonſt. & l. ſi Titio*, ibi: *quoniam portio fundi portioni: uſusfructus perſonæ accederet.*

Jacob. Cujacius lib. 12. Obſervat. cap. 13. contrariam prorſus ſententiam ſecutus: portionem defectam vel repudiatam non emptori hæreditatis, ſeu ſingulari ſucceſſori, ſed hæredi directo & principali cenſuit accedere: Cujacii hæc prima ratio.

Si jus accreſcendi non plus tribuit, quam dari voluit teſtator, ne faciat contra voluntatem, quod ex voluntate ducitur; Non alii tribuet hæreditatem quam cui dari voluit teſtator: id eſt, ei qui propius accedit ſeu ſucceſſori directo & univerſi juris: Altera hæc: vendita hæreditate id plerumque agitur, ut veneat quod ad venditorem pervenit venditionis tempore. l. 2. §. primo, de Hæred. *ibi, Plerumque autem hoc agi videtur, ut quod ex hæreditate pervenit in id tempus quo venditio fit, id videatur veniſſe.* Non igitur quod poſtea accrevit: non quod accreſcit ex ſubſtitutione vulgari aut pupillari, quæ nec fideicommiſſarium ſequuntur, ſi ſponte adierit hæres, quamvis ſit fideicommiſſario ex S. C. Trebell. reſtituta hæreditas.

Hiſce rationibus addit Fachineus tertiam: quia venditor hæreditatis retinet jura directa: nam licet hæreditatem vendiderit, adhuc videtur eam poſſidere. l. 4. §. ult. ff. Si quis omiſſa. cauſ. ibi. *Si quis vendiderit hæreditatem, poſſidere videtur.* Jus igitur accreſcendi quod directum eſt: & hæredem non extraneum intuetur, videbitur retentum.

Quarto: quia inter ſuccedentes jure diverſo non habet locum jus accreſcendi: *l. ſed cum patrono, ff. de Bonor. poſſeſſ.* Sed in præſenti caſu, hæres ſuccedit ex teſtamento, emptor vero hæreditatis ex contractu: non datur ergo inter eos jus accreſcendi.

Quinto: quia ſi teſtator inſtituat duos pluresve hæredes quos invicem ſubſtituat, unuſque partem ut indignus amittat; Subſtitutio hæc virtuſque ejus, non fiſcum qui ablatam portionem retinet, ſed hæredem, jam propter accommodatam fidem punitum ſequetur, *l. ex facto* §. *Julianus, ff. de Vulg. & pup. ſubſtit.* Hæc ratio eſt Gometii, ſed eam expreſſus ſubſtitutionis caſus elidit qui cohæredem, non fiſcum reſpicit.

Sexta etiam ratio eſt Gometii: Si jus accreſcendi emptorem ſequeretur, damno id hæredis fieret, qui nullo accepto pretio jus id perdidit, contra contractus naturam, & partium voluntates, quæ præſentia non futura reſpiciunt ex arg. *l. ſi ita legatum, ff. de Aur. & arg. leg. & Doctor.* communi ſententia *in l. fin. C. Quæ res pign. oblig. poſſunt.*

Hæc poſterior ſententia eſt doctoribus probatior: & rejecta Duareni in Bart. fundata concluſione, a Gometio & Fachineo laudata: Imo poſt Jaſ. *in d. l. re conjuncti ff. de leg.* 3. *num.* 106. qui eam de communi teſtatur. *Vaſquius de Tacit. ſubſtitut. ſeu jure accreſcendi lib.* 3. §. 21. *verſ. denique*, non ſolum magis communem, ſed etiam veriorem, imo perſpicuam eſſe concludit.

Rationes pro Duareno allatæ diſſolvuntur facile. Primæ enim cui Bartolus innititur, reſpondet Cujacius: eum cui ut indigno eſt erepta hæreditas, quod tacite cavit ſe incapaci reſtituturum hæreditatem, ut eſt ſpecies *l. ſi totam*, a Barto. allatæ, plane rem amiſit. *l.* 5. *De his quæ ut ind. auf.* ergo & jus accreſcendi: at qui vendidit hæreditatem, adhuc videtur eam poſſidere: ergo rem non amiſit: nec jus accreſcendi igitur. Duareni ratio eo ruit, quod alluvionis comparatio non omni ex parte reſpondet: & quod dicitur portio accreſcere portioni, eo tantum pertinet, ut intelligamus, habenti portionem alienam accreſcere: at venditor ut jam ſupra, adhuc poſſidet: alluvionis juriſque accreſcendi hanc diverſitatem notat acute Cujacius in Recitatione ſolemni ad hanc legem, quod jus accreſcendi competens ratione conjunctionis eſt a jure civili, alluvio a jure gentium; & ab hoc loco plenior hujus legis explicatio petatur.

Ad leg. *Papinianus.* reſpondet Cujacius lib. 12. Obſerv. cap. 12. loqui de eo, qui compulſus adiit, non qui ſua ſponte: conſtat autem eum qui compulſus adiit, quique quantum in ipſo fuit, irritam fecit voluntatem defuncti, indignum eſſe qui ex voluntate defuncti, vel occaſione ejus quicquam quaſi hæres conſequatur; quamobrem omne id perdit, quod non haberet ſi hæreditatem non adiiſſet: contra vero non perdet ea, quæ haberet etiam ſi hæres non eſſet, veluti ſubſtitutionem vulgarem, aut ſubſtitutionem pupillarem factam puru. At is qui ſponte adiit, nihil omnino perdit: retinet enim Falcidiam, & cætera omnia: hanc reſponſionem laudat Fachineus: cætera ad hujus legis emendationem traduntur citato loco: & totam hanc contro-

Source : BIU Cujas

troverſiam fuſius explicat Fachineus lib. 10. Controverſ. cap. 70. & lib. 5. cap. 91.

Proviſio facta a teſtatore, an extendatur ad caſus ſimiles: ſive, an mentio mortis facta in inſtitutione extendatur ad emancipationem, vel deportationem.

CAP. VIII.

COntroverſia hæc *ex l. Gallus §. & quid ſi tantum ff. de Liber. & poſth.* tota dependet. Gloſſa enim, Bart., Bald., & communiter alii veteres ex hoc §. concludunt proviſionem teſtatoris in uno caſu factam trahi ad alios caſus ſimiles: Et eſt §. ejus hæc ſpecies: proviſio facta in caſum mortis filii, ad conſimilem caſum trahitur, quo emancipetur vel deportetur. Bartol. diſſimilitudine ſeu diſtinctione conditionum contentionem hanc conciliare nititur: Alia, inquit, conditio voluntaria eſt, alia neceſſaria: & hæc rurſus duplex: vel ad actum ipſum neceſſaria eſt, vel ad actus effectum: Si ſpontanea fuerit diſpoſitionis conditio, citra controverſiam in forma (ut ipſe loquitur) ſpecifica debet adimpleri, nec ad ullum conſimilem rapietur caſum: ad ſpeciem *l. qui duobus, & l. Mævius, de conditionibus & demonſt.* quibus præciſe adeo ſervari jubetur conditio legis, ut nec ſcindi, nec pro parte adimpleri poſſit: Sed ſi ad actum vel ejus effectum neceſſaria apponatur conditio, nullam legem putat Bart. prohibere, quominus per æquipollens adimpleatur, exemplis id illuſtrat, caſus hujus §. & legati filioſamilias relicti: quo niſi ſui fiat juris, frui non poteſt: id fiat, ætate, patris interitu an emancipatione, nihil intereſt.

Hanc ſententiam ab acuta (prima ſpecie) diſtinctione profectam, omnes Latini interpretes ſunt ſecuti. Andreas Alciatus lib. 3. Paradox. cap. 9. παραδόξως primus ab hac doctrina diſceſſit: eum uberiori explicatione ad hanc legem Franciſcus Duaren. ſecutus eſt. Jacob. Cujacius eodem loco ab Æmilio Peroto profectam animadverſionem & laudat, & ſequitur. Duarenus cum duo Velleæ legis capita a Galli cautione diſcreviſſet. ſic §. Quid ſi tantum, ſenſum conſtituit: *In noſtra*, inquit, *ſpecie proponitur caſus, qui nec pertinet ad verba formulæ Aquilianæ, nec ad verba legis Velleæ:* Si filius meus vivo me deportabitur, tunc ſi quis nepos poſt mortem meam naſcetur, hæres eſto. *Hæc enim inſtitutio non poteſt dici facta ſecundum formulam Aquilianam: quæ formula Aquiliana loquitur de morte, non de deportatione: Non convenit etiam verbis legis Velleæ: quia lex Vellea non pertinet ad inſtitutionem eorum, qui ſunt naſcituri poſt mortem teſtatoris: ſed vivo eo. Hic autem inſtitutio fit poſt mortem ejus. Quid igitur dicemus in hac ſpecie? Scævola ait, inſtitutionem in hac ſpecie factam ſecundum cautionem Galli: ſed in cautione Galli in qua fit mentio mortis, ſupplendos alios caſus ex ſententia legis Velleæ: quia apparet Velleum ita ſenſiſſe. Nam cum ea lex lata ſit poſt formulam conceptam a Gallo Aquilio, credibile eſt eum ſenſiſſe etiam in inſtitutionem poſthumorum naſciturorum poſt mortem teſtatoris, de quibus conſcripta eſt formula, hos caſus pertinere: Accurſiani aliter hæc verba interpretantur.*

A *Sic enim ajunt: ſi teſtator mentionem mortis fecerit in inſtitutione Nepotis naſcituri, ille caſus expreſſus a teſtatore porrigitur ad alios caſus ſimiles; nempe deportationem, emancipationem, & ſimiles; & hinc colligunt hanc theſim. Proviſionem factam a teſtatore ad alium caſum ſimilem porrigi. Qui hoc colligunt ex verbis Scævolæ, oſtendunt ſe hoc omnino non intelligere. In lege hoc verum eſt: Sed interpretatio legis multum differt ab interpretatione teſtamenti: Dico, quod ſi teſtator expreſſerit unum caſum, niſi appareat evidenter eum de alio caſu ſenſiſſe, non producemus ad alium caſum: veluti ſi dixerit, ſi filius me vivo morietur, nepos qui mihi ex eo naſcetur, hæres*
B *eſto. Nam & ſi emancipatus fuerit, vel in Inſulam deportatus, tamen Nepos non erit hæres. Nam ſequenda eſt voluntas teſtatoris cum manifeſta eſt &c.*

Jacobus Cujacius, ſic (ſuo more) paucis, ſed fortiter *ne dixerimus* (inquit) *in caſum mortis factam inſtitutionem ad alios caſus trahi: nec enim is eſt hujus §. ſenſus, ut hic Æmilius Perotus acute animadvertit. Proferet quidem* l. ſi ita, quando dies legat. cedat, *ut oſtendas caſum mortis trahi ad caſum emancipationis, vel deportationis: qua de re extat conſtitutio Antonini in* l. 3. C. de Inſtit. & ſubſtit. *ſed nihil ages: Nam contra proferam ipſe* l. ex ea §. pen. de Verb. oblig. l. cum pater §. hæreditatem de legatis 2. *in quibus caſus mortis non trahitur ad deportationem.*
C *jus civile directum, & ſtrictum eſt, nec ſuppletur ſine certa lege, aut conſtitutione.*

Hanc ſententiam laudat. Anton. Faber, ut ab Andrea Fachineo citatur: (mihi enim nondum eam ſcriptionem videre contigit) Bartoli & veterum probat ipſe Fachineus. Nec meo judicio ſatis firmis rationibus: Nam Bartoli diſtinctionem nemo vel leviter bonis literis tinctus non videt inanem; cum enim inſtitutionis conditio quæ eam conſtituat & formet ab Aquilio ponatur, fruſtra vel ſecundi, vel tertii actus, (ut naturales Philoſophi deducere ſolent) neceſſitatem proponeret, cum prius conſtet validam inſtitutionem eſſe debere, ſaltem natura; quam ad actum aut ejus effe-
D ctum prorumpat. Nec tam modum, quo inſtitutus hæreditate fruatur, quam quo inſtitutionem formaret proſpexiſſe videtur teſtator.

In Duarenum converſa ratio facile diluitur: ſic enim ratiocinatur Fachineus: *Formula Galli loquitur de teſtatore: teſtator inſtituit nepotem ſi filius moriatur: Hæc nepotis inſtitutio ſub iſta conditione, ſi filius moriatur, trahitur ad caſum quo filius deportetur, vel emancipetur: ergo proviſio, ſeu diſpoſitio teſtatoris facta in uno caſu, trahitur ad ſimilem. At hoc ſit ex ſententia leg. Velleæ: quid ni? legis Velleæ & ſententiæ ejus ratio unde colligitur? nonne inde, quia omnes*
E *caſus complexa eſt, quibus teſtamentum rumpitur: ad quem effectum & teſtator reſpicit cum Galli formula utitur.* Ponamus, licet, Vellea lege teſtamentorum ruptionibus proviſum, non tamen eo proſpexiſſe teſtatorem recte concluditur: cum natura morientium voluntates non tam teſtamentorum robora quam progeniei, naturæque ſuæ, quam in ſucceſſione perpetuari dixit Ariſtotiles conſervationem proſpicere ſolent: nec tam in præſenti caſu ſollicitus fuiſſe videtur teſtator, quo mortuo filio teſtamentum deveniat, quam quo modo agno-

ſcen-

Source : BIU Cujas

ſcente ſuo ſucceſſio ſervetur. Alius eſt ergo legis, alius morientium finis : lex ruptionibus teſtamentorum : morientes naturalis vinculi conſervationi proſpiciunt ; nec dubium quin lex ad ſimilia procedat : ſed in lege tantum hoc verum eſt, non etiam in teſtamentis. Rationes Cujacii vel ipſo Fachineo teſte, ſublata diſtinctione Bartoli (quam dudum ſtatuimus inanem) diſſolvi non poſſunt.

Uno ex hæredibus promiſſoris in prætoriis ſtipulationibus contraveniente, an adverſus omnes pœna committatur.

CAP. IX.

BArtolus in *l. Eadem dicemus* §. *Cato, de verbor. obligation.* pluribus præmiſſis dividui, & individui diſtinctionibus ſtatuit, promiſſore mortuo, pluribus relictis hæredibus, quorum unus venit contra pactum defuncti, non in ſolidum, ſed adverſus eum tantum hæredem qui contravenit pœnam committi : Hanc ſententiam poſt veteres plures laudat Andreas Fachineus lib. 10. Controverſ. cap. 56. ſtipulationum diſcriminibus, tandem n. 23. In prætoriis ſtipulationibus fundamentum laudationis ſuæ in l. 2. §. incertam, de Præt. ſtipul. conſtituit ubi ſic differit Paul. *Incertam quantitatem continet ſtipulatio judicatum ſolvi, rem ratam dominum habiturum, & damni infecti, & his ſimiles : in quibus reſpondetur ſcindi eas in perſonas hæredum.* Et in l. Pœnales §. Julianus ad l. Falc. *Omnes enim prætorias ſtipulationes ejuſdem interpretationis eſſe : Nam conſtare ex judicatum ſolvi ſtipulatione, ſive a parte actoris, ſive a rei plures hæredes extitiſſent, non omnibus adverſus omnes actionem contingere, ſed dumtaxat his qui viciſſent, & adverſus victos, hiſque adverſus quos res defenſa non eſſet, adverſus eos qui rem non defendiſſent.*

Cujacius ad lib. 73. Paul. ad Edictum, dum *l. 2. de Prætor: ſtipulationibus* interpretatur, contra videtur ſentire, & prorſus docet : dum explicato hæredum ſtipulatoris, & promiſſoris diſcrimine ſic differit : *Paulus qui ante dixerat generaliter ſcindi ſtipulationes has in hæredum perſonas, nunc ait : dici poſſe, hoc eſt, non improbabiliter dici poſſe, in uno ex hæredibus promiſſoris victo committi ſtipulationem in ſolidum : in id omne quod ſtipulatoris intereſt : hac ratione, quod non poſſit ſtipulatio, quæ a defuncto deſcendit, qua & ſe & hæredem ſuum obligavit,* (*hoc enim in his omnibus ſtipulationibus prætoriis, nominatim caveri ſolet : me hæredemque meum, per me hæredemque meum*) *quod, inquam, ſtipulatio quæ a defuncto deſcendit, qua & ſe & hæredem ſuum obſtrinxit, diverſam hæredis cujuſque conditionem facere non poſſit, quam defuncti fuerit. Nam & unus hæres ex pluribus propius accedit ad vicem defuncti. Committi autem ſtipulationem in ſolidum, eſt committi ſtipulationem, vel uno victo adverſus omnes hæredes, non adverſus eum ſolum qui victus. Ita tamen ut ſinguli teneantur tantum pro portionibus hæreditariis : quod etiam oſtenditur* in l. 2. §. item ſi facto, & l. 3. & l. 4. §. ult. de Verbor. obligat. *Ubi & hæc differentia proponitur inter hæredes promiſſoris, & hæredes ſtipulatoris. Itaque his verbis, Paulus, quæ ſunt in hac lege, quamvis poſſit dici omnino voluit hanc ſtipulationum differentiam inter hæredes ſtipulatoris, & hæredes promiſſoris ſtatuere : nec tamen per eam corrigere, quod ante propoſuit in his ſtipulationibus, quæ incertam quantitatem continent ſcindi eas in perſonas hæredum : Nam & inter hæredes promiſſoris ſcinduntur, & inter hæredes ſtipulatoris. Hoc tantum intereſt, quod vincente uno ex hæredibus ſtipulatoris, in partem tantum ejus committitur ſtipulatio : Victo autem uno ex hæredibus promiſſoris, ſtipulatio committitur in omnes pro portionibus hæreditariis : ſtipulatio committitur in partes omnium hæredum promiſſoris.* Hæc Cujacius.

Hæc ſententia ſubtili, & acuto Juriſconſulto loco citato diſplicet, & contrarium omnino ex textu legis concludit : & apparentem ἀντίθετιν excuſat.

Bartoli ſcio judicium in foro, judiciiſque publicis ſæpius probari : quæ non tam ſubtile juris quæſtionum, quam æquitatis patrocinium, & defenſionem frequenter ſuſcipiunt. Cujacii tamen interpretationem, qui verum Pauli ſenſum veſtigat, non aſpernabitur. Cum ſit enim ſtipulationum in Judiciales, prætorias, & conventionales a Pomponio fabricata diſtinctio : non tam ab ipſa rei natura, quam ab efficiente, & externa cauſa profecta, uti omnes fatentur & eſt *leg. ſtipulationum, de Verb. oblig.* expreſſum : dum judiciales dicit, *quæ a mero judicis officio proficiſcuntur : veluti de dolo cautio : Prætoriæ, quæ a mero Prætoris officio proficiſcuntur, veluti damni infecti.* Eadem erit interna omnium ſtipulationum ratio, eademque prima conditio a diverſis, licet efficientibus cauſis ſint profectæ : & in diverſos forte fines directæ. Si ergo ſtipulationis vel judicialis, vel conventionalis a defuncto profectæ conditio teneat hæredem uti *eodem num.* 23. docet Bartolus ; Cur a Prætoria liberabitur ſaltem, ſi non actione in rem, eo forte quod totam rem poſſideat, ſed uti hæres, & hæreditario nomine conveniatur ? Quid ergo mirum ſi probabile hoc dixerit Paulus, imo probaverit in jure : & quod Joan. Imol. *ad eundem* §. *Cato n.* 27. de rigore dicit ſubſtinendum : & clarius ad l. *pœnales*, §. *Julianus, ad l. Falcidiam num.* 5. notandum dicit, *quod ſtipulatio prætoria habet hanc naturam, quod non committitur contra omnes, ſed ſolum contra eum qui contra fecit, & ſimiliter non committitur omnibus, ſed ſolum illi, cui eſt conventum etiamſi individuum verſetur in obligatione : & eſt ſpeciale propter magnam æquitatem, quæ exuberat in prætoriis.* Imo. & Bartol. ipſe, ſi recte perpendatur, ad hunc ipſum ſenſum redivit, uti recte idem advertit. *Imol. ad dict.* §. *Julianus.*

Confiſcatio bonorum propter delictum an extendatur ad bona futura.

CAP. X.

ANtonius Gometius tom. 3. variar. reſolut. cap. 14. de Confiſcat. bonor. num. 1. ita neganter reſpondet, ut bona poſt condemnationem acquiſita propria rei, & ſuorum hæredum fore concludat : innixus verbis leg. ſi mandavero tibi, §. is cujus, ff. mand.

Source : BIU Cujas

ff.mand. *Is cujus bona publicata ſunt, mandare alicui poteſt, ut ea emat: & ſi emerit utilis erit mandati actio, ſi non præſtet fidem: quod ideo receptum eſt, quia publicatis bonis quicquid poſtea acquiritur non ſequitur fiſcum.* & l. Ejus qui §. 1. his verbis: *Si cui aqua, & igni interdictum ſit, ejus nec illud Teſtamentum valet, quod ante fecit: nec id, quod poſtea fecerit: bona quoque quæ tunc habuit cum damnaretur, publicabuntur &c.*

Proſper Farinaceus, tit. de pœnis quæſt. 25. limitatione 8. num. 138. Gometium ſequitur, doctorumque, quos ipſe citat, magnam turbam: Imo fortius num. 140. deportatum poſſe condere Teſtamentum, & poſt ſententiam quæſita, ad ſuos hæredes probat tranſire. Arius Pinellus ad Rubr. C. de bonis mater. num. 3. vult deportatum frui quæſitis poſt ſententiam: Eo tamen mortuo omnia ab eo relicta ad Fiſcum redire, quod deportatus hæredem habere non poſſit: ex textu magiſtrali in l. *ſunt quidam*, ff. *de Pœnis*, ubi reſpondet Marcianus. *Deportatos ea quæ juris civilis ſunt non habere, quæ vero juris gentium ſunt habere.* Pinellum ſequitur Soares in additionibus ad Gomet: loco citato. Id unum huic ſententiæ, quæ ſubinde lata ſententia quæſita, a Fiſco libera eſſe dicit, facit negotium. Quod Alexander Aug. reſcribit Frontoni l. 2. C. de bonis proſcript. *Deportatos nec earum quidem rerum, quas poſt pœnam irrogatam habuerint, hæredem habere poſſe: ſed & has publicari.* Aperta enim cernitur oppoſitio: Pandectarum leges confiſcatione liberant exinde quæſita, hæc recentior eadem vult publicari: Doctorum plerique triplici conciliatione ab Accurſio ad d. l. 2., & ad l. *ſi mandavero*, excogitatam contenti: in cæteris ſuum ſunt Judicium ſecuti.

Cujacius ſingularem harum legum, veramque ὁμονοίαν, ex iis quæ ad Tit. de interd. & releg. l. 15. & de Bon. damnat. l. 7. ſupplevit ex Baſil. adinvenit: quam lib. 6. Obſerv. cap. 23. inſeruit. Lex enim ſeptima de Bonis damnatorum hoc carebat §. *poſt deportationem acquiſita, mortuo deportato, ad Fiſcum pertinere:* quia deportatus eſt capitis minutus: & hæredem habere non poteſt: poſt relegationem, & publicationem bonorum quæſita in Fiſcum non tranſire: quia relegatus ex Teſtamento, vel ab inteſtato hæredem habet. Et in commentariis ad Cod. tit. de bon. proſcript. ſic rem explicat fuſius: *Quorum bona*, inquit, *expreſſim publicantur hi proſcripti dicuntur: quorum tacite, damnati, veluti damnati capite, aut deportatione, aut metallo, aut ſimili pœna, quæ inferat capitis diminutionem maximam, vel mediam, id-eſt, quæ civitatem, & libertatem auferat: Vel tantum civitatem non libertatem: hanc pœnam qui ſuſtinent ſicut omnia priſtina jura, ita & bona tacito jure amittunt, quamvis hoc in ſententia non ſit expreſſum. Bona fiſcus vindicat: & non preſentia tantum bona: ſed etiam futura, ut ſi deportatus in inſulam, poſtea in inſula aliquid acquiſierit,* l. 2. hoc tit. *Quia etſi* iis quæ *acquiſivit poſt deportationem ipſe fruatur quandiu vivit*, l. 15. de interd. & releg., *quæ una eſt ex his quas reſtituimus in ff. ex Baſil., non tamen ex iis poſtea quæſitis bonis alium hæredem habere poteſt quam fiſcum*, l. 2. hujus tit. *Cui nihil obſtat* l. ſi mandavero, §. is cujus ff. mandat., *quæ ait bonis publicatis, quicquid poſtea acquirit, non ſequi fiſcum: Nam ut omittam quæ alii tradunt, perſpicue verum eſt, in eo* §. is cujus, *non agi de deportato, quem conſtat capite minui, & ne in bonis poſtea quæſitis alium habere hæredem quam fiſcum: ſed agere in eo* §. *de eo cujus bona publicata ſunt ſine capitis diminutione, id eſt, integro ſtatu: ut ſi ſit relegatus in inſulam non deportatus,* l. 7. §. ult. ff. de Bon. damnat. *qui etiam* §. *eſt ex reſtitutis: Vel etiamſi tantum ſit confiſcatus ex cauſa adminiſtrationis & muneris publici, ex cauſa actus fiſcalis forte quem geſſit*, ut l. 9. §. ult. hoc titul. l. 3. infr. de ſententiam paſſ. *Hic quidem confiſcatur, ſed ſalvo ſtatu, ſalva civitate, & libertate, id eſt, ſine capitis diminutione & hæredem habere poteſt, puta in bonis poſtea acquiſitis: res eſt perſpicua:* Hæc Cujacius: cujus diligentia contra communis turbæ cæcutientes divinationes veritas eluxit. Et ex hac ſententia notandum putat Fachineus, & vere, *Quod ſi de eo agatur qui noſtro tempore, fuerit bannitus cum publicatione bonorum: quia civitatem Romanam amittit, teſte Andr. Gayl. lib. 2. de pace publica cap. 12. num. 5. vel qui aliam pœnam loco deportationis paſſus ſit: quandoquidem deportationis pœna non eſt amplius in uſu: ſed ejus loco alia pœna judicis arbitrio imponitur, ut declarat Menoch. de arbitr. caſ. 330. Sic erit de tali condemnato ſtatuendum: ut bona quæſita poſt condemnationem retinere poſſit: Sed in eis hæredem non poſſit habere: quia eo defuncto ad fiſcum tranſeunt:* Sunt ejus verba, cujus etiam judicio hac in re ſtandum putarem.

Malæ fidei poſſeſſor quomodo utiles impenſas poſſit auferre.

CAP. XI.

Difficultas hæc in legum ἀντινομίᾳ, & oppoſitis Juriſconſultorum reſponſis fundata eſt. Cajus enim Juriſconſultus, l. adeo, §. ex diverſo, ff. de acquir. rer. domin. ita reſpondet. *Ex diverſo ſi quis in alieno ſolo ſua materia ædificaverit, illius fit ædificium, cujus & ſolum eſt: & ſi ſcit alienum ſolum eſſe ſua voluntate amiſiſſe proprietatem materiæ intelligitur. Itaque nec diruto quidem ædificio, vindicatio ejus materiae competit.* Adeo ſcienter in alieno ſolo de ſua ædificans materia, diruto ædificio, nihil poteſt repetere. Verum idem Juriſconſultus l. 39. utiles, de petit. hæreditat. ita ratiocinatur: *Prædoni probe dicetur non debuiſſe in alienam rem ſupervacuas impenſas facere: ut tamen poteſtas ei fieret tollendorum eorum, quæ ſine detrimento ipſius rei tolli poſſunt.* Impenſas igitur tollet malæ fidei poſſeſſor. Id ipſum ſtatuit Antoninus Aug. l. 2. *ſi inferiorem, C. de reivindicat.* Uti cæterorum fere omnium interpretum, ita etiam Cujacii fuit difficilis hujus nodi ſingularis expeditio: Andr. Fachineus quinque priorum ſententias, Cujacii ſextam ſtatuit, & refellit: illas erudite diſtinctas, & refutatas breviter attingo: erat enim prima Bart. & Accurſii, l. *utiles de petit. hæreditatis* intelligendam legem vero, *adeo; de acquir. rer. dom.* de privatæ rei vindicatione, quarum eſt in jure diverſa ratio. Secunda erat Eguinarii

Source : BIU Cujas

narii Baronis, uti etiam tertia : leg. *adeo*, loqui de ædificante ex propria materia in ſolo alieno : leg. vero *utiles*, & l. 2. C. de rei vindicat. intelligendas de eo, qui ex aliena materia in alieno ſolo ædificat. Et hanc ſententiam uti indubitatam tuetur Oinotomus, ad §. 29. inſtit. de rer. diviſio. Quarta erat Sarmienti l. *utiles* intelligendam de poſſeſſore, qui rem detinet, l. *adeo*, de eo, qui rem non detinet. Quinta denique Mynſigeri hanc legem de aliis malæ fidei poſſeſſoribus, illam de inquilino intelligendam. Nos hiſce relictis, Cujacii mentem perpendamus.

Is igitur in notis ad marginem Inſtitut. *lib. 2. de rerum diviſio.* Jure quidem tradit malæ fidei poſſeſſorem impenſas non repetere. Benignius tamen eſſe eas malæ fidei poſſeſſori dari, uſque eo quo dominus locupletior factus eſt, *l. plane de petit. hæred. ff. l. Julianus 2. de rei vindicat.* & hæc ita ſi ſciente, non ſi ignorante domino ſoli ædificaverit. l. jure §. 11. donavi, de except. Hanc ſententiam præter cæteras expreſſa legum verba tuentur, ita enim l. plane : *Prædo autem de ſe queri debeat, qui ſciens in rem alienam impendit : ſed benignius eſt, in hujus quoque perſona haberi rationem impenſarum : non enim debet petitor ex aliena jactura lucrum facere.* & l. Julianus, *nec enim debuit jam alienam certus ædificium ponere : ſed hoc ei concedendum eſt, ut ſine diſpendio domini areæ tollat ædificium quod poſuit.*

Sed huic ſententiæ nocet, l. *ſumptus* 48. *ff. de rei vindic.* in qua ſcribit Papinianus, ſumptus in prædium alienum factos, peti quidem non poſſe, ſed oppoſita exceptione doli æquitatis ratione & judicis officio ſervari : ſi a bonæ fidei poſſeſſore facti ſint æquitatis ratione ſervari non poſſint : legis ſunt hæc verba : *Sumptus in prædium quod alienum eſſe apparuit, a bonæ fidei poſſeſſore facti, neque ab eo, qui prædium donavit, neque a domino peti poſſunt : Verum exceptione doli oppoſita, per officium Judicis æquitatis ratione ſervantur.* Leges oppoſitæ quarum ὁμονοίαν quærimus de ædificiis in alieno ſolo erectis, quæ deſtrui facile, & evelli poſſunt, plane loquuntur, & de materia divulſa ſtatuunt. Hæc de Prædiorum acceſſionibus, quas vix unquam divelli poſſe plane loquitur. Mirum ergo non eſt ſi Juriſconſulti diverſam diverſarum rerum conditionem eſſe voluerint. Accedit etiam, quod in commentariis ad lib. 2. reſponſ. Papiniani ſcribit idem Cujacius, hanc legem *ſumptus* caute, cuſtoditeque loqui de donatore tantum : quia donator de evictione non tenetur donatario ; ideoque nec ei ſumptuum nomine tenetur donator, quibus rem donatam fecit meliorem.

Concors eſt Fachinei cum Cujacio ſententia, *l. 2. C. de reivindic.* conſtituiſſe Imperatorem, eum qui ſciente domino, patienteque in alieno ſolo ædificaverit propter patientiam domini materiam ſuam vindicaturum. *Arg. l. puræ, §. donavi, de doli, & met. except.* dolo ſiquidem fecit, qui ædificare paſſus eſt, & eſt ex Cujacio deſumpta D. Fachinei conjectura ex verbis legis : *Si inferiorem partem ædificii, quæ ſolum contingit ad te pertinere probare potes, eam, quam vicinus tuus impoſuit, acceſſiſſe domino tuo non ambigitur.* Hic enim lib. 13. Obſervat. cap. 26. obſervavit ex Dionyſio Halicar. lib. 10. antiq. Roman. dari ſolitam

A duobus, tribuſve facultatem ædificandi in loco publico, ita ut unus ſupra alterius ædificium cænaculum poſſideat jure dominii : dum montem Aventinum plebi ad ædificandum ex S. C. fuiſſe diviſum his verbis deſcribit Dionyſius : μετὰ τοῦτο τὲ ἱεροφαντῶν τῶν παρόντων καὶ οἰωνοσκόπων καὶ ἱεροποιῶν δυοῖν καὶ ποιησαμένων τὰς νομίμας εὐχάς τε καὶ ἀρχὰς ἐν τῇ λοχιτῶν ἐκκλησίᾳ συνεχθείσῃ ὑπὸ τῶν ὑπάτων, ὁ νόμος ἐκυρώθη, ὃς ἐστιν ἐν στήλῃ χαλκῇ γεγραμμένῳ κεῖται ἀνέθεσαν ἐν τῷ Αυεντίνῳ, νομίζοντες εἰς τὸ τῆ Αρτέμιδι ἱερόν. κυρωθέντος δὲ τοῦ νόμου, σωελθόντες οἱ δημόπροι τὰ δὲ οἰκόπεδα διελάγχανον καὶ κατῳκοδόμουν ὅσον ἕκαστοι τόπον δωιηθεῖεν ἀπολαμβάνοντες, εἰσὶ δὲ οἱ σύνδυο καὶ σύντρεις καὶ ἔτι πλείονες σωιόντες οἰκίαν B κατασκευάσαντο μίαν, ἑτέρων μὲν τὰ κατάγεια λαγχανόντων, ἑτέρων δὲ τὰ ὑπερῶα. *Poſt hæc cum præſentibus Pontificibus, Auguribus, & duobus Sacrificis, ſolemnes ab iis preces, & vota facta eſſent : Centuriatis Comitiis a Conſulibus indictis, lex perlata eſt, quæ eſt in columna ænea deſcripta, quam poſuerunt in Aventino erectam in templo Dianæ, lata lege, plebeii areas ejus ſoli diviſerunt, & in ædificia quantum quiſque poterat aſſumpſerunt : ſimul duo treſve, vel plures convenientes domum unam extruxerunt ; alii inferiora, alii ſuperiora occupabant.* Loquitur Imperator de eo, qui ſuperius tenebat cænaculum : ergo nec poterat ignorare ædificium in inferiori parte extructum. Ideo merito ſtatuit lex, C niſi animo donandi factum fuerit, vindicari debere diſſolutam materiam. Et ex adverſo dum de ſciente, & prudente extructore loquitur tacita quadam donatione vindicationis ipſe ſibi viam occluſit *l. utiles de Petit. hæred.* uti *lex domum, C. de rei vindic.* Jure quidem non deberi impenſas in alieno ſolo factas, tolli tamen poſſe modo dominus nihil capiat detrimenti, idem concludit Cujacius, quod lucro domino accrevit tollere poſſe benigne. verbis ergo non voto reſtat diſcordia.

Poſſeſſor bonæ fidei, qui exinde noverit rem eſſe alienam quamdiu faciat fructus ſuos. D

CAP. XII.

DIſcors Pauli, & Juliani reſponſum hanc primum Doctoribus contentionem peperit : hic l. qui ſcit, §. ult. ff. de uſur. ita reſpondit : *Bonæ fidei emptor fevit : & antequam fructus perciperet, cognovit fundum alienum eſſe, an perceptione fructus ſuos faciat, quæritur ? Reſpondi : Bonæ fidei emptor, quoad percipiendos fructus intelligi debet quandiu fundus evictus non fuerit : Nam & E ſervus alienus quem bona fide emero, tamdiu mihi ex re mea, vel operis ſuis acquirit, quandiu evictus non fuerit.* en fructus adjudicantur poſſeſſori quandiu res evicta non eſt. Sed contra Paulus in l. bonæ fidei, §. in contrarium, ff. de acquir. rer. dom. *In contrarium quæritur, ſi eo tempore quo mihi res traditur, putem vendentis eſſe, deinde cognovero alienam eſſe, quia perſeverat, per longum tempus capio, an ante fructus meos faciam ? Puto verendum, ne non ſit bonæ fidei poſſeſſor, quamvis capiat : hoc enim ad jus id eſt, capionem,*

Source : BIU Cujas

pionem, illud ad factum pertinet, ut quis bona, vel mala fide poſſideat. Pauli ergo contra judicio, cognita re aliena, fructus non acquirit.

In aperta hac contradictione, & apparente opinionum repugnantia, multi deſperata victoria abjectis armis ſaluti ſuæ fuga conſuluerunt.

--- Nihil illi tendere contra
Sed celerare fugam in ſylvas, & fidere nocti.

Ita Eguinarius Baro ad §. *ſi quis a non domino* Inſtit. de *rerum diviſ.* Baronem ſequutus eſt Didac. Covarr. lib. 1. Variar. reſolut. capit. 3. num. 7. Cui hæc dicta videntur ex opinionum conflictu, ut tandem prorſus adverſa hos Juriſconſultos opinatos fuiſſe exiſtimet: *Conſtat etenim* (inquit) *paſſim ipſos Juriſconſultos ob varia Judicia contraria reſpondiſſe: ſiquidem plerumque Juliano adverſatur Paulus, a Paulo diſſentit Ulpianus: Nec mirum eſt eos qui Juſtiniani Cæſaris imperio tot Juriſconſultorum reſponſa ex tot eorum libris ad Epitomen deduxerunt, memoriæ lapſu* (homines enim erant) *non advertiſſe repugnantia invicem reſponſa ſeipſos Pandectarum libris adnectere.* Hæc Covarr. Menochium etiam in Didaci ſententiam traxit vox *interim* in principio legis poſita, uti ipſe ratiocinatur *de Recuper. poſſ. Remed.* 15. *num.* 613.

Sed qui in acie conſtiterunt tres fere ſunt in ſingulares fere diſtracti ſententias: Primus eſt Jo: a Medina in tract. de Contract. qui quæſt. 17. Sic hanc ſententiarum varietatem excuſare nititur, quod poſſit quis ſcire rem quam poſſidet eſſe alienam, & tamen bona fide credere eum qui ſibi eam vendidit, mandatum habuiſſe a domino ad ejus venditionem: quo caſu recte procedet *l. qui ſcit.* & Juliani ſententia. Sed hanc excuſationem uti inanem deridet Covarr. Nam ſi mandato domini rem venditam putavit, jam vere bona fide poſſidet: & fructus acquirit: nec enim ſcit eſſe rem alienam, qui a legitimo Procuratore credit eſſe venditam. Altera eſt Donelli ſententia, lib. 4. Commentar. Jur. civilis cap. 24. Qui putat recte defendi non eſſe has ſententias contrarias. Reperimus enim utrumque recte dici, eum qui poſtea cognovit rem alienam eſſe, malæ fidei poſſeſſorem eſſe, nec quicquam ex re poſſeſſa acquirere poſſe, & eundem non intelligi malæ fidei poſſeſſorem eſſe, ſi ſe eſſe neget: priuſquam ei res judicio evicta fuerit: Unde infert, ex ſententia Juliani bonæ fidei emptorem tum demum in mala fieri fide, cum res erit judicio evicta, nec prius; Pauli vero ſententiam conſiſtere, cum vere poſſeſſor rem novit eſſe alienam, nec id negat. Sed hanc ſententiam contra Juriſconſulti verba militantem reprehendit Fachineus lib. 1. controv. c. 54. Vult enim Julianus bonæ fidei emptorem poſtea cognoviſſe fundum eſſe alienum nec remiſiſſe, manſiſſe tamen in bona fide, adeo ut fructus acquirat, donec fundus evincatur.

Tertia eſt ſententia Cujacii ab Accurſio quidem deſignata, ſed a nemine ſatis explicata: hic igitur ad §. *Si quis a non domino Inſtitut. de Rerum diviſ.* ſed preſſius: *Tract. 7. ad Afric.* uberius dum *leg. quæſitum, ff. de Aquir. rer. domin.* conſimili cum *leg. Bonæ fidei* argumento tractat. tandem ad lib. 7. Digeſtor. Juliani ad legem *qui ſcit de Uſuris.* Ad Afric. *Dicitur quidem in* l. Bonæ fidei Poſſeſſorem omnes fructus ſuos facere, interim etiam eos qui natura proveniunt: *ſed aliud eſt interim ſuos fructus facere, aliud ſuos facere abſolute. Quos interim ſuos facit, re evicta, reſtituit; nam interim id eſt quando res non evincitur. Quos abſolute, hi in reſtitutionem non veniunt.* & poſt quædam: *Si igitur malæ fidei poſſeſſor fit, qui poſtea cognovit rem eſſe alienam, ſequitur eo tempore fructus ejus non eſſe, licet eos ſeverit ipſe: neque vero mirum, ſi non cenſeatur eodem jure uſucapio, & poſſeſſio: Dominii acquiſitio, & fructuum acquiſitio: illa ex jure venit id eſt XII. Tabul. & procedit jure ipſo, ſi initium habuerit juſtum: hæc ex facto, id eſt, poſſeſſione bonæ fidei, quæ niſi perſeverat, non eſt etiam quod duret fructuum utilitas. Et ita nonnumquam evenit, ut rem bona fide poſſeſſor non poſſit uſucapere, qui tamen ex ea perceptos fructus ſuos faciet.* d. l. Bonæ fidei & *eleganter* l. 2. pro Emptor. *Separata,* inquit, *eſt cauſa poſſeſſionis, & uſucapionis: Nam quod poſſideo, non uſucapio etiam ſtatim. Quod vero diximus de fructibus idem Ulpian. in* l. Qui bona §. 1. de Acquir. rer. dom. *ſtatuit de his quæ ex re bonæ fidei poſſeſſoris vel ex operis ſuis acquirunt ſervi alieni, aut liberi homines bona fide poſſeſſi: ea enim acquirunt poſſeſſori, quandiu perſeverat bona fides, non etiam poſteaquam is cognovit hominem eſſe alienum, aut liberum: quia tunc cœpit eſſe injuſtus, & malæ fidei poſſeſſor: ut & D. Auguſt. quodam loco ſcribit lib. de fide, & operibus. In eo igitur ſpectanda ſunt ſingula momenta: nec ſatis eſt initium cœpiſſe a fide bona, eademque ſententia eſt Africani hoc loco.* & iterum inferius. *Solet huic legi ac ſimilibus opponi* l. Qui ſcit. §. ult. *eo quod dicat bonæ fidei poſſeſſorem fructus ſuos facere, & acquirere ex opera ſervorum, & ex re ſua per ſervos eoſdem, etiam poſteaquam cognovit rem eſſe alienam: Sed nihil eſt facilius: Interim acquirit, id eſt, quandiu res non evincitur: abſolute, & perfecte non acquirit: ſicut fructus, qui ſine opera hominis naſcuntur bonæ fidei poſſeſſor interim acquirit, non abſolute, & alios quoque interim antequam conſumpſerit.* Sed ad locum citatum Juliani, ſic multo clarius (nec enim piget in re prius deſperata, iterare ſententias) l. *Qui bona* l. bonæ fidei, §. 1. de acquir. rerum dom, *valde pugnare videntur cum hoc* §. ultim. *& adde can. ſi virgo, ex D. Auguſt. 34. quæſt. 2. hoc a me jam diu explicatum eſt; & quidem liquido reſpondeamus, eum qui bona fide cæperit poſſidere, ſi poſtea cognoverit rem eſſe alienam proculdubio malæ fidei poſſeſſorem fieri: quantum ad fructuum acquiſitionem attinet: non quantum ad uſucapionem implendam: & ratio differentiæ redditur in* l. bonæ fidei. *Atque ideo fructus quidem quos ab eo tempore percepit, vel conſumpſit abſolute, vel pleno jure ſuos non facit, ſed interim dumtaxat, quod ait* §. ult. *ideſt quandiu res non evincitur. Nam re evicta reſtituendi ſunt: aut exiſtimatio eorum: itaque ex eventu apparet pleno jure fructus ei quæſitos non fuiſſe, quos percepit poſtquam cognovit rem eſſe alienam.* Hæc Cujacii ſententia Covarruviæ omnes difficultates evitat: Nec enim juris Canonici reprehenſionem patitur: Nam a Divo Auguſtino de fide, & operibus hæc probatur ſententia can. ſi virgo, *ſicut in jure prædiorum tandiu quiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſime dicitur, quandiu ſe poſſidere ignorat alienum: cum vero ſcierit, nec ab aliena poſſeſſione receſſerit: tunc malæ fidei poſſeſſor perhibetur:*

tur: tunc injuſte injuſtus poſſeſſor vocabitur. Hinc etiam ignorantia excuſat eum, qui neſciens dormivit cum ſorore uxoris ſuæ; quod de momentorum pondere quærit ex Ulpiano, quod item de poſſeſſione interrupta ſatis ex Cujacii ſententia ad Africanum diſſolvitur.

Nec poterit Covarr. fuga ex Juliani in Paulum odio: Paulive in Ulpianum animo velari: Siquidem Africani fuit idem cum Juliano judicium: cui nulla fuit cum Paulo diſcordia, nulla cum Ulpiano contentio: & recte citato loco ad Africanum ſcribit Cujacius, nullam eſſe Africani cum Juliano contradicendi ſpeciem, cum idem eodem librorum numero ſcripſerint. Neque fuit Ulpiano cum utrovis diſſidium: neq; ſi contradictionis ſuſpicionem ab eruditiſſimo Fachineo tollas, ab hac ſententia quicquam diſcedit: imo prudentiorum ſalvo ſemper examine, ſubtilius in jure nihil, aut verius puto reperiri.

Emendatio §. Quoniam l. cum Tabulis, de his quæ ut indig. auferuntur, a Cujacio excogitata defenditur.

CAP. XIII.

IN leg. 16. cum Tabulis, §. 1. quoniam, ff. de his quæ ut indig. auferuntur, vulgo ita ſcriptum eſt. *Quoniam ſtuprum in ea contrahi non placuit, quæ ſe non patroni concubinam eſſe patitur ejus, qui concubinam habuit, quod teſtamento relictum eſt actio non denegabitur: idque in teſtamento Coccei Caſſiani clariſſimi Viri, qui Rufinam ingenuam honore pleno dilexerat, optimi maximique Principes noſtri judicaverunt, cujus filiam, quam alumnam teſtamento Caſſianus nepti cohæredem datam appellaverat, vulgo quæſitam apparuit.* Cujus cum perfectum hujus §. ſenſum non inveniſſet Cujacius, corruptam legem cenſuit reſtituendam: lib. 5. Obſerv. cap. 6. ita ſcribit: *Reſtituendum vero ipſe, ac explicandum ita cenſeo. Concubinatus pugnat cum ſtupro: ſtuprum l. Julia vindicatur. Concubinatus nulla lege vindicatur. Cum ingenua ſtuprum committitur, nec poteſt cum ea concubinatus conſtitui niſi vel teſtato, vel ſine teſtatione ſi obſcuro loco nata ſit, vel vulgo quæſtum fecerit,* l. in concubinatu D. de Concub. *Vulgo non palam dico: ſunt hæc diverſa,* l. probrum D. de Ritu nupt. *Adhæc ſtupro cognita, non etiam quæ in concubinatu fuit, nihil ex ejus, cui benigne fecit, teſtamento capere non poteſt. Cum concubina eſt connubium: cum ſtupro cognita non eſt connubium. Coccejus Caſſianus vir clariſſimus Rufinam ingenuam honore pleno dilexit: Hic eſt honor maritalis quo ſecernitur uxor a concubina,* l. item legato §. penult. D. de leg. 3. l. donationes D. de donat. *Concubina enim matrisfamilias honeſtatem non habet, niſi patroni concubina ſit,* l. probrum D. de Rit. nupt. *Poſt Rufinæ mortem filiam ejus, id eſt, privignam ſuam in concubinatum aſſumpſit. Non eſt novum hoc, ut cum qua non eſt connubium, ſit concubinatus: nam & cum ancilla, cum adulterii damnata, cum quinquagenaria, cum muliere ejus provinciæ, in qua quis officium adminiſtrat, eſt concubinatus, non etiam connubium. Ergo jure privignam Caſſianus in concubinatum habuit.*

A *Atqui erat ingenua utpote Rufinæ ingenuæ filia. Cæterum eam vulgo feciſſe quæſtum apparuit: Sic enim legendum arbitror. Nam & Flor.* quæſitum *legitur, non* quæſitam: *ſine verbo tamen* Feciſſe, *quod ut & alia aliis locis me auctore licebit addere. Jure ergo eam Caſſianus in concubinatum habuit. Proinde quod ei ſub alumnæ appellatione Caſſianus reliquit, quaſi educaſſet eam una cum matre, jure relictum videri, nec quaſi cum ea commiſſo ſtupro auferendum, Severus, & Antoninus judicaverunt. Fuit enim cum muliere ingenua, quæ vulgo quæſtum fecerat concubinatus, non ſtuprum. Hæc eſt hujus §. ſententia:* Hactenus Cujacius.

B Hic Cujacius Rufinam eſſe vult Coccei uxorem: cauſam habet: quod vocet lex ingenuam, & eam Coccejus pleno honore dilexerat: nam ingenuam ſine teſtatione, niſi quæ obſcuro loco nata ſit, vel quæſtum vulgo fecerit, habere in concubinatu non licet, *l. in concubinatu ff. de Concub.* Et plenus honor, maritalis eſt, non concubinatus: imo concubinatui rite opponitur *l. Donationes, ff. de Donationib.* nec pigeat ipſa verba adſcribere. *Donationes in concubinam collatas non poſſe revocari, convenit: nec ſi matrimonium inter ipſos poſtea fuerit contractum, ad irritum recidere quod ante jure valuit, an autem maritalis honor & affectio pridem præceſſerit perſonis comparatis vitæ con-*

C *junctione conſiderata perpendendum eſſe reſpondi.* & l. item legato §. parvi de legat. 3. uxor a concubina ſola dignitate diſtinguitur. Si pleno ergo honore dilexerat: uxor erat, non concubina: Imo veteres Græci dignitate, & honore uxores a concubinis diſtinguebant. Ita enim Lyſias contra Eratoſthenem καὶ ὅτω σφόδρα ὁ νομοθέτης ἐπὶ ταῖς γαμεταῖς γυναιξὶ δίκαια ταῦτα ἡγήσατο εἶναι: ὥστε καὶ ἐπὶ ταῖς παλλακαῖς ταῖς ἐλάττονος ἀξίας τῷ αὐτὴν διπλῶ ἐπέθηκε. *Et ſic fere legislator in nuptis uxoribus juſta hæc eſſe duxit, & in concubinis, quæ ſunt minoris dignitatis eandem legem ſtatuit.* Progreditur Cujacius, & mortua Rufina privignam ſuam, ſeu Rufinæ filiam in concubinatum aſſum-

D pſiſſe, quæ vulgo quæſtum fecerat, & condito teſtamento cum nepte ſua inſtituiſſe concludit. Nec auferri ut indignæ; quod privignam, ingenuam licet, quæ vulgo quæſtum fecerit, non uxorem, at in concubinatum habere liceat: nec cum ea ſtuprum committi, quod reddat indignam. Guillielmus Ranchinus Juriſconſultus ſubtilis, & diſertus Anteceſſor, lib. 3. Variar. lectionum c. 1. ab hac Obſervatione diſcedit ſuo ſenſu, invitus: Et Rufinam Coccei non uxorem, ſed concubinam fuiſſe contendit cum vulgo. Ejus autem filiam, quam Coccejus ſimul cum nepte hæredem inſtituit, ex hoc concubinatu fuiſſe natam: idque comprobat his rationibus: prima eſt. *Si fuiſſet Cocceii uxor*

E *Rufina non concubina, uxoris appellatione ſine dubio eam deſignaſſet Papinianus: nullum enim honeſtius nomen hac in re: At quia non ejus uxor, ſed uxoris loco habita, ideo ait Ulpianus eam a Coccejo pleno honore, ſive amore dilectam fuiſſe. Utpote quod ſpretis aliis mulieribus, ſolam domi haberet, ſolam amaret, ſolam thoro & victu honeſtaret. Rufinam, deinde teſtamento ſuo Rufinæ filiam alumnam appellaverat: veriſimilius eſt eam potius ita appellaſſe quam ex concubina ſuſceperat, quam eam cum qua concubuerat.* Hæc Ranchinus.

Source : BIU Cujas

Salvo tanti, & tam docti viri judicio, nam neceſſaria iſta dicendi ratio ab eo qui in jure obtinet primas, in levem mihi conjecturam verſa videtur. Uxorem dixit Cujacius: quod eo nomine, quo leges uxores ſolum non concubinas deſignare ſolent notarit, addo: quod & alibi idem Cujacius, quo antiquitas ipſa uxores a concubinis diſcernebat: concubinam dicit Ranchinus: quod non uxorem, ſed pleno honore dixerit dilectam. Leve hoc certe: & vix calamo dignum. *filia mea præcipiat, ſibique habeat volo rem matris ſuæ*, dixit idem Papinianus 8. Reſponſorum uxoremne hanc negabimus teſtatoris qui eam non uxorem (caro nomine) ſed liberorum matrem vocavit? talia ſunt in jure innumera: ſed digna ſilentio.

At *veriſimilius eſt*, inquit, *eam potius alumnam appellaſſe quam ex concubina ſuſceperat, quam eam cum qua concubuerat*: Ego contra: veriſimilius eam quam cum matre aluerat, licet mortua matre in concubinatum vocatam teſtamento vocaſſe alumnam: quam ex concubina ſuſceptam, quæ & teſtamento, & ab inteſtato liberorum loco haberi poterat, & partem juris in parentum bonis ſortiebatur. *Nov.* 18. quod etiam antiquo jure fuiſſe ſervatum notatur *eadem Novell. c.* 5.

Pergit Ranchinus: *Deinde quo jure ex uxore natam, concubinam habere potuit? nonne privignam uxorem ducere quis prohibetur? ita quidem ait vir doctiſſimus*, &c. *Sed cedo exemplum ejus mulieris, quam quis propter ſanguinem, aut affinitatem uxorem habere prohibeatur, concubinam habere non prohibeatur. Nullum eſt in jure, ne quæras. qui ob hanc cauſam a nuptiis alicujus mulieris repellitur, & a concubinatu abſtinere debet: contrahitur enim ſtuprum utrovis modo, & nefarius perpetuo hujuſmodi complexus.* Retorqueo, quod ipſe dudum: Hæc omnia ex ingenio non ex auctoritate, ſatis ſententiæ ſuæ fecit Cujacius: cum novum non eſſe probavit: ut cum qua non eſt connubium, ſit concubinatus. jam contra quod aſſeritur reſtat probandum: affinem a nuptiis prohibitam, etiam a concubinatu repellendam. nec de eo lex ulla civilis.

Vehementior eſt altera Cujacii ratio cur Rufinæ filia ex concubinatu nata non ſit. quod nothos nuſquam ſpurios aut vulgo quæſitos appellari dicat in jure. Hanc ſic arguit Ranchinus: Imo vulgo quæſiti dicuntur ii omnes, qui ex juſtis nuptiis ſuſcepti non ſunt: & juſtis liberis opponuntur multis in locis, atque ſpurii appellantur: *l. cum legitimæ, & l. vulgo, ff. de ſtat. hom. l.* 4. *in fine, & l.* 5. *& 6. D. de in jus vocand. l. patronæ, ff. de Bon. Libert. l.* 1. *ff. ad Municip. l.* 2. *in princ. ff. Ad S. C. Tertull.* Quibus addendus Cajus in frag. tit. de matrimoniis. Si leges hoc loco citatæ nothos cum ſpuriis confunderent, vinceretur Cujacius: & qui legum peritiſſima ſcrutari ſolebat: jam in meridie cæcutiret. Perpendatur ergo. *Cum legitimæ nuptiæ factæ ſunt, patrem liberi ſequuntur: Vulgo quæſitus, matrem ſequitur.* Certe non tam hic Celſus, legitimos liberos ſpuriis, quam nuptias ſcortationi opponit: & jure, nam concubinatus nuptias imitatur, & ſi quæ præter dignitatem, de qua *l. cum legato, D. de leg.* 3. pugna inter hæc fuiſſet, ſine dubio nothorum meminiſſet. Quid altera? Vulgo concepti dicuntur, qui patrem demonſtrare non poſſunt: vel qui poſſunt quidem, ſed eum *habent quem habere non licet*. omnia hæc vera: ſed de nothis nihil: Nam & nothi patrem norunt, & eum habere licet, cum ſit concubina legibus probata: Spurii certe vel ſunt ex ſcortatione nati, & patrem ignorant, vel ex ſtupro, & patrem forte norunt, vel etiam ex contubernio: in quo nec nuptiæ, nec concubinatus. *Ad l.* 4. 5. *& 6. de in jus voc.* Audiatur ipſe Cujacius lib. 4. Pauli ad Edictum dum eaſdem explicat. Spurii ſunt, aut intelliguntur eſſe ſine patre filii: maxime ſi ex ſtupro nati ſint, aut puella vulgari, qui dicuntur etiam publici pueri, quia non ut matrem ita & patrem naturalem certum habent, *l. vulgo, de ſtat. hom. l. unde cognati* 4. *l. divuſ. de Capt. et poſtlim. rev. l. ſi qua illuſtris, C. ad S. C. Orficia.* Et eleganter de hujuſmodi puero Caphur. Flacc. *in hoc puero*, inquit, *neſcio quid ſit indignius, utrum patris origo, quæ eſt dubia, an matris, quæ certa eſt?* At ſpuriis etiam adnumerantur quibus natura certus eſt uterque parens, ſed quibus neuter eſt civilis parens, ut qui ex contubernio naſcuntur: quæ conjunctio ſervilis eſt, *l.* 3. *C. Sol. matrim. l.* 6. *C. de ſuis, & leg. lib. l.* 6. *C. Theod. de lib. cauſa.* Quoniam ſervi, ut Paulus ait 4. Sent., neque patrem, neque matrem civilem habere dicuntur: adnumerantur etiam ſpuriis qui ex matrimonio illicito, & injuſto naſcuntur. §. *ſi adverſus, Inſtit. de nupt.* Et aperte Apulejus *6. legitimæ*, inquit, *nuptiæ non ſunt, ac per hoc ſpurius naſcitur.* Ex quo intelligitur, neque injuſtum matrimonium pro concubinatu haberi: quia ex injuſto matrimonio ſpurii naſcuntur: ex concubinatu ſpurii non naſcuntur. Eſt enim concubinatus, ut Julianus noſter loquitur, imitatio juſti matrimonii, & conſequenter qui ex concubinatu naſcuntur, etiam civilem patrem, matremque habent. ex his etiam intelligimus matrem eſſe ſemper certam: quod Paulus ait eſſe natura verum, non jure civili: nam ex contubernio, vel ex injuſto, & illicito matrimonio jure civili nec mater dicitur eſſe certa: natura autem patrem eſſe certum non eſt ſemper verum, &c. Hæc Cujacius.

Quid præterea *l. patronæ de bonis lib.* Patronæ liberos etiam vulgo quæſitos habere poſſeſſionem bonorum maternorum: ut habeant poſſeſſionem bonorum patroni liberi debent eſſe jure quæſiti: nonne jam ex concubinatu natos jam dictum jure eſſe quæſitos, & probante lege ſortiri portionem bonorum, *l.* 1. *ad municip. &* 2. *ad S. C. Tertull.* Vulgo quæſitos liberos matris conditionem ſequi volunt, & juſtos liberos iis opponunt: nec ad hæc quicquam Cajus in fragmentis. Fatetur quidem Ranchinus vulgo quæſitos, ſeu conceptos eos proprie appellari, qui ex ſcortatione procreati ſunt: etiam fateatur neceſſe eſt, leges adductas etiam lata ſignificatione ex concubina natos non vocari ſpurios: nec quid loquatur Feſtus moror, ſed quid Juriſconſulti verborum (utpote ex ſtoica profecti ſchola) ſemper obſervantiſſimi.

Ipſum non movet, quod exemplum parum convenire videatur cum eo, quod propoſuerat Papinianus. Cum enim dixit actionem eſſe ad petendum quod concubinæ relictum erat: exemplum autem ſubjicit de relicto filiæ ex concubina ſuſceptæ. quod ſit eadem ratio in filia, atque concubina. Me tamen movet, & alget. cum enim quærat de concubina, quorſum ſubjiciet de ea, quæ concubina nunquam fuit, aut cur ad ſimilia confugiet

fugiet cum in ſpecie multa ſuppeterent? nonne rectius quis ſine reprehenſione, & facti, & exempli ſpeciem ſervavit? nec video quod poſſet a Cujacii obſervatione quenquam dimovere.

Societas vectigalium an ex pacto tranſeat ad hæredes.

CAP. XIV.

CIcero in Oratione pro P. Quintio numer. 76. Societatem, aliam dicit voluntariam, aliam hæreditariam: *Cum eo tu*, inquit, *voluntariam ſocietatem coibas, qui te in hæreditaria ſocietate fraudarat.* ex quo loco acute (ſuo more) Cujacius lib. 10. Obſervat. c. 25. ſocietatis conditiones deducit: ſtatuitque ſocietatem aliam eſſe voluntariam, quæ conſenſu, tractuque habito inter ſocios contrahitur: aliam eſſe neceſſariam, quæ improprie ſocietas: proprie tamen rerum communio vocatur: illa morte ſolvitur: Hæc etiam tenet hæredes, qui commune retinent quidquid damni, vel lucri contigit ex re communi vivo, vel mortuo ſocio: *l. actione §. ſi in rem, §. ſi morte pro Soc.* D. Porro alias eſse ſocietates privatas, ſive de privatis rebus coitas: Alias vero publicas, quæ pro vectigalium, rerumque publicarum collectione ineuntur, & contrahuntur: & harum inter ſocios eandem eſse rationem tradunt omnes: inter ſocios ſuperſtites, & defunctorum hæredes aliam eſse rationem in privata: aliam in publica ſocietate, tradit Ulpian. *in leg. Verum, §. in hæredem ff. pro ſocio.* itidem *Pomponius leg. adeo eod. tit.* eſſe in eo diſcrimen eſt omnibus acceptum: quodnam tamen illud ſit ſunt diſcordes multi: ſunt hæc Ulpiani verba. *Et circa ſocietates vectigalium cæterorumque idem obſervamus: ut hæres ſocius non ſit: niſi fuerit adſcitus: verumtamen omne emolumentum ſocietatis ad eum pertineat: ſimili modo & damnum agnoſcat, quod contingit, ſive adhuc vivo ſocio vectigalis, ſive poſtea, quod non ſimiliter in voluntaria ſocietate obſervatur.* Pomponius vero ſic diſſerit. *Adeo morte ſocii ſolvitur ſocietas, ut nec ab initio paciſci poſſimus, ut hæres etiam ſuccedat ſocietati. Hæc ita in privatis ſocietatibus ait; in ſocietate vectigalium nihilominus manet ſocietas, & poſt mortem alicujus: ſed ita demum ſi pars defuncti ad perſonam hæredis ejus adſcripta ſit, ut heredi quoque conferri oporteat: quod ipſum ex cauſa æſtimandum eſt.* Eas ſic explicat Cujacius ubi ſupra: contrahitur autem cum hærede ſocietas voluntaria, ut ſi mortuo ſocio vectigalis cæteri publicani heredem ejus adſciſcant, eique adſcribant defuncti partem, quod his verbis ſignificatur, *d. §. in hæredem niſi fuerit adſcitus*, & ſeparatur ea re ſocietas vectigalium a privatis ſocietatibus, ut ſit in *l. adeo D. eod.* quæ etiam a nemine explicatur rectè: duo in ea initio proponuntur ex Sabino: morte ſolvi ſocietatem, quod eſt certiſſimum: & non valere pactionem ut hæres ſuccedat ſocietati: cujus dicti ratio eſt ſatis obſcura, &c. Porro hæc duo cum propoſuiſſet Pomponius ex Sabino, *d. l. adeo* notat, Hæc ita in privatis ſocietatibus ait, Sabinus ſcilicet ait, & hoc non quod dixit de pactione, ſed quod dixit primo morte ſolvi ſocietatem: hoc, inquam, in privatis ſocietatibus verum eſt: in ſocietatibus vectigalium non item. Nam & mortuo uno ſocietas manet inter cæteros, ſi modo hæres defuncti communi cæterorum conſilio adſcitus, & adſumptus ſit in eam ſtationem, ſive partem vectigalis exercendi, quam defunctus adminiſtrabat. Solebant enim publicani per partes inter ſe diſtribuere vectigalium exactionem: nec minus tamen communia erant invicem commoda, & incommoda omnia: *l. locatio §. ſocii, de publicanis.* Non exigo novo conſenſu coiri ſocietatem inter ſuperſtites, alioquin nihil hæc ſocietas diſtaret a privata; Sed ſolam hæredis aſſumptionem ajo inter eos continuare ſocietatem: Hæc Cujacius.

Hæc ſententia, quam novam dicit induxiſse Cujacium, non placet Ranchino lib. 3. variar. lectio. c. 13. in primis quia ex pacto ad hæredem tranſmitti evincunt illa Pomponii verba, *An in ſocietate vectigalium* &c. *Docuit antea*, inquit, *Pomponius privatam ſocietatem adeo diſſolvi morte, ut nec ab initio paciſci poſſimus, ut hæres ſuccedat in ſocietate ac deinde verba a nobis relata ſubjicit: Quod cum ita ſit, & ipſe contrarium ſtatuere velit in ſocietate vectigalium in eo quod de pacto addidit, neceſſe eſt illud dicamus, partem defuncti adſcriptam fuiſſe ad perſonam hæredis pacto ab initio interpoſito. Et ſane id clarius exprimunt verba quæ ſequuntur*, ut hæredi quoque conferri oporteat, *ideſt, ut neceſſe habeant ſocii hæredem adſciſcere, eique defuncti partem adjudicare. niſi enim ita exaudiantur ea verba, quænam, oro, erit differentia inter hanc vectigalium ſocietatem, & eam quæ ſit de re privata? Quamvis enim ſocietas privata non tranſeat ad hæredes, ne quidem ex pacto, ſi tamen hæredem ſocium ſibi adſciverint ſuperſtites ſocii, eis ipſe ſocius erit ſine dubio.* l. nemo & l. plane D. pro ſocio. *ſimilis ergo ſocietas vectigalium privatæ ſocietati: At diſſimilem hac in re eam Pomponius voluit eſſe. Sed omnem dubitandi materiam præripiunt verba, quæ ſuperioribus jam a nobis relatis ſtatim connectuntur.* Quod ipſum ex cauſa æſtimandum eſt: Quid enim ſi is mortuus ſit, propter cujus operam maxime ſocietas coita eſt. &c. *Ait ex cauſa æſtimandum eſſe an portio defuncti hæredi conferri debeat: Sive an hæres ad ſocietatem admittendus ſit: Quæro ſi nullum interpoſitum fuit pactum de portione defuncti hæredi conferenda, aut ſi interpoſitum non valeat, quid opus iſtiuſmodi æſtimatione? vult enim Pomponius id eſſe a judice æſtimandum & perpendendum, non autem ab ipſis ſociis: id igitur vult Pomponius in tota illa lege, privatam ſocietatem finiri morte, nec ex pacto continuari in hæredem. Societatem vectigalium finiri morte, ex pacto tamen tranſire in hæredem, niſi eo caſu hæres non eſt idoneus, quod ipſum a judice cauſa cognita æſtimandum eſt.* Hæc contra Cujacium *Ranchinus*.

Hic mihi bis in Cujacium peccare videtur Ranchinus: & quod novam duxerit opinionem Cujacii: & quod levi motus conjectura: nec ulla innixus auctoritate, acute diſpoſitam tanti viri ſententiam agitaverit: Nam licet in eo nova ſit: quod prius involuta & Doctorum diſputationibus obſcurata, jam ſit perſpicua. Vere tamen nova non eſt, cum idipſum voluerit Bald. *in l. mandatum. in 3. oppo. C. mandat. & conſ. 418. Paul. Caſtr. conſ. 334.* dum ſolo uſu inſtitorum renovari volunt ſocietatem.

Source : BIU Cujas

Sed quæ ratio ? Cum non tranſire ſocietatem privatam ſtatuiſſet Pomponius: adeo ne pacto quidem. addit contra fieri in vectigalium ſocietate : ergo hæc ex pacto tranſeat neceſſe eſt.

Hæc Ranchini ratio: tranſire quidem, ſequitur neceſſario, quod probat Cujacius : ſed pacti nulla eſt neceſſitas, cum ex duobus utrumvis demonſtrare poſſit pronomen, *Hoc*. Et licet id in alternatis frequenter indicet quod poſterius : tamen mutari frequenter hunc ordinem non ignorat vir diſertus, & id a Sylvio fuiſſe ex Valerio Maximo probatum credo advertiſſe. Nec verba ſequentia, *ut hæredi quoque conferri oporteat*, plus hunc quam illum ſenſum juvant : æque enim ſi ex ſola adſcriptione tranſeat ſocietas heredi conferetur, ac ſi ex pacto. Non prius ergo cenſeo aſpernandum Cujacii judicium, quam appareat pronomen, *hoc*, non id quod prius, ſed quod dudum de pacto tantum indicare poſſe, de quo nihil dum dicitur : aut alia quædam firma ratio divellat : judicis autem æſtimationem quam requirit Pomponius, non video quo pacto difficultatem tollat ; aut Cujacio noceat. Nec enim pacti robur, aut hæredis adſcriptionem : ſed vires tantum dijudicat: nam ſi ſocietatis firmitas ex defuncti perſona pendebat adeo, ut ſine eo geri non poſſit cauſa cognita arbitratu judicis vectigalium, ſocietas illius morte ſecuta, prorſus diſſolvetur. Et quod dicit Ulpian. *niſi adſcitus fuerit*, cur ad aſſumptionem voluntariam, non autem neceſſariam (eo ſaltem quo dictum modo) potius referentur? Hæreo igitur adhuc firmus, & niſi quid fortius, hærendum duco.

Pacto de litigando coram Judice non competente quod ſtandum ſit.

CAP. XV.

STandum eſſe omnino conventioni ſemel factæ viſus eſt Juſtinianus aſſerere. *l. 1. ſi qui. C. de pact.* dum conventionem quam quis fecit in ſcribendo inſtrumento ſeſe non uſurum fori præſcriptione, validam fore ſtatuit his verbis : *Sancimus nemini licere adverſus pacta ſua venire, & contrahentes decipere*. At Africanus *l. ſi convenerit. ff. de Juriſd.* in hac ipſa facti ſpecie, re integra diſcedere a conventione patitur : his verbis. *Si convenerit, ut alius prætor, quam cujus juriſdictio eſſet, jus diceret, & priuſquam adiretur mutata voluntas fuerit : proculdubio nemo compellitur ejuſmodi conventioni ſtare*.

Bartol. ad *l. ſi convenerit*, ſic reſpondet ex ſenſu Gloſſ. quem dicit tenendum : quod pactum, inquit, quod quis conveniatur coram judice non ſuo, quem non aſtringit, ut hic. Sed pactum quod quis conveniatur coram judice ſuo, quem poterat ex privilegio recuſare, ut in ſcholaribus, hoc pactum bene valet, ut in contrario. Vult igitur Bart. eum qui de jure communi eſt ſubjectus juriſdictioni, privilegio tamen eximitur, poſſe pacto a privilegio ad priſtinum jus redire: nec licere conſtitutione Imperatoris ab eo diſcedere, quod pacto ſtabilitum. Pactus autem quis de eo cujus juriſdictionem ordinarie non agnoſcit, poteſt Authore Africano ab eo pacto re integra diſcedere. Bart. ſequuti ſunt fere omnes veteres.

Decius ad dictam *leg. C. & cap. 1. de Judic.* cum univerſam eſſe Imperatoris conſtitutionem advertit, quæ ad pedaneos etiam judices, & ad compromiſſarios, & arbitros electos perveniat : Reſpondit. Imperatoris mentem de eo qui renunciavit foro, voluntatemque ſuam altera parte invita mutare nititur, concipiendam eſſe ; quo caſu erit pacto ſtandum : Juriſconſultum vero reſpondiſſe de pacto mutuo partium conſenſu diſſoluto. Covarruv. ad *C. quamvis §. 4. num. 7.* Hanc ſententiam & veram putat, & communem : His verbis : *Nam l. ſi convenerit*, inquit, *intelligenda eſt de voluntate utriuſque paciſcentis mutata, ſiquidem uterque invito judice, de cujus honore agitur, mutare poterit voluntatem : Nec Juriſconſultus inibi loquitur de mutatione voluntatis unius tantum : Sed*, inquit, *ſi mutata fuerit voluntas : unde abſolute de utriuſque voluntate mutata vera eſt interpretatio, quod eleganter in d. l. ſi convenerit notavit Alberic. & poſt eum Dec. in d. c. 1. de Judic. num. 19. Andr. Alciatus ibid. num. 32. idem Alciatus lib. 2. Par. cap. 17.* & Coraſ. lib. 4. Miſcell. cap. 5. *Atque hæc ipſa opinio maxime probabilis eſt ; ne dicamus ita facile judicium, & pactorum auctoritatem eludi, ſi permiſerimus pœnitentia unius tantum partis pactum prorogandæ juriſdictionis, aut non declinandi judicis alieni juriſdictionem tolli. Nec in praxi admittenda foret Juriſconſulti reſponſio, ſi quis poſt pactum prorogandæ juriſdictionis alicujus judicis quæ prorogari potuiſſet, etiam ante litem conteſtatam pœniteret. Hæc Covarruv.* Sed hoc mali patitur iſta ſententia, quod ne verbum quidem fit in dicta *leg. ſi convenerit*, quod utriuſque partis conſenſum vel deſignet, vel inducat.

Ab hac tertio alii ita diſceſſerunt, ut Juriſconſulti reſponſum ſuſcipiant in jure civili : Juſtinianum Pontificii juris pietatem ſecutum, & in hoc jus civile a canonum rectitudine diſcedere : Hoc probat Alex. in *d. l. ſi convenerit. 3. Fall. Bald. in l. ſi quis in conſcribendo, C. de Epiſc. & Cler.* Sed certum hoc non minus Imperatorem quam Africanum civili more locutum & de jure civili utrumque eſſe intelligendum. An vero vis jurisjurandi pactum alioqui inutile corroboret, differit ubi ſupra Covarruv. nihil ad rem præſentem facit hæc diſputatio.

Succeſſit tandem ſingularis ſententia Cujacii : aut certe prius animadverſa : ſed ejus arte explicata, *Tract. 7. ad Afric.* ſi convenerit, inquit, inter me, & te ut pro competente judice incompetens adiretur, veluti prætor tutelaris pro fideicommiſſario, cum eſſet inter nos controverſia de Fideicommiſſo : non teneor conventioni ſtare, quia nuda conventio obligationem non parit. Nec quicquam *l. 1. de Judic.* & ſi quæ ſunt ſimiles : quoniam non videntur ſe ſubjeciſſe, niſi qui eum adierunt. Hic non dum fuerit aditus. Nec l. pen. C. de Pact. quia de conventione loquitur contractui appoſita ex continenti : ne reus utatur præſcriptione fori, ex qua nemo ambigit obligationem naſci : & quamvis non naſceretur : tamen poſſet præſcriptio fori appoſita repelli replicatione pacti conventi : quia conſtat, & ſi ex pactis jure Civili non dentur actiones, jure prætorio exceptiones, & replicationes dari. Sed ſi poſt conventionem de adeundo judice incompetenti : etiam eum adierimus :

Source : BIU Cujas

mus : & nos ei ſubjecerimus & litem conteſtati apud eum fuerimus : quæ fuit initio nuda conventio deſinit eſſe nuda ; quia ex facto id eſt ex conventione judicis, & litis conteſtatione ſumpſit effectum, & teneor conventioni ſtare. Vult ergo Cujacius leg. Africani intelligendam eſſe de pacto nudo ; Juſtiniani legem capiendam de pacto contractui adjecto : quod propterea nudum non eſt, & obligationem parit. Habet pro ſe Cujacius expreſſa Imperatoris verba : *Si quis in conſcribenda inſtrumento ſeſe confeſſus fuerit non uſurum fori præſcriptione.* &c. ecce pactum in continenti appoſitum contractui : Juriſconſultus ſimpliciter reſpondet : *Si quis convenerit* &c. Hanc ipſam ſententiam agnovit Abb. in *d. c.* 1. *& Dec. ibid. num.* 20. & Anton. Govean. eam ad *l. ſi convenerit* aperte amplexus eſt. tandem eandem And. Fachineus *lib.* 1. *controv. cap.* 61. uti veriorem probat. Nec me etiam ab eadem deducet Covarruv. ubi ſupra, anxia concluſio, qua arbitratur nihil referre fiat prorogatio per pactum nudum, an per ſtipulationem, cum ſit certum pactum contractui in continenti appoſitum, etiam contractus vim ſortiri, nec poſſe mutari. *l. qui fundum de contrah. empt.* cum ſimilibus.

Periculum rei venditæ, & non traditæ ad quem pertineat, ad emptorem ne, an ad venditorem : ſeu potius quid veniat nomine periculi in hoc caſu.

CAP. XVI.

AFricanus in *l. ſi fundus, ff. locati* : ita diſſerit : *Si vendideris mihi fundum, iſque priuſquam vacuus traderetur, publicatus fuerit, tenearis ex empto, quod hactenus verum erit ut pretium reſtituas, non ut etiam id præſtes, ſi quid pluris mea interſit, eum vacuum mihi tradi.* Vendidiſti mihi fundum, qui ſine culpa tua ante traditionem publicatus eſt, teneris mihi, inquit Africanus, ex empto, ſed in ſimplum, ut ſcilicet vel me liberes actione ex vendito, vel pretium quod recepiſti reſtituas, non autem id omne quod mea intereſt fundum vacuum non tradi : unde inferri videtur, rei venditæ periculum nec traditæ ad venditorem non ad emptorem pertinere. Quod reſponſum ex diametro repugnare videtur Juriſconſultorum judiciis : qui vendita re, nec dum tradita, periculum eſſe volunt emptoris : ſunt leges in id plures : Rem ita diſtinguit Cujacius Tract. 8. ad Africanum. *Verum ita*, inquit, *eſt accipienda regula, ut pereat res emptori, non pretium, id eſt, ſi res perierit ante traditionem : & perire videtur quæ in publicum redigitur, ut pereat emptori, ne id quod intereſt ſupra pretium rei conſequatur : non etiam, ut vel precium non repetat, quod ſolvit, vel quod non ſolvit venditori ſolvere compellatur ; quod confirmat* l. quod ſi neque, de peric. & commod. rei vendit. *quæ lectis venditis, ſi ante traditionem eos ædilis plebis cum in via publica poſiti eſſent, conſciderit : venditoris periculum eſſe ait, quia ſcilicet pretii petitionem non habet, quinimo reſtituit precium ſi quod acceperit. Idem confirmat* l. ult. de condict. cauſ. dat. *quæ in permutatione ad exemplum emptionis, ſi data pecunia ut daretur ſtichus, perierit ſtichus ante traditionem, pecuniæ repetitionem eſſe ait : cum tamen conſtet ex* l. Naturalis. §. 1. de Præſcr. verbis *non eſſe in id quod intereſt ſtichum tradi præſcriptis verbis actionem, idem etiam infra confirmabit.* l. 39. de ſolut.

Gulielmus Ranchinus lib. 3. variar. lect. cap. 11. Putidum putat illud periculum de lucro captando intelligere, & non potius de precii jactura. Idque ratione, & auctoritate legis nititur confirmare : Sic primum ratiocinatur. *Quod ad emptorem perfecta ſemel venditione pertineat omne lucrum atque emolumentum rei emptæ.* l. 1. C. de Peric. & comm. rei venditæ. l. pen. C. de act. empt. & vend. *ergo omne damnum & detrimentum ad eum quoque ſpectare debet : nullum vero ad venditorem, qui jam ſecurus eſſe debet, quique ut lucri expers eſt, damni quoque immunis eſſe debet. Deinde ſi in perſona emptoris periculi nomine ſolum lucrum ceſſans venire volumus, non etiam precii amiſſionem, idem quoque in perſona venditoris admittamus neceſſe eſt : ut dum dicimus periculum ad eum ſpectare, id exaudiri debeat, non de rei jactura, ſed de lucro quod ex precio conſequi potuiſſet : quod eſt abſurdum.* Hæ ſunt rationes.

Sed reſpondet ipſe Cujacius ad ſpeciem l. Lucius de evict., ex mente Azonis : *Ante traditionem perempta re vendita precii remiſſio, vel repetitio eſt : poſt traditionem precii remiſſio, vel repetitio non eſt :* & traditam fuiſſe rem in caſu *l.* 1. C. *de peric. & comm. & l. pen. de act. empt.* C. non minus apparet quam in *l. Lucius* ex mentione facta evictionis : nec enim evinci poteſt, niſi quod traditur, nec ante traditionem evictionis nomine datur actio, quam tradi in caſu alterius legis his verbis voluit Imperator : *Auctor enim ex his tantum cauſis ſuo ordine tenetur ; quæ ex præcedente tempore cauſam evictionis parant.* ad quam ita paucis Cujacius, eod. tit. Præcipua ſententia legis primæ eſt, poſt perfectam venditionem, ad venditorem non pertinere, niſi periculum evictionis : alias reſpicere emptorem. Altera vero lex fructus reſpicit, & rei traditæ.

Ratio vero altera nihil concludit, cum non quæretur comparate : ſed quid de re perempta ſtatuendum : diſpar ad hæc eſt precii a re vendita ratio : nam venditor cum teneatur rem tradere tantum, non autem facere emptoris : obligatur de evictione : *l. ex empto, ff. de action. empt.* At emptor cum cogatur nummos facere accipientis, *l. ſi mandavero, §. ſi mandaverim, & l. cum ſervus, Mandat.* nullum jam amplius ſequitur periculum : eſtque hoc caſu diſpar comparatio. vid. Cujac. lib. 23. Obſer. c. 32. Correlativorum plerumque diſpar, diverſaque ratio eſt.

Sed expreſſis verbis legum quam rationibus certare tutius : l. ult. C. de Periculo & comm. rei venditæ, ita loquuntur Imperatores. *Mortis caſus ancillæ diſtractæ etiam ante traditionem, ſine mora venditoris, non ad venditorem, ſed ad emptorem pertinet. Et hac re non ex præterito vitio rebus humanis exempta ſolutionem precii emptor non recte recuſat.* Idem dicit Julianus. *l. cum emptor, §. 1. D. de reſcinden. vend.* Idem Paul. *in l. ſi emptione §. pen. D. de contrah. empt. & l. venditori, ff. de hæredit. vel act. vend.* Primum ego, legi ex Paulo adductæ, oppono Paulum. *l. Quod ſi neque*

ff. de

Source : BIU Cujas

ff. de peric. & commod. rei vend. Quod ſi neque traditi eſſent, neque emptor in mora fuiſſet, quominus traderentur, venditoris periculum erit. Venditoris periculo affirmat diſcindi lectos, ſi emptor in mora non fuit; Ergo in pari caſu: in emptorem vertet periculum ſi in mora fuiſſet. Idem de Juliano: mortuo enim homine tum venditor liberatur, ſi per eum non ſtetit quominus traderetur. Idem *de leg. lectos, de peric. & comm. rei ven. Idem de leg. Quòd ſi, de jure dotium.* multiſque pluribus in eundem ſenſum ſtatuendum eſt, cum mora per emptorem fuerit, quominus res traderetur.

Quod ex tit. *Inſtit. de empt. & vend. §. tum autem*, tradit Juſtinianus perfecta emptione periculum rei venditæ ſtatim ad emptorem pertinere, non id aſpernatur Cujac. quaſi ex rudimentis artis deductum. quod affirmat Ranchinus. Sed uti ſunt pleræque inſtitutionum regulæ ex ſummo jure deductæ, & mitioribus ſubinde legibus temperatæ, quod probat exemplo *§. certe, de rerum diviſ.* Ita & hæc, exactius eſt in ceteris libris ad æquitatem reducta. Habetque Cujacius non Africanum modo in hac ſententia Auctorem, ſed Paulum etiam & Celſum: nec forte recte concepta, cæterorum mens ab hiſce diſcedit: aperte certe accedit Cujacius *l. quod ſæpe, §. ſi res vendita. D. de contrab. empt.* ubi ſcribit, damnandum ob hoc ipſum venditorem, quod in emptorem actiones transferre non poteſt; quod ita accipiendum etiam Anton. Faber (quem ſe habere belli ſocium in hac expeditione gloriatur Ranchin.) fatetur, ut precii tantam jacturam ſentiat, non etiam ut ad præſtationem ejus quod emptoris intereſt teneatur: In eo recte non ſocium habet, ſed hoſtem, quod cum Accurſio Africani ſententiam in ſingulari tantum caſu putet procedere: nec in cæteris, cum vix faveat, de auxiliaribus ejus copiis multum gloriabitur.

Conſtitutio l. 2. C. De Reſcind. venditio. an habeat locum in emptore læſo.

CAP. XVII.

COvarruvias variar. Reſolut. lib. 2. c. 3. Arius Pinellus in comment. d. leg. part. 1. cap. 2. plurimique per eos citati Conſtitutionem Diocletiani & Maximiani Cæſarum non minus emptori læſo ultra dimidium juſti pretii, quam venditori credunt indulgere: cum propter promiſcuam emptionis & venditionis nuncupationem: tum propter parem in utroque æquitatis rationem.

Cujacius (ante quem nullus, ut ipſe fatetur indicaverat beneficium l. 2. non eſſe producendum ad majorem. 25. annis) lib. 16. Obſervat. c. 18. & lib. 23. cap. 32. contra conſtituit. Immodicam fraudem reſcindi oportere ex conſtitutione d. l. 2. non tamen ex utraque parte, ſed ex parte venditoris tantum: ſi in ponendo pretio ſupra modum fuerit læſus, non etiam ex parte emptoris, ſi quis ſtultus impenſo, & immenſo pretio rem emerit. Æquitatis cauſas aſſignat d. lib. 16. *Æquum erat*, inquit, *ſubvenire venditori qui minoris vendidit. quem plerumque neceſſitas rei familiaris compellit vendere precio minore.* l. 2. 12. & 16. C. de reſcind. vendit. l. 1. C. de Præd. cur. l. 2. C. ſine cen. vel rel. l. ita ut omnes. §. 1. Mandat. *non etiam emptori ultro* A *accedenti ad emptionem prædii ſæpe fraudandi cauſa, & plerumque emenți precio impenſo & immodico affectione opportunitatis, vel vicinitatis, vel cœli, vel quod illic educatus ſit, vel parentes ſepulti, ut* l. 1. §. ſed ſi rem ff. ſi quid in fraudem Patr. *vel quod majorum ejus fuerit. ut* l. ſi in emptionem ff. de Minor. *qua cupiditate incenſus ultro ſæpe projicit ingentia, & immenſa pretia. quod calorem vocat* l. locatio D. de Publicanis & vect. *alii inſaniam.* hæc ille: vult igitur hac conſtitutione venditoris inopiam juvari: non foveri emptoris invidiam.

Hæc Cujacii ſententia ſi eleganter a Roberto Aureliano lib. 2. animadverſionum cap. 13. reprehenſa: B eadem eſt ab Anton. Mercat. in Notat. lib. 2. cap. 13. fortiter defenſa. Ideo nos paucis ad ea quæ Andr. Fachineus contra hanc ſententiam lib. 1. Controv. cap. 16. qui ſic contra nititur.

Quis, inquit, *ignorat ſæpe accidere, ut quis emat utilia ſibi, vel neceſſaria bona fide, non animo injuſte lucrandi, neque fraudandi? Rurſus ſæpe venduntur res, ut aliæ emantur utiliores, nullaque neceſſitate urgente: quare ſicut humanum eſt ſubvenire venditori, ita quoque emptori ſubveniendum eſt: & cur liceat majoris rem vendere alteri ementi propter affectionem cum illa minime qualitas eſſe dicatur apta ad augendam rei æſtimationem.* His ſatis occurrit Cujacius dum C ad finem cap. 18. lib. 16. probat pertinere ad majores non ad minores, & ad res ſoli: non ad mobiles, in mobilibus enim non immobilibus occurrunt utilium cum inutilibus, vel neceſſariorum commutationes: Nec licere majoris rem vendere ex animi affectione concludit Cujacius: ſed impenſas hafce invidorum voluntates comprimendas potius damno emptionis, quam reſtitutione in integrum adaugendas. Neque umquam negavit æquum eſſe emptori ſubveniri, ſi dimidio pluris emerit. Ita enim ipſe ſtatuit ad Tit. C. de Reſcind. vendit. *Et ratio facit, nec quiſquam contradicit, ut emptori etiam ſubveniatur, eadem electione data venditori, ut vel precium reddat quod accepit,* D *& rem recipiat, vel quod ſoluto precio ſupereſt, reſtituat. l. 1. §. in fraudem ff. ſi quid in fraud. pat. &* exemplo etiam id illuſtrat quemadmodum emptor dimidio pluris emat. hoc vult iſta conſtitutione non eſſe emptori ſubventum. Lib. vero 23. cap. 32. dum ex Senec. Cont. Plaut. & Plin. probat emptores ſolidarum rerum non relevari: Non uti Juriſconſultos, quorum reſponſa legum vim obtineant: Sed rerum Romanarum infortunatiſſimos teſtes, Romæ obſervatorum adducit. Ita in facto recte Seneca, qui etiam Juriſconſultus: *Non poſſum domum habere niſi hanc emero, nulla alia venalis eſt, & hanc occaſionem videt venditor, & premit: non tamen hanc venditionem reſcindes, alioqui in in-* E *finitum calumnia excedet.* & Plaut., inquit, *ædes male emptas non licere redhibere:* Rationem, & formam juſti precii a Cujacio traditam probat Fachineus: & probanda eſt etiam contra communem ſententiam a Covar. late ubi ſupra diſcuſſam: Nec tam in reſtitutione, quam in aſſignatione juſti precii diſcedit.

CAP.

Source : BIU Cujas

Minores ſine Tutoribus ſuis an poſſint ex ſtipulatu obligari, & bona alienari.

CAP. XVIII.

CONtentio hæc a duabus legibus ſeſe invicem oppugnantibus, profecta, & potentiſſimorum Ducum acies in contrarium inſtructa fuit defenſa. Modeſtinus enim l. 101. de Verb. Obligat. Reſpondit. *Puberes ſine curatoribus ſuis poſſunt ex ſtipulatu obligari*. Diocletianus, & Maximianus Cæſares l. ſi Curatorem habens C. de in Integ. Reſtitut. ita ſcripſerunt: *Si curatorem habens minor quinque & viginti annis poſt pupillarem ætatem res vendidiſti, hunc contractum ſervari non oportet: Cum non abſimilis ei habeatur minor curatorem habens, cui a prætore curatore dato bonis interdictum eſt.* Lex altera puberem ſine curatore obligari patitur: altera, contractum ſine curatore initum vetat ſervari.

Joannes Imola, aliique plerique veteres ita has leges conciliant, ut *lex puberes*, recte concipiatur, de pubere qui Curatorem non habet: recte eum poſſe obligari: lex vero, *ſi curatorem*, ſtatuat eum qui habet Curatorem non poſſe ſine eo obligari: hos ſequutus Franciſc. Duarenus ad eandem legem ita explicat: *Puberes, qui curatores ſuos non habent, poſſunt ex ſtipulatu obligari. Nam ſi ita accipimus, ut puberes poſſint ex ſtipulatu obligari, quamvis non accedat tutorum, quos habent, auctoritas, id falſum reperiretur, & reſcripto Diocletiani contrarium*, l. ſi Curatorem. C. de in integr. reſtitut. *Nec ſententiam eorum probo, qui diſtingunt alienationem rerum ab obligatione perſonali: Cum Diocletianus in Reſcripto illo ſuo de venditione loquatur, ex qua perſonalis naſcitur obligatio: Nec minus ſtipulatione, quam venditione res alienari poſſunt, ſi ſequatur traditio.* Hæc ille.

Cujacius ad eandem legem a Duareno reprobatam ſequitur ſententiam: puberes, qui curatores habent ex ſtipulatu obligari poſſe ex ea lege, ſed bona ſua diſtrahere non poſſe, ut l. ſi curatorem. Sic ipſe. *Peſſime hæc lex ab interpretibus accepta de puberibus, qui curatores non habent, cum dicat, ſuis, & hoc tantum de impuberibus ſit proditum innumeris locis, non obligari eos ſine tutoris auctoritate, quaſi ſcilicet non idem ſit in puberibus. Puberes igitur ſine tutoris auctoritate obligantur. Nec movere eos debuit* l. 3. C. de in integ. reſtit. *quæ de rerum alienatione, vel ut de rerum venditione jam perfecta, impletaque loquitur, non de obligatione, fateor res ſuas puberem non alienare ſine curatoris auctoritate: Nam curatori rerum adminiſtratio commiſſa eſt. At in perſonam puberis curator poteſtatem non habet, pubes enim eſt ſuæ tutelæ; ideoque de ſua perſona promittere poteſt ſine curatore ſuo.*

En duo hæc gentis ſuæ ſplendidiſſima lumina, contrariis ſe acuminibus configunt. Sed in eo primum Duareni ratio videtur deficere, quod contractum venditionis, qui perſonæ obligationem continet, cum rerum alienatione, recte quidem concluſit, ſed alterum ab altero non ſatis recte ſecrevit: alia enim obligationis, alia diſtractionis vera ratio. Quod ſtipulatione, ſubſequente traditione, alienari poſſe dicit: id hoc modo recte diſſolvit Fachineus A Juriſconſultus in l. 101. non de tali ſtipulatione loquitur, quæ cum traditione transferat dominium rei, nec talem poteſtatem minori concedit ſine curatore. Sed tantum dicit obligari poſſe puberem ex ſtipulatu, quod eſt accipiendum de perſonali obligatione, juxta naturam ipſius tituli de Verbor. Obligation. non autem ubi ſtipulatio continet rerum alienationem: quia ſic repugnaret Diocletiani reſcripto in d. l. *ſi curatorem*. Cum ſit hæc ſententia per Anton. Mercatorem ſatis contra Rob. Aurelianum defenſa, judicanda hæc erant potius quam diſcutienda.

Teſtamentum inter liberos non adhibitis Teſtibus, an valeat.

CAP. XIX.

JUlius Clarus §. teſtamentum, quæſt. 14. ex Alex. magis communem dicit ſententiam Juriſconſultorum ex Schedula, ſeu teſtamento inter liberos imperfecto ratam eſſe parentum voluntatem, etiam nullis ad id præſentibus, aut vocatis teſtibus. idem tradit Menochius lib. 4. Præſumpt. præſ. 7. num. 5. qui auctores ſuos adducit præcipuos Bald. in Auth. quod ſine. *C. de teſtam. Bart. in l. ſi is qui num.* 14. *eod. & ibid. Paul. Gul. Bened. in c. Raynutius in verbo teſtamentum lib.* 1. *num.* 87. *verſ. ſi quidem illa*: opinioniſque cauſam aſſignat: quod æquitati conveniat filios obſervare parentum voluntatem, etſi omni ſolemnitate careat: Cum ſola ipſa veritas inter eos ſpectari debeat: & fruſtra hic requiritur teſtium præſentia, cum ſatis conſtet talem fuiſſe parentum diſpoſitionem. Andreas Fachineus lib. 4. Controverſ. cap. 1. qui & fundamentum in tribus legibus conſtituit. Prima eſt Conſtantini l. ult. Cod. fam. Erciſc. *Defuncti diſpoſitio cuſtodiatur, etiamſi ſolemnitate hujuſmodi diſpoſitio fuerit deſtituta*: Altera Theodoſii, l. hac conſultiſſima §. ex imperfecto. C. de teſtamentis, *ex imperfecto autem teſtamento voluntatem tenere defuncti, niſi inter ſolos liberos a parentibus utriuſque ſexus habeatur, non volumus*. Tertia Juſtiniani ex jure noviſſimo, Novel. de Teſtament. imperfec. ex qua deſumpta eſt Authen. Quod ſive C. de Teſtament. *Volumus ſi quis litteras ſciens inter ſuos filios voluerit facere diſpoſitionem, primum quidem ejus ſubſcriptione tempus declaret: deinde quoque filiorum nomina propria manu, ad hoc uncias in quibus eos ſcripſit hæredes non ſignis numerorum ſignificandas, ſed per totas literas declarandas, ut undique claræ, & indubitatæ conſiſtant.*

Conjecturis ad hanc ſententiam ducitur doctiſſimus Fachineus, primum quod dicat lex: *Etiamſi ſolemnitate legum hujuſmodi diſpoſitio fuerit deſtituta*. Deinde ex verbis Novellæ, quibus cum diſponendi formam inter liberos præſcripſiſſet Imperator nulla facta teſtium mentione, ſubdit uxori, vel extraneis legata tum firma fore, *cum propria ſcripta manu, dictaque a teſtatoribus coram teſtibus* &c. Quæ verba firmum teſtimonium, nedum argumentum ſuppeditant pro confirmatione communis ſententiæ: Denique Theodoſio eodem modo in ſua lege dicitur imperfectum teſtamentum, quo Conſtantino, ut ex Theodoſii verbis conjicitur: At Conſtantini judicio omni ſolemnitate caret, & teſti-

Source : BIU Cujas

teſtibus: igitur Jacobus Cujacius ab hac communi ſententia ſua Conſultatione prima diſcedit. Nec teſtamentum dici poſſe eam voluntatem cui teſtes deſint, reſpondit, Quia, inquit, *nec teſtamentum, nec Codicillus dici poteſt ea voluntas, cui teſtes deſunt. In codicillis enim exiguntur quinque*, l. hac Conſultiſſima §. 1. l. cum antiquitas §. ult. C. de Teſtam. l. ult. de Codic. *& in teſtamento ruſticanorum* l. ult. C. de Teſtam. *In nuda voluntate tres.* l. 27. C. eodem. *& Plutarch. in Coriolano in teſtamento procincto tres, aut quatuor teſtes adhibitos refert.*

Item non omne vitium negligetur in teſtamento: nec igitur illud quod ſummum eſt, ſi nulli adhibeantur teſtes, a quibus nominis teſtamenti ſubſtantia deducitur, & quaſi teſtamenti, ſive partis teſtamenti, qui codicillus dicitur. Denique fundamenta adverſæ opinionis qua facilitate extruuntur, eadem avertuntur. Lex enim Conſtantini famil. erciſc. nihil officit. Cum enim in teſtamento inter liberos qualiacumque indicia dicuntur ſufficere, non magis hoc ſermone excluduntur teſtes: quam cum dicimus, nutu fideicommiſſum relinqui poſſe *l. nutu de legat.* 3. teſtes tamen adhibendos reſcripſerunt Diocletianus, & Maximianus Cæſar. *l. & in Epiſtola C. de fideicommiſſ.* Adeo & in eadem lege, DD. ſaltem duos teſtes. Imo Bartol. ipſe, teſtes legitimos requirant.

Theodoſii conſtitutio teſtamentum non id vocat imperfectum, quod teſtibus caret: Sed quod a teſtibus ad id præſentibus nec ſubſcriptum nec ſignatum eſt: idque ex verbis Conſtitutionis & rationis conſequentia convincitur: Prius enim aperte id eſſe imperfectum teſtamentum declarat: quod teſtium ſubſcriptione, vel ſignatura non munitur: *Non ſubſcriptum autem a teſtibus*, inquit, *ac non ſignatum teſtamentum pro imperfecto haberi convenit:* Hiſce addit, *ex imperfecto*, &c. ex quibus voluntatem defuncti inter liberos tantum, ex imperfecto teſtamento firmam eſſe ſtatuit. Imo Africanus, *l. ſi quis legatum ff. Ad leg. Cornel. de falſ.* teſtamentum ſignatum opponit, non ei quod teſtibus caret, ſed non ſignato: quo loci ex Cujacio vide cauſam, cur teſtamenta non ſignata dicantur imperfecta. Denique ex non ſignato Prætor non dat bonor. poſſeſſionem, *l. cum tabulæ, ff. de Bonor. poſſeſſ. ſec. tab. & l. poſtumus, ff. de Injuſt. rup. teſt.*

Nec credo a Cujacii ſententia divertere poterunt ex Nov. 107. a Fachineo ſumptæ conjecturæ: qua enim arte poſteriora Novellæ cum prioribus collata, teſtamentum id imperfectum eſſe quod teſtibus deſtituitur & inter liberos ſervandum concludunt: Eadem, & clarius multo ex *l. Hac conſultiſſima* id eſſe imperfectum teſtamentum, quod præſentibus licet teſtibus non eſt ſignatum convincit Cujacius: Nec collatio legis Conſtantini cum Theodoſiana quicquam facit: Nam conformes licet ſtatuamus has leges; neutra tamen id factum eſt, quod contenditur: cum excluſionem ſolemnitatum non excludere teſtes ſit ſupra demonſtratum, nec ſolutum tamen aut a Fachineo, aut ab alio.

Nec ſolus fuit in hac ſententia, quam primus licet illucidavit Cujacius: eandem enim defenderunt Alex. conſil. 76. num. 12. lib. 3. & Salyc. ad eandem leg. Theodoſii §. ex imperfecto.

Pupillaris ſubſtitutio tacita, quæ in expreſſa vulgari continetur, an habeat locum cum mater in medio eſt.

CAP. XX.

QUæſtio hæc *ad l. precibus, C. de Impub. & al. ſubſt. l. ult. de Inſtit. & ſubſtit. eod.* paſſim diſputata eſt, imo diverſis ſubinde judiciis diverſe terminata, tam in vulgari expreſſa, quam in compendioſa ſubſtitutione, uti plurib. advertit Anton. Peregrin. de Fideicommiſſ. artic. 34. num. 36. 37. 38. 39. Ranchinus ad quæſt. 521. Guid. Pap. quam de ſubſtitutione compendioſa inſtituit. Eſtque præſentis caſus communior, probabiliorque ſententia: pupillarem ſubſtitutionem tacitam, quæ in expreſſa vulgari continetur, locum non habere ſuperſtite Matre Pupilli. Nec tam eam diſputationem hoc loco duxi inferendam, (utpote a Fachineo recte diſcuſſam, & ex verbis ipſarum legum ad quas omnis hæc controverſia inſtituitur optime perpenſam & libratam, imo quid in judiciis ſit terminandum, tradiderunt Afflictus, & Theſaur., & omnium copioſiſſime loco deſignato Peregrin.) quod novi in ea quicquam vel ſingulare tulerit Cujacius: quam quod diffuſam prius opinionum pelagus paucis ſit primum complexus, veramque opinionis cauſam tradiderit: Quas alii cauſas attulerint vide apud Trentacinquum de Subſtitut. part. 1. c. 12. & Ant. Peregrinum ubi ſupra. Cujacius lib. 12. Obſervat. cap. 27. quid cenſerit, vide his verbis.

Falli enim opinor interpretes, qui putant vulgari factæ a milite non ineſſe pupillarem, ſi mater, non ſi alii hæredes ſint in medio: nec enim hac in re ullum eſſe diſcrimen inter paganum, & militem: & ſive hic, ſive ille teſtatus ſit, vulgari ineſſe pupillarem: Sed effectum non habere adverſus matrem: non ſi cohæres ſit adjecta filio, ut l. ult. C. de Inſtit. & ſubſtit. *Sed etſi non ſit adjecta*, ut l. precibus, de Impub. & aliis ſubſtitut. *quia non ea tantum ratione utitur dicta* l. ult. *quod mater ſit cohæres adjecta filio: ſed quod æquum ſit matrem, ad quam ſummus mæror morte filii pervenit, & amiſſi filii & luctuoſæ hæreditatis damnum non ſentiat, ex ſolo tacito intellectu pupillaris ſubſtitutionis: quæ ratio locum habet etiam matre cohærede filio non adjecta, & ceſſat in alio legitimo hærede.* Hæc ratio hujus controverſiæ nodum recte explicat: & an eadem in compendioſa ſubſtitutione recipi poſſit ex Peregrino diſce: Sed rem totam copioſius ad *d. leg. precib.* ſub hoc ſenſu tradit Cujacius: cujus verba licet prolixius: tamen propter perſpicuam rei explicationem puto hoc loco non indigna: explicantque celebrem doctorum contentionem, & a multis de conciliatione *d. l. precibus, & l. Centurio, ff. de vulg. & Pup. ſubſtit.* tractatam: uberrimeque ab And. Fachineo lib. 4. Controver. cap. 43. & Jacob. Menoch. lib. 4. Præſump. præſump. 52. Ita ergo Cujacius: *Et hac in re nihil omnino diſtat miles a Pagano, cum ſcilicet teſtator ſubſtituit in vulgarem caſum: & poſt immixtionem diſceſſit Filius ſuperſtite matre: Quod ſi in ſecundum caſum miles ſubſtituit filio impuberi, vel expreſſa certa ætate, veluti ſi intra pubertatem deceſſerit, intra 14. annum, veluti in* l. centurio. *ſi intra 25. annum*

Source : BIU Cujas

annum deceſſerit : vel etiam compendio , ſic legendum , id eſt , compendio orationis hoc modo , quandocumque filius deceſſerit , non expreſſa certa ætate , dum brevitati ſtudet miles , tunc filio moriente intra pubertatem , certo certius eſt , ſubſtitutum qui non repudiavit hæreditatem pupilli excludere matrem , tanquam ex expreſſa pupillari ſubſtitutione . Nam ſatis eſt expreſſa pupillaris ſubſtitutio , & quæ generali breviorique ſermone concipitur & conſtringitur , ut non ſit neceſſe ad eum ſermonem quicquam ſupplere , & ſatis interpretari quid eo contineatur . Nota eſt differentia inter ſupplere & interpretari ex l. Gallus §. quid ſi qui filium & §. ſeq. de lib. & Poſt. *hac etiam in parte nihil intereſt inter militem & paganum teſtatorem : Utrobique enim expreſſa pupillaris ſubſtitutio ſpecialiter , vel generaliter excludit matrem : ſi ſubſtitutus hæreditatem amplecti velit . Sed ſi filius cui miles directe ſubſtituit , vel nominatim , ſi poſt pubertatem decederet , puta intra 25. annum , vel ſi cui ſubſtituit compendio orationis , quandocumque decederet . Si inquam is filius poſt pubertatem moriatur , hoc caſu mater ei ſuccederet ab inteſtato , ſed debet ut ait* l. Sempronio Subſtituto filii reſtituere hæreditatem , veluti ex cauſa fideicommiſſi . *Ubi* , veluti , *non ſignificat ſimilitudinem , ſed approbationem & confirmationem : nimirum ut hoc caſu favore militiæ , quod hoc voluerit , ut veniret ſubſtitutus , etiam poſt pubertatem defuncto filio : favore voluntatis militaris verba directa ſubſtitutionis deflectuntur ad caſum fideicommiſſi : & pro precariis accipiuntur : ita ut ſubſtitutus veluti ex cauſa fideicommiſſi , non capiat bona propria filii , ſed bona tantum , quæ militis cum moreretur fuerint , & quæ ab eo ad filium pervenerint : mater autem retineat bona propria filii . Et ſi quid filio deeſt ex bonis patris ad complendam falcidiam , id eſt , portionem legitimam . Nam pupillo quidem directo ſubſtitui poteſt in ſecundum caſum , etiam in legitimam portionem : quia datur ei hæres , qui ſibi hæredem facere non poteſt , ſi moriatur intra pubertatem* in l. tribus, de Inoff.teſt.C. *Ergo pupillo in hunc caſum , ſi moriatur pupillus , pater directo ſubſtituit recte etiam in portionem legitimam : poſt pubertatem puberem filium non poteſt onerare fideicommiſſo in portione legitima , quam æquum eſt filium habere ſine onere ullo , ſine fideicommiſſo , ſine dilatione , ſine conditione : & ita Accurſius notat recte* in ult. gl. hujus leg. *Notanda igitur hac in re differentia inter ſubſtitutionem pupillarem directam , & ſubſtitutionem fideicommiſſariam ſive precariam , vel quæ cum figura verborum ſit directa : perinde accipitur pro precaria conſervandæ voluntatis militis cauſa . Nam qui venit ex pupillari directa , non tantum capit bona quæ habuit pupillus a Patre , ſed etiam bona adventitia , quæ aliunde habuit propria quæſita poſt mortem patris , vel etiam ante mortem patris ex cauſa unde non acquirat filiusfam. patri.* in l. Sed ſi plures §. ad ſubſtitut. ff. eod. *Qui autem venit ex fideicommiſſaria ſubſtitutione non capi bona filii propria , ſed bona tantum , quæ a teſtatore ad eum pervenerunt* , l. cohæredi , §. quod ſi cohæredes eod. tit. *Quia fideicommiſſo nemo onerari poteſt , ultra id quod a teſtatore accepit* , l. 6. de leg. 3. l. ab eo , infr. de fideicommiſſ. *De ſuo enim quiſque fideicommiſſa aut legata relinquere , de ſuo largire non de alieno debet : & ita in fine hujus . l.* precibus , *ut evidentius oſtendam , ſubſtitutionem a milite factam filio impuberi , verbis directis poſt pubertatem valere tantum jure fideicommiſſi : addit tantum valere in bonis profectis a patre , non in bonis propriis filii , hæc remanſura penes matrem , jure legitimæ ſucceſſionis : Et hæc eſt omnino ſententia hujus legis* precibus. *Eademque eſt penitus ſententia* l. Centurio ff. hoc titul. *tantum abeſt ut pugnent inter ſe . Illius leg. ſpecies hæc eſt : Centurio , & miles igitur filio impuberi directo ſubſtituit expreſſa certa ætate , ſed in longius tempus , puta ſi intra 25. annum ſine liberis decederet , filio moriente intra pubertatem ſubſtitutus jure communi , non tantum bona patris occupat , ſed etiam bona filii propria , jure ſcilicet ſubſtitutionis pupillaris directæ , quæ ſecum trahit omnia bona pupilli , unde profecta fuerint , filio autem moriente poſt pubertatem intra 25. annum , ſubſtitutus ex privilegio militum , nec jure communi jam , ſed jure ſingulari : igitur tantum capiet bona Centurionis cum fructibus inventis in hæreditate , quoniam & ii fructus bonis centurionis annumerantur : fructus quos poſtea filius percepit bonis propriis filii annumerantur* , l. poſtulante §. ult. ad Trebell. l. 24. de uſufr. legat. l. 1. C. de his quibus ut indig. *Non dicit nominatim* l. Centurio , *eam ſubſtitutionem poſt pubertatem valere jure fideicommiſſi , quod dicit aperte* l. precibus *: Sed cum ait ſubſtitutum , tantum capere bona patris , quid aliud ſignificat , quam ſubſtitutum venire jure fideicommiſſi ? Hic effectus eſt fideicommiſſi , quo longe amplior eſt effectus & major ſubſtitutionis directæ , quæ occupat omnia bona . Ergo ea tantum bona , quæ centurionis cum moreretur fuerunt , ſubſtitutum capere de manu matris , vel alterius hæredis legitimi filii . Hæc eſt vera interpretatio* l. Centurio, *ſecundum quam apparet nullum inter eam &* l. precibus *eſſe diſſidium , nullas inimicitias . Quia* l. Centurio *non loquitur de matre , ut hæc* l. precibus , *nec ſpectat quis filio ſuccedat ab inteſtato , mater an alius legitimus : ex eo inquam apparet etiamſi mater non ſit in medio , ſed alius legitimus hæres filii , ſubſtitutionem directo a milite factam filio , in longius tempus poſt pubertatem tantum valere jure fideicommiſſi in bonis profectis a patre :* Hæc Cujacius . Eadem , ſed preſſius tamen lib. 12. Obſervat. c. 27. & lib. 11. cap. 25.

Quæ ex veterum opinionibus contra hanc ſententiam facere poſſunt , vel ex levibus conjecturis ducta ſunt , vel a Fachineo , & Menochio fuſe refutata : Tandem Duaren. lib. 2. Anniverſariarum diſput. cap. 7. nuſquam fideicommiſſariam , ſed perpetuo directe pupillarem eſſe ex verbis l. Centurio ſumit conjecturam . *Quod autem* , inquit , *Papinianus reſpondit , ſubſtitutum bona teſtatoris capere cum fructibus in hæreditate inventis , argumento eſt , hanc inſtitutionem fideicommiſſariam non eſſe , cum fructus inventi in hæreditate non reſtituantur fideicommiſſario* . l. in fideicommiſſariam ff. ad Trebell. Sed in eo labitur conjectura , quod fructus tempore mortis inventi , etiam bonis Centurionis annumerantur , *l. poſtulante §. 1. ad Trebell.* hæreditatis appellatione fructus contineri reſpondit Ulpianus : fructus vero , quos l. in fideicommiſſariam

Source : BIU Cujas

deſignat ii ſunt, quos hæres percepit, quod paucis notavit Cujacius, lib. 11. Obſervat. cap. 25. Quod verbis Imperatoris in l. *precibus* directam ſubſtitutionem contineri contendit: Sed perinde valere ac valeret jure fideicommiſſi, ſi verbis fideicommiſſi facta eſſet. Longe & improprie nimis petitum eſſe acute advertit Fachineus: qui & Cujacii mentem præ ceteris ſequendam putat.

Conjuncti re, & verbis an ab initio partes faciant, an concurſu.

CAP. XXI.

COmmunis Doctorum Schola conjunctos re & verbis ab initio ſolidum capere, concurſu vero partes ſemper ſuſtinuit: rationes, & jura tractant alii: Ab hac ſententia cum Zaſio deceſſit Franc. Duarenus lib. 1. de Jure accreſ. cap. 2. *Quæſtio*, inquit, *eſt de iis qui re & verbis conjuncti ſunt: Sed verius eſt eos partes habere, non ſolidum ab initio. movent me Ulpia. verba l.34. de leg. 1. Si conjunctim res legetur conſtat partes ab initio fieri, et quæ ſequuntur in eodem loco: Nam etſi teſtatoris voluntas partes diſtribuentis obſcurior ſit in hac conjunctione mixta, nec tam diſerte verbis expreſſa, quam in ea quæ verborum tantum eſt: tamen videtur ad eam expreſſionem propius accedere: quare ſimiliores hi exiſtimandi ſunt iis qui verbis tantum, quam qui re tantum conjunguntur. Præterea conſtitutio Juſtiniani de ſolido loquens & jure non decreſcendi ad re conjunctos tantum pertinet, quos prima facie ſolidum habere Juſtinianus ait: Ut vel hinc ſatis appareat, in cæteris omnibus, qui aut verbis tantum: aut re ſimul & verbis conjuncti ſunt diverſum jus eſſe.* Duarenum ergo movent *l. plane §. Si conjunctim, de leg.* 1. Verborum conjunctio quæ cum rebus eſt: & Auctoritas Juſtiniani legis verba premunt vehementius, ſunt enim & clara, & exemplo illuſtrata: Quod ex verborum conjunctione ſumitur, recte diſſolvit Fachineus, lib. 5. c. 94. Conjunctio enim re, & verbis licet in ea & res, & verba copulentur, tertiam tamen ſpeciem efformat, nec minus realem quam verbalem conjunctionem imitatur: & ad realem æque ac verbalem accedit Juſtinianus. licet de re conjunctis tantum loquatur expreſſe, eadem tamen erit re, & verbis conjunctorum ratio quo ſaltem realis naturam ſequitur. Sed de hac conſtitutione inferius.

Cujacium retinuit communis Scholæ auctoritas, ſed in novas tamen cogitationes abduxit legum & Imperialis dignitas. Is in Commentariis *ad leg. Unicam C. de Caduc. toll. leg. conjunctim de leg.* 3. *cum lege plane §. ſi conjunctim de leg.* 1. primo dum ſic nova interpretatione conciliat: *lex conjunctim accipienda eſt ſecundum jus antiquum, quod ſcilicet obtinuit ante l. Papiam: Nam ea lex eſt ex lib. 36. D. Celſi, quo conſtat ex l.* 1. *de Reg. Catoniana, Celſum tractaſſe de regula Catoniana, quæ pertinet ad jus antiquum, non ad legem Papiam. lex autem*, plane §. ſi conjunctim, *eſt etiam vera, licet plane contrarium ſtatuat, ſed non ſecundum jus antiquum: ſed ſecundum novum, ideſt ſecundum legem Papiam, ex qua pars non concurrentis caduca fit, ſive per vindicationem, ſive per damnationem conjunctim legatum relictum ſit. Quod ergo diſſidium* (inquit paulo ſuperius) *nunquam interpretes noſtri, qui juris veteris erant ignari, componere potuerunt, & ſedare: utroque loco conjunctim, ideſt, re & verbis: Nam hic articulus conjunctim nunquam aliter accipitur: Componi debet hoc modo: Hi quibus conjunctim per vindicationem legatur hoc modo*: illi & illi fundum illum do, lego, *concurſu partes faciunt, non ab initio partes habent: ut Ulpianus oſtendit, eodem lib. Regularum, & ita eſt accipienda dicta lex*, Conjunctim *: cum ſatis aperte loquatur de legato vindicationis: cum de hæreditate loquatur, quæ ſemper per vindicationem relinquitur.* Hæres eſto, & de legata dato: *Nam, do, eſt verbum vindicationis: Hi autem quibus per damnationem conjunctim eadem res legatur:* Hæres meus illi, vel illi, fundum illum dare damnas eſto, *ab initio quaſi diviſim partes habent, in ea re æquas, & ita accipienda* d. l. plane §. ſi cunjunctim: Dum, inquam, dictas leges conciliat. Tandem ad finem ejus commentarii, dum differentias hæredis, & legatarii in forma accreſcendi deſignat, ita concludit in tertia differentia.

Pars cohæredis quæ deficit, ſemper cohæredi accreſcit: pars collegatarii quæ deficit, etiam collegatario accreſcit, ſi ſint disjuncti ex hac conſtitutione, ſublata veteri differentia, inter legatum per damnationem, & legatum per vindicationem. Item pars collegatarii quæ deficit accreſcit collegatario, ſi ſint conjuncti per vindicationem, ut l. ſi duobus 16. §. ult. l. legatum §. 1. l. plane 34. §. ſi duobus de leg. 1. l. ſi ſervo ſub conditione ff. de ſtatulib. *Sed ſi ſint conjuncti per damnationem, pars quæ deficit, non accreſcit collegatario, ſed remanet apud hæredem: & ita eſt accipienda* l. ſi duobus 16. & l. plane 34. §. ſi conjunctim de leg. 1. & l. 7. de leg. 2. *Nec invenio hanc differentiam eſſe ſublatam, quæ eſt inter legatum per damnationem, & legatum per vindicationem.*

Fachineus hanc Cujacii ſententiam refert, uti doctam: dubitat tamen ut ſubſtineri poſſit: Cum ſit omnis illa verborum ſolemnitas a Juſtiniano ſublata, *Inſtit. tit. de legat. §. ſed olim:* Nec fiat mentio differentiæ ab ipſo allegatæ in adductis legibus. Verum fuiſſe hanc differentiam conſtat: & licet in poſterioribus defunctorum elogiis Conſtitutioni ſuæ locum fore juſſerit Juſtinianus: an adhuc eſſet ſublata hæc differentia jure dubitavit Cujacius, nec pauca ejus diſtinctionis ope in jure expediuntur: uti ipſe recte advertit in notis ad Ulpian. *tit. de leg. ad verb. ſiquidem conjunctim:* dum de earundem legum concordia ſic differit: *Hinc vero apparet*, l. conjunctim de leg. 3. *de legato vindicationis*, l. plane, §. ſi conjunctim de leg. 1. *de legato damnationis accipiendam eſſe: Sed hoc ideo in eis ſuppreſſum eſt, quod jam ſublatæ eſſent ab Juſtiniano legatorum differentiæ: non tamen ita ab eis locis ſublatæ ſunt, ut hæc manifeſto non ſuperſint hujus differentiæ veſtigia: quæ prima ſpecie, quaſi contra ſe ſtare videantur: ut plane jam ex eo appareat, quam hebetes, aut indigentes fuerint hi, quibus ſtudium fuit, Pandectarum capita ex veterum juriſconſultorum libris decerpere: Cæterum quod diximus de legato damnationis, nominatim traditur* in l. 7. de leg. 2. *Unde & in* l. hu-

in l. hujuſmodi §. ſi Titio, l. ſi duobus de leg. 1. *optimo jure legatum fuiſſe neceſſe eſt ut ſtatuamus, alioquin pars vacans accreſcit conjuncto, cum quo partes per concurſum fiunt. Nec inconcinna, hæc ratio cur de hac differentia ſilentium.*

Quod vero de exemplo, *legis plane*, affert Fachineus a paucis iri puto defenſum: ego certe vix digero. *Exemplum illud*, inquit, *quod affertur in* l. plane §. ſi conjunctim. Si Titio, & ſervo proprio fine libertate &c.: *non pertinere ad verba præcedentia textus, quibus dicitur ſi conjunctim aliquid legetur, partes ab initio fieri: Sed ad verba ſequentia quibus dicitur*. Nec ſolum ii partem faciunt in quorum perſona conſiſtit legatum. Textura enim ipſa verborum exemplum illud præcedenti §. *ſi conjunctim* ſatis vindicat. & particula, *ut puta*, ad priora, æque ac poſteriora revocat, acute fateor inventum: Sed ſi ab alio profectum, ne ipſe quidem Auctor probaret: eſt autem hæc §. ſtructura: *Si conjunctim res legetur conſtat partes ab initio fieri: nec ſolum hi partem faciunt, in quorum perſona conſtitit legatum: verum hi quoque in quorum perſona non conſtitit legatum, ut puta: Si Titio* &c. Exemplum eſt eorum, qui licet non capiant partem, faciunt tamen: Ergo & exemplum eſt factarum partium: ab initio igitur factas dicemus, in re & verbis conjunctis, nec diſtinguendi conſequentiam viam invenio, cum ſit exemplum in re, & verbis conjunctis.

Legatum an conferri poſſit in voluntatem alienam: Et an in voluntatem hæredis.

CAP. XXII.

MOdeſtinus *l. 52. de Condit. & demonſtr.* reſpondit, in alienam voluntatem conferri legatum non poſſe. Ulpianus *l. 1. de leg. 2.* In arbitrium alterius conferri legatum veluti conditio poteſt. Ille legatum in alienam voluntatem conferri expreſſe negat: Hic vero conferri poſſe & tacite & expreſſe probat.

Covarr. *ad c. cum tibi, de Teſtam. num. 6. & 7.* Receptiſſimam omnium interpretum hanc ſtatuit ſententiam, legatum poſſe in extranei arbitrium conferri tanquam boni viri, non autem in liberam voluntatem. Sed ut recte ex Sarmiento notat Fachineus nondum ſolvitur nodus. de voluntate expreſſa, & tacita. Modeſtinus expreſſa voluntate conferri negat: id affirmat Ulpia. Nec quicquam *intereſſe, Si Titius in Capitolium aſcenderit mihi legetur, an ſi voluerit:* Cujacius quem nodum Sarmientus dixit inſolubilem, lib. 2. Obſervatio. cap. 2. explicat. Sed ad leg. Senatus §. legatum, de leg. 1. & clarius, & explicatius: *Igitur utroque modo legatum confertur in voluntatem extranei, hoc tacite, illo nominatim. Quæritur cur potius hoc caſu valeat, quam illo? rationem eſſe puto, quod natura nihil fruſtra facit ἡ φύσις οὐδὲν περίεργον ποιεῖ. Sic etiam ars, quæ naturam imitatur, & ſic ſobrii homines nihil fruſtra facere intelliguntur. Itaque Teſtator, qui dicit, ſi* Capitolium aſcenderit, *non fruſtra videtur hoc adſcribere, & magis videtur rationem habuiſſe hujus aſcenſus, quam taciti in ipſum collati arbitrii. Ac cum dicit*, ſi Cajus voluerit, *nihil aliud ſpectat quam arbitrium Caji, ejus finis eſt Caji voluntas: quod non fit jure: nam quæ in teſtamentis ſcribuntur, per ſe firma eſſe debent, non ex alieno arbitrio pendere*, l. illa inſtitutio, de Hered. inſtitue. Verum hic obſtat, hic §. (legatum in aliena voluntate poni poteſt) *Verum explicandus eſt ex* l. 1. inf. tit. proximo, (ea lex Ulpiani) *ut legatum poni poſſit in aliena voluntate, quaſi in conditione: ut tam nihil interſit, ſive dicat ſi Capitolium aſcenderit, an vero ſi Cajus voluerit, idem dicitur de legato libertatis, in l. 46. §. 1.* de fideic. libert. *Sed ut hoc melius intelligatur, notandum eſt hæc verba:* Si Cajus voluerit, *dupliciter accipi poſſe: vel pro conditione, hoc ſenſu, ſi forte acciderit aliquando, ut Cajus aſſenſerit: & tum legatum valet, & voluntas Caji expectatur, quaſi quælibet conditio: vel accipiuntur pro dandi legati mera voluntate, dum ſcilicet Teſtator totum confert in voluntatem Caji. ut ſit quaſi largitor legati, & tum non valet. denique non poteſt legatum conferri in alienum arbitrium, niſi quaſi in conditionem.* l. 1. tit. prox. & d. l. 46. *loquor de arbitrio libero, quod & dicitur plenum, & mera voluntas. Nam eſt arbitrium liberum; & eſt arbitrium boni viri.* l. hæc venditio. de contrah. empt. *Non eſt dubium quin legatum poſſit conferri in arbitrium alterius, quaſi boni viri:* Ut hæres meus Titio tot aureos dato quot Cajus arbitratus fuerit, *quaſi vir bonus, & id legatum eſt purum: Nam arbitrium boni viri non pendet ex eventu futuro, ſed ex æquitate, quæ ſemper eſt certa. Ideoque legatum quod confertur in liberum arbitrium alterius, non eſt purum ſed conditionale, nec ſuſtinetur, niſi conditionale.* Hæc nove, perſpicue, & vere Cujac. de legato in alienam voluntatem conferendo: Nunc de hærede reſtat videndum.

Negotium hujus quæſtionis eo potiſſimum coercetur, quid contra l. Senatus §. legatum, quo ita ſcribit Ulpianus ad Sabinum, *legatum in aliena voluntate poni poteſt: in hæredis non poteſt:* quid inquam, contra ipſe ſentiat, *l. 46. de fideic. libert.* Reſpondet enim primo poni poſſe: ſubinde judicii ſui quaſi incertus reſpondet non poſſe: ita loquitur: *fideicommiſſa libertas ita dari poteſt, hæres ſi volueris fidei tuæ committo ut Stichum manumittas, quamvis nihil aliud in teſtamento poteſt valere ex nutu hæredis:* & infra: *Quod ſi ita ſcriptum ſit, ſi hæres voluerit, non valebit: Sed ita demum, ſi totum fecit in voluntate hæredis ſi ei libuerit: cæterum ſi arbitrium*, &c.

Ad incertam hanc Ulpiani reſponſionem quod veteres interpretes alii poſterioribus verbis priora corrigi quaſi momento mutata voluntate: alii, priorem partem boni viri non libero arbitrio; poſteriorem voluntati liberæ tribuendam, alii fideicommiſſariam libertatem ex priori parte reſponſo poſſe relinqui: Sed libertatem directam non poſſe: in hoc libertates haſce diſtinguentes, & id genus plura commenti ſunt, a Sarmiento & Fachineo ſatis refutata prætereo: vide Fachin. lib. 5. c. 54. Cujacius ubi ſupra ſic diſſerit, paulo quam lib. 2. Obſervat. cap. 2. clarius.

Duplex eſt voluntas, inquit, *ut dixi libera, & boni viri: in arbitrium hæredis quaſi boni viri legatum conferri poteſt, ut ſi hæres meus arbitratus fuerit, ſi utile, æquum ei viſum fuerit,*

rit. l. ſi ſic legatum, de leg. 1. l. fideicommiſsa §. fideicommiſsum, de leg. 3. *Verum in hæredis liberum arbitrium legatum conferri non poteſt, ut ſi in hæredis poteſtate an debeat: hæres enim debet legata. Abſurdum autem eſt, eſſe hoc in ejus poteſtate an debeat*. l. utrum §. cum quidam, de reb. dub. *Et hac eadem ratione hoc ita procedit, ut nec poſſint ea verba, ſi hæres voluerit, accipi pro conditione ſicut in extraneo, niſi favore libertatis*. d. l. 46. *ut ſi libertas ita relinquatur, ſi hæres voluerit, quaſi ſub conditione, non eo animo, ut ipſe ſolus hæres ſit quaſi auctor, & dator libertatis, libertas debebitur ex nutu hæredis ſtatim atque annuerit; Verum ſi ita relinquatur, ſi hæres voluerit, omnino eſt inutile, nec debetur, etiamſi hæres voluerit, quia valde abſurdum hoc eſt, ut diximus: Verum alia conditione recte legabitur, etiamſi tacite contineat voluntatem hæredis*, ut ſi Capitolium aſcenderit, *ſupradicta ratione: vel*, niſi hæres noluerit. *item recte confertur in arbitrium hæredis quando debeat, non autem an debeat*, ut cum voluerit hæres, *id mortuo hærede omnino præſtabitur: nec erit inutile etiamſi vivus nihil conſtituerit*. Hanc ergo ſtatuit Ulpiani mentem Cujacius legatum ita conceptum, *ſi hæres voluerit*, quod liberam voluntatem redolere videtur, favore libertatis trahi ad conditionem: & ita validum eſſe legatum: niſi manifeſto conſtiterit teſtatorem liberum arbitrium hæredi eſſe voluiſſe: quo caſu prorſus erit inutile: hoc Fachineus cum ex lib. 2. Obſervat. vix niſi obſcure colligeretur in hac ſententia deſideravit: concors tamen cum Fachineo Cujacius: Valere legatum ex prima parte legit, ſub ea conditione ſi hæres voluerit, ut conditio adimplendi legati ab hæredis nutu dependeat: ex poſteriori non valere: ſi totum legatum teſtator in plena hæredis poteſtate poſuerit.

Utrum hæreditas per procuratorem adiri poſſit.

CAP. XXIII.

Hic iterum duo ſummi duces Duarenus, & Cujacius directas acies ſuſtentant: Cujacius per procuratorem negat hæreditatem adiri pro ſe inſtruit, veterum interpretum catervam, & communem conſenſum. Pauli reſponſum, l. 90. & rationem: Affirmat igitur primo acquiri non poſſe per tutorem: Secundo nec per procuratorem, cum ſit hoc in procuratore Cæſaris ſingulare: Et ſi ſecus, hæreditas nullo deſcrimine a poſſeſſione bonorum ſecerneretur.

Duarenus contra, rationibus arteque certat: arte enim generalem procuratorem a ſpeciali diſcernit, & ab hoc hæreditatem poſſe acquiri: ab illo non poſſe. Ratio hæc: quod legibus non prohibeatur, ergo uti & alia pleraque etiam hæreditas per procuratorem acquiretur: Addit inſuper tutore auctore acquiri poſſe non tamen curatore: non tamen ipſo tutore adeunte: Speciale denique hoc eſſe in Cæſaris procuratore generali, quod poſſit acquirere. Sed duces ipſos in acie cernamus: ſic Duarenus lib. 2. diſputat. c. 27.

Procuratorem non poſſe hæreditatem adire vulgo creditur: & adducitur hæc ratio: quia cum quis procuratorem dat ad hæreditatem adeundam, hoc ipſo adire videtur, ac idcirco nihil relinquitur procuratori quod agat, cum hæreditas ſolo animo adeatur. Sed hanc ego rationem non probo: quia fieri poteſt, ut is qui hoc mandat Procuratori, cogitet eum non ſtatim id facturum eſſe, ac totum medium tempus ſibi liberum fore ad deliberandum: itaque exiſtimo per procuratorem adiri hæreditatem poſſe: cum id nullo jure exceptum reperiatur. Paulus autem, ex cujus reſponſo veteratus hic error manavit, non de Procuratore loquitur, ſed de curatore in Codicibus emendatis. l. per curatorem ff. de acquir. hæred. *Nam Curator datus pupillo, ad adeundam hæreditatem non ſufficit, ſed tutor neceſſarius eſt*, l. cum in una ff. de appellat. *ut & Ulp. ſcribit in reliquiis* Inſtitut. tit. de tutel. *procuratorem hic accipimus, cui ſpecialiter mandatum eſt. Nam procurator univerſarum generaliter datus adeundo nihil agit, excepto procuratore Cæſaris: Ac ne tutor quidem aut Curator propter ſubtilitatem juris veteris*. l. potuit C. de jure delib. *Sed per tutorem, aut curatorem recte dicitur adiri hæreditas, id eſt interveniente tutore, aut curatore: quamvis ipſe minor adeat arg. l. vivum*. Idipſum, ſed prolixius in comment. ad tit. de acquir. hæred. c. 4.

Contra hæc inſtat Cujacius communem interpretum mentem ſecutus, lib. 1. Obſerv. cap. 34. & ad *6*. Reſponſum Pauli lib. 12. Reſponſorum: Paulus, inquit, reſpondit ademptam ſcilicet hæreditatem adoleſcenti, ejus nomine non acquiri hæreditatem adoleſcenti. Idemque erit ſi Curator nomine adoleſcentis immiſcuerit ſe hæreditati, vel ſi pro hærede geſſerit. Nam & per tutorem pupillo acquiri hæreditas non poteſt. *l. potuit, C. de jure delib.* Sed acquiritur per pupillum ipſum tutore auctore, non per tutorem, ac multo minus per procuratorem, ut quidam Codices habent in hoc reſponſo, *per procuratorem*. major enim eſt poteſtas tutoris, vel curatoris quam procuratoris: etſi per tutorem & curatorem non poteſt acquiri hæreditas, multo minus per procuratorem. & hac in re differt hæreditas a bonorum poſſeſſione: quia bonorum poſſeſſio per tutorem, vel curatorem, vel per procuratorem petentem eam alieno nomine alii acquiri poteſt, prætore non ignorante, quis petat, cuive petat, *l. 47. hoc tit. l. Servo invito §. ſi pupillo, ad Senatus Trebell. l. 7. §. penult. & l. 8. & 11. de bonor. poſſeſſ. l. bonorum. l. qui admitti ad bona. l. 5. C. mandat.* facilius acquiritur bonorum poſſeſſio quam hæreditas, ut *l. 6. in princ. ſupra*. Bonorum poſſeſſio eſt ex jure prætorio: & jus prætorium utique benignius jure civili, quod directum eſt ſemper, & aſperum. Hæc Cujacius. Andreas Fachineus lib. *6*. cap. *96*. Duarenum laudat, ex ea ratione, quam adfert ipſe Duarenus præcipuam, quod Procuratoris uſus permiſſus ſit in omnibus negotiis, niſi in quibus exceptum reperitur, *l. 1. de Procurat.* at nullo jure id excipitur: nulla lex proferri poteſt, in qua exceptum id reperiatur de hæreditatis aditione: Nec me tamen poteſt ea ratio, nedum etiam Pauli emendatio a communi ſententia, & a Cujacio probata dimovere: nedum etiam rationem, quam ab aliis diſſentientibus adduci Duarenus aſſerit, ut oſtendant adiri non poſſe hæreditatem per procuratorem, probo: Solo

ajunt

Source : BIU Cujas

ajunt animo hæreditatem adiri : ideoque qui procuratorem conſtituit ad adeundam hæreditatem ipſe adire videtur, nec enim ea ſola cauſa, licet eam requirant interpretes : & idem notet auctor noſter in *l. non dubito, ff. de ſervitut.* Sed accedit, quod idem ipſe obſervavit ad *l. Servus bonorum, §. impubes. ff. de bonor. poſſeſſ.* & diſtinctius, *tract. 4. ad African. ad l. eum qui, de acquir. hæredit.* quia ſcilicet, actus eſt legitimus, atque ideo fieri debet pure, & ſemel, & tutore auctore, & juſſu patris, vel domini, & teſtato, & certis conceptiſque verbis, & per ſe non per alium, & ſymbolo interveniente aliquo, veluti digitorum percuſſione, quæ omnia ceſſant in bonorum poſſeſſione: quia jus prætorium, jus ſolemne non eſt. Ratio vero Duareni ex eo mihi videtur deficere, quod legis indultum pro ipſa lege ſumpſiſſe videtur : & ſalvo tanti Doctoris acumine, contra rectius concludam : contra jus civile eſt introductum, quod univerſitas per actorem adire poſſit cum ſit incertum corpus, & procurator Cæſaris : nec invenitur alius caſus in jure expreſſus. ergo nullo alio caſu per procuratorem acquiritur hæreditas : Certum enim eſt olim non fuiſſe permiſſam inſtitutionem civitatis : & legimus Attalum, Populum Romanum hæredem feciſſe : Sed illo nullo jure : quia ut ſcribit Ulp. tit. *Qui hæredes inſtit. poſſ.* Nec municipia, nec municipes hæredes inſtitui poſſunt : quoniam incertum eſt corpus, ut neque cernere univerſi &c., Senatuſconſulto tamen conceſſum eſt, ut a libertis ſuis hæredes inſtitui poſſint. fuit ergo id primum ab Imperat. Nerva introductum : temporibus Marci Senatus confirmavit *l. omnibus ad Sen. Conſ. Trebell.*

Nec etiam artificioſa Procuratorum diſtinctio liberat ; nec enim magis ſpecialis, quam generalis procurator ſolemnia aditionis perficere poterit. firmum ergo adhuc mihi videtur, per procuratorem hæreditatem adiri non poſſe, exceptis duobus hiſce caſibus, indulto ſervatis : & hæc quidem de controverſis ſententiis, quæ majoris mihi viſæ ſunt momenti ex iis quas adhuc legi reprehenſas : plura reperio ex Roberti Aureliani, Fornerii, & Antonii Fabri (in poſterioribus præſertim conjecturarum libris) & aliorum judicio, reperio citata : ab aliis vel laudata, vel reprehenſa : quorum tamen omnium diſquiſitionem eo uſque diſtuli ; donec ipſorum auctorum libros, (quos non dum videre contigit) nactus, veras ipſorum rationes, didicerim. Nonnullas vero quæſtiones, quæ Feudorum materiam attingunt, ex induſtria diſtuli in eum tractatum, quem divino auxilio de tota conſuetudine Feudorum inſtituo, vel potius reſtituo, quales de origine Feudorum : An filius repudiata hæreditate paterna, poſſit feudum retinere : an filius revocare poſſit antiquum feudum a patre alienatum : an ſuccedant fœminæ : & quid in Feudo Franco. Controverſia inter duos de Feudo per quem Judicem terminetur : & ejus generis plures. Et hæc quidem ad ultimum uſque Julii, anni redempto homine *1606.*

F I N I S.

Source : BIU Cujas

PROMPTUARII
JACOBI CUJACII
TOM. II. PAR. II.

DISPUNCTOR AD MERILLIUM

Seu de variantibus Cujacii Interpretationibus

In libris Digeſtorum

DISPUNCTIONES LIII.

AUCTORE OSIO AURELIO

ANTECESSORE.

Source : BIU Cujas

PROMPTUARII

JACOBI CUJACII

TOMUM PARI

DISPUNCTOR AD MERILLUM

Seu de variantibus Cujacii Interpretationibus

In libris Digestorum

DISPUNCTIONES LIII.

AUCTORE OSIO AURELIO

ANTECESSORE.

Source : Bibl Cujas

ILLUSTRI
INTER ORDINARIOS
PATRICIO
HIERONYMO BIGNONIO
OSIUS AURELIUS J. C.
S. D.



St ille quidem mos rectus, jam olim usu receptus (VIR CLARISSIME) *novi homines ut primitias suas offerant sapientioribus, non ob eam causam rectus, quam putat vulgus hominum, qui patrocinium operum suorum statuunt in eorum dignitate, quibus adscribunt ea; quam infirmam admodum ac fluxam rationem puto. Clientum enim humilitatem erigere solet ac recreare patronorum splendor: at non aliunde literariis lucubrationibus accedere justa commendatio potest, quam ex suo merito, ut nec fastidium nisi ex sua sterilitate. Non abnuam sane, honoris aut studii nonnihil hoc officii genus continere, ut & alterius cujusque rei munusculum, quod ex donantis magis affectu, quam ex rei pretio æstimatur: justius autem & consultius arbitror eum facere, librum ac opus suum qui peritissimo dicat, ei scilicet qui possit, & maxime velit de eo ferre judicium: cujus vel opinio in approbando, vel in improbando censura, irrevocabili præjudicio fatum faciat libello. Hæc una me ratio* (*Vir Sapientissime, atque Ornatissime*) *movit, ut* Dispunctiones meas de Variantibus Cujacii opinionibus *ad Te mitterem dispuncturum illas, & ad incudem revocaturum: quem mavelim habere Judicem ea fide, probitate, scientia, ac diligentia qua tu es, quam adplausores, ac benevolos alios quoscunque, qui in judicando pendeant ipsi de aliorum judiciis, aut quibus tantum ab otio non vacet, ut rem per sese, explorare possit. O quam suave est homini musico, coram perito cantore carmen modulari, & artis ad præcepta modos inflectere. Quam ingratum e contra, coram Thessalo ludos exercere Thebanum. Quis Te melius scire potest (Bignoni Doctissime) si in alia qualibet, in juris præsertim disciplina illudi plerumque solere: aberrare multos qui conlineare se putant. Est profecto ingenium idem, & fatum Jurisprudentiæ, quod venatoriæ artis. Est in hominibus eadem sæpe, & infelicitas, & improbitas quæ in canibus venaticis multis. Ut enim omittam, utramque artem Dei donum esse, vel fabulas, quæ Chironi ob innatam, & occultam justitiam venandi scientiam concessam fuisse tradunt, utque singulis Chironis discipulis singula cœlitus dona obtigerint, adeoque Palamedi Jurisprudentia: ad canum tantum solertiam, technas & vitia magistrorum referam: eorum dico, qui gloriolam ex scriptione venantur; qui cum nonnunquam cæteris inferiores sint, præstantiores tamen iis videri volunt. De canibus itaque non injucunde Xenophon, inter malas, maxime malas docet eas esse, non quæ in odorandis ferarum vestigiis nictunt leniter (ut Festus ait) ganniendo; sed quæ velut insanæ ferarum vestigia circumlatrantes obeunt, infauste adeo & incaute, ut indicia temere conculcent:* μανικῶς δὲ περιφερόμενοι ὑλακτοῦσι περὶ τὰ ἴχνη, ὅτε εἰσπίπτουσιν ἀφρόνως καταπατοῦσαι τὰς αἰσθήσεις. *Sunt quæ aliarum inventa præcipiunt, toties mediis in vestigiis, & cursu oculos volventes sibi ipsis fidem non habentes. Sed quod ait Xenophon, feroces quasdam esse, quæ socias venandi peritas non ferunt una venari, cum strepitu eas repellentes, in equis pariter deprehendas, non patientibus alios in itinere se aut præcedere, aut etiam assequi: quin quod ejusmodi æmulationem habere, nedum generosos, grandioresque, sed & pumilos mirere ferociores. De canibus rursum; quædam vestigiis falsis delectatæ, quidvis offenderint, procurrunt cum ostentatione, suæ tamen sibi fraudis conscie. Ignobiles vero sunt, quæ a tritis quibusque limitibus nequaquam recedunt, arduis inassuetæ locis* φυλάττουσι δὲ αἱ μὴ ἀπαλλαττόμεναι ἐκ τῶν τριμμῶν ὁρθὰ δὲ γιγνώσκουσι. *Quidnam aptius referre, & adumbrare possit quorundam scriptorum intolerabilem audaciam, & insolentes fucos. Quis vero Te melius in tota Gallia* (*Præstantissime Bignoni*) *hæc animadvertere potest facinora, qui cum scientiam juris perfectissime calleas, sinceritatem illam atque innocentiam habes, quæ nulli suspecta esse possit. Tu certe es, ut Phavorino Cæcilius dicebat, non Grajæ modo, sed & Romanæ rei peritissimus:*

Source : BIU Cujas

tissimus: cujus non sine miraculo virtus corpusculum, haud minus quam rerum divinarum atque humanarum scientia consecravit. Non fuit alia mihi, tui prensandi causa. Non debui memoriam accersere beneficiorum, quæ tam studiose ac reverenter in Academiam nostram contuliſti, cum spiritu, & faucibus, totis denique eloquentiæ, qua summa polles viribus, nos vindicabas a munere sacræ stipis exigendæ ac corradendæ: a rerum & supellectilis Ecclesiasticæ curatione quam injunxerant nobis usque ad aras (ut ita dicam) inimici, facturi nos deinceps miserabiles ædituos, ni scilicet intercederet qui hodie sedet meritissimus FRANCIÆ SENATUS PRINCEPS MOLÆUS, *tunc temporis inter Augustum, & homines* MEDIOXUMUS, MOLÆUS, *inquam, ille magnanimus, cujus animi candorem atque integritatem modesta gravitas compositi incessus, vultus etiam, & conveniens prudentissimo viro gestus, jam ex ephebis omnino significarunt: nisi Tu quoque (Bignoni humanissime) eadem spirans studia, ut nobis, id est, Academiæ subvenires, gloriosæ vocis confisus munimine intercederes. Sed nec urbanitatem in me tuam ac benevolentiam recensere necesse habui, illam inquam, qua me pridem advocatum* A *in Senatu haud infeliciter munere causæ cujusdam gravissimæ defunctum excipiebas, jussum ad Te accedere per amicum tuum, quem prudens non nomino, quo cum de me luculentissime collocutus eras: ut me licet verecundantem laudare coram in os non dubitares, & vicem dolere meam gratiosi hominis, quem mens intelligit, fortuna superatam. Hæc enim etsi talia sint, quæ vota palam extorquere mea debuerunt, subsidunt tamen animo; & solam tuam plane admirabilem in omni litterarum ac disciplinarum genere præstantiam, qua quid electum, quid neglectum, quid laudabile, quid culpabile, quid denique amabili X vel ferali Θ notandum, sagacissime perspicis,* B *intuitus atque amplexus sum. Dispunge igitur* (VIR CLARISSIME) *meam hanc dispunctionem, & quidquid merebitur edicito. Non is sum qui ita me amem, quin & amem multo magis judicium rectum. Nec dicam quod ille.* Sive ego prave, seu recte hæc volui, ne sis patruus mihi. *Cæterum a Te laudari si merear, mercedem istam æstimo adeo, atque veneror, ut omnium æstimationem (ita me Deus amet) longe minoris faciam.* VALE. *Aureliæ ad Ligerim, Calendis Junii, Anno M.D.C.XLII.*

A D

MERILLIUM,

ANTECESSOREM, ET LECTOREM SINCERUM,

OSIUS AURELIUS J. C.

Non puto mihi quemquam, aut tibi succensurum Merilli Antecessor, Erudite Lector, sicubi alia nobis, quam Magistro nostro juris interpretum principi Cujacio, sententia nonnunquam arrideat: unicuique liber esse debet de qualibet re (non plane divina) sensus, & privatus stylus: qui si ratione subnixus est, quid est quod debeat alii, ex sola dicentis authoritate cedere? πότερον ὅων οὐδ' ἐμαυτῷ διαλέγεσθαι ῥάδιον ἐστί μοι; ἀλλὰ ἀφαιρήσεταί μέ τις, ἢ τὴν ἔννοιαν ἢ προσαναγκάσει νοεῖν ἕτερα ἢ θαυμάζειν παρ' ἃ βούλομαι. Æquum non est omnia ad unius Cujacii auctoritatem referre, pendere ex ejus nutu semper, nec alii fidere aliquando, aut sibi nunquam. Quam sunt fatui ac deridiculi, qui D *de suo sapiunt nihil, qui nefas putant a Cujacio recedere, qui axiomata in jure pervia, ex eo confirmant magis, quam ex legibus, qui denique nil nisi Cujacium crepant. O imitatores servum pecus. Liceat operas scrutari omnium ac opiniones perpendere: liceat arbitrio fungi suo, ut quod melius, & vero propius putamus, amplectamur. Egregius ille quidem qui animo per se suo rimatur ac lustrat omnia ἅτος μὲν παναγαστος ὅς αὐτὸς πάντα νοήσει φραστάμενος, &c. qui alios ita sequitur, vel alligat se ad unum aliquem ex Stoicis proceribus, ut tamen jus censendi sibi servet. Enimvero ex tot scriptoribus, qui Jurisprudentiam illustrarunt, palma licet Cujacio debeatur;* C *cui nedum unus aut alter ex melioribus. Sed nec simul omnes æquari possunt, qui tantum alios prægressus est, ut prius defecissent imitando, quam ille inveniendo ac conscribendo fatigatus esset,*

Nec comites volucri contenta est vincere cursu,
Occupat egressas quamlibet ante rates.
Et patitur fluctus, fertque assilientia longe
Æquora, nec sævis victa madescit aquis.

Denique licet diuturni tanti viri labores immortalem apud omnes eruditos commendationem meruerint, non tamen Deus, *fateor,* sed homo fuit Cujacius, qui proinde labi atque errare potuit. *At longe aliud est, in quo fortasse erraverit,* D *carpere obiter, & vellicare, aliud consulto consilio opus aggredi, quo bellum viro omnium fortissimo denunties!* — Non lædimus unum.

Si quis Amicorum est ausus reprehendere versum. *Quanto acerbius est, ipsa tota operis serie, & ipso operis Titulo, famam eminentissimi in re litteraria hominis attentare ac suggillare? Notas scripserunt ad Labeonem Proculus, & Paulus, ad Julianum Marcellus, ad Papinianum Paulus, & Ulpianus, ad Scævolam Triphoninus, ad alios alii, ad æquales æquales, aut sane vix inæquales, interdum superiores; nec animo reprehendendi semper, sed plerumque ut adjicerent, vel distinguerent: denique ut rem*

vel

Source : BIU Cujas

vel auctorem illuſtrarent, & commendarent, vel etiam ut perpetua ejus auctoritate uterentur, quod Triphonini ad Scævolam Notæ, & Jaboleni ex Caſſio libri comprobant ſatis. Quis ſtylum decretorium ita ſtrinxit, ut nomine, ipſaque libri inſcriptione, læderet.

Tu Merilli, quod veterum nemo in deceſſores ſuos fecit, auſus es in Magnum Cujacium: magnam ei intentare diffamiam, concepto DE VARIANTIBUS *ejus* OPINIONIBUS *lemmate. Quod enim tu præſcribis,* EX CUJACIO, *non eſt aſſiduus marginis tuæ limbus: larva papyracea eſt quam tute ſtatim immiſſo imbre diſrumpis. In operis fronte illuſtrem ac innocuam faciem addere voluiſti, ἀρχομένῳ δ' ἔργῳ πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγὲς. Hoc doleo, & indignor Candide Lector. An non & indignaris ipſe, ſi quid profeceris per eum? Ægre fero Merillium, qui magis ſciat ipſe quantum Cujacio debeant Tribunalia, Scholæ, univerſa diſcentium turba, & quid quid doctorum hominum eſt, tam gravem ei notam inurere voluiſſe, ut epitheto atrociſſimo, quaſi embolio infenſorum ludorum triſtiſſimo, de fama ejus decidere, tantumque caput velut in aula Themidis ſolum ſibi adverſum, tam inimice decutere auderet. Quis vero ζηλοτυπίαν hanc, & κακοηθείαν non deteſtetur? Quis non dicat impatientem alienæ tantæ laudis Merillium, non contentum plauſibus, quos ſatis luculenter collegit ex navata abs ſe in ſtudio juris opera, malam rem alii molitum eſſe, operæ pretium ſibi, quo viri eximii elevata fide, ſuam ipſe erigeret, ut non tantum locum illius ſubintraret, ſed altius paullo aſcenderet. Nam quod a laudibus Cujacii magnifice Merillius exorſus eſt, Timeo Danaos. Laudatio ne eſt, quam mox ſequitur convitium? Ut non diſcedit, qui proſiliendi cauſa ſenſim uno veſtigio cedit repedatque: ſic nec alienus eſt a calumnia, qui preconio dato, repente ſe ad maledicentiam confert. Quis credat Merillium, id ætatis ac diſciplinæ hominem, expertum artis eſſe? Quis vero operis introrſus fabricam diſpiciat, non deprehenſo artificio? Laudat Cujacium Merillius, quis fortius? quis elegantius? At quis ſpernit immanius? quis deprimit altius? quem tot probris una plaga contegit, ut me non poſſit magis ſuffundere dareque peſſum, aut novum alium hominem. Fuit, inquit, in Theologicis magnæ auctoritatis Origenes: eſt & magnæ Cujacius in Nomicis. Quæſo, quo ſpectat hæc comparatio, niſi ut Origenes hæretice multa, ita & Cujacius prava pleraque ſcripſerit? utque Gregorii Nyſſeni ſupra Origenem rectior certiorque Theologia fuit, ita conſtantior prudentiorque Merillii doctrina cenſeatur? Nam, & quod fateris, Merilli, Cujacium cæteros non tantum juris interpretes excelluiſſe, verum etiam ipſos æquaſſe juris auctores, & quod te minoris facis præ illo, facile putet quis te dicere, ne ἀσύμβολος in conventu doctiſſimorum hominum ſies. Ego vero ex animi quidem ſententia, & ex intima animi medulla ἐξ ἄκρας μυελὸς ψυχῆς, quod Euripides dicebat, Cujacium te conlaudaſſe, cum ſcires infra rem ipſam, omnem de eo exiſtimationem ac prædicationem exiſtere, facile crediderim: verum illum te ſpectaſſe ita, ut te magis circumſpectares, ut præcellenti Magiſtro parem te ſubinde, quinimo majorem oſtentares novo iſto*

A *opere tuo, quo quantum abs re magni Cujacii decederet, tantum tibi, vitiorum ac imbecillitatum ejus (ſi Diis placet) deprehenſori accederet, qui tibi aptatum velles quod Marci Catonis oratio quædam præ ſe ferebat,* Ne imperium ſit veteri, ubi novus advenerit. *Quid ni credam? credat, & quiſquis animum advertat ad artem illam, qua tam ſolerter uteris ad dedolandum hominem atque ita levigandum, ut longe minoris (præ te) ponderis poſt hac habeatur.* De Cujacio, *inquis*, iſta omnia: ſed qui tamen homo, & a quo alienum non fuit ut variaret, varianteſque opiniones relinqueret, quas in ejus operibus obſervari oportuit. *Tu igitur vitiorum* B *ejus ac oblivionum obſervator, & emendator, rei non bonæ magiſtro, magiſter appetis videri præſtantior! Egregiam vero laudem hac coronide ei aſpergis.* Non ita memorioſum eum fuiſſe, nec ingenium ita in numerato habuiſſe, ut qui in ſcholis recitaret ex periculo, diſſertationes, & diſputationes refugeret, in quibus præſenti ingenio opus eſt. *En deleterium pharmacum! Non vides (amantiſſime Lector) venenum in pyxide, aliud promittente titulo? Quodnam eſt iſtuc encomium? Qualem Merilli ſermonem diſſipas de viro præſtantiſſimo? Qualem nobis Anteceſſorem fingis Cujacium? quem pene fungum atque immobilem exhibes, oculos ex ſcripto vix dimoventem, ſta-* C *tuam loquentem, luminibus ſi careat elinguem, pſittacum humanas voces reddentem, infantis ſimilem, cui fandi peritiam detrahis, quod eadem vituperii ſede atque ipſa inſcitia collocatur.* Nunc ſive qui volet, *inquit Tullius* lib. 3. de Orat. cap. 35. eum philoſophum, qui copiam nobis rerum orationiſque tradat, per me appellet oratorem, quem ego dico ſapientiam junctam habere eloquentiæ, philoſophum appellare malit, non impediam: dummodo hoc conſtet, neque infantiam ejus qui rem norit, ſed eam explicare dicendo non queat, neque inſcitiam illius cui res non ſuppetat, verba non deſint eſſe laudandam: *ut diſertiſſimo omnium qui fuerunt Anteceſſorum, nedum eloquentiam* D *detrahas, ſed etiam facundiam, elegantiam, motum, ornatum, diſciplinam, animi vigorem, memoriam, ipſam denique ſermocinationem. Cujacius certe etſi non Attali facilem adeo in ſtudioſos animum habuit, ut evocatus paſſim obviam ſe poſcentibus ingereret, nemini tamen unquam aut commercium ſermonis negavit, aut ad quæſtionem, & conſultationem juris non plane ſatisfecit. Non habuit ille quidem, horrendam, ac præcipitem illam ſermonis volubilitatem ſeu tolutiloquentiam; ſed nec ei defuit præterfluens oratio, aut aptiſſima rerum quarumcumque explicandarum facultas, qua præclare omnino graviterque, quod antea lente concoxerat, & meditatus* E *erat, depromebat; ut nemo ſanus vere dicat, inopia verbi eum ſubſtitiſſe; Qui tantum abeſt ut ex ſcripto recitaret, quin quod ejuſmodi vitium non tulerit in Profeſſore Tranſalpino, quem eo nomine ſtomachoſiſſime aliquando inſectatus eſt. Quid vero attinebat, dum recenſentur ejus laudes, repulſam commemorare quam injuſte olim paſſus eſt, prælato ei, id eſt. Apollini ut verbis utar Papirii Maſſoni, Midæ auribus Marſia, ſi non ſtatim ab amico enarratore opprobraretur injuria? Quis tam jejuni ne dicam iniqui laudato-*

Source : BIU Cujas

ris animum non ſuboleat? ſuſpiceturque ita eum laudare ut velit non eſſe quod laudetur, ut quod minus mereatur qui laudatus eſt, protinus in laudatorem, tam opportunum ſcilicet obſervatorem rejiciatur.

Fuit hæc mihi (candide & Cujacii Amantiſſime Lector) utcunque juſta cauſa indignationis adverſum Titulum iſtum DE VARIANTIBUS. *Non queror de Merillio, quod quidquid eruditionis eſt in opere ſuo, id totum eſt Cujacii, nec ad hoſtem clarigatumque venio; ſed queror cum oves paſtori eripiat, audeat eum etiam excæcare, ut Agathocles Ithacenſibus objiciebat. At juſtior illa fuit quam cœpi ex ipſa diſpunctione, & cognitione rei. Ecquis enim eſt qui eadem ipſa re perſpecta bene, non indignetur æque? Hoc exaudio paſſim, pleroſque fere omnes, ſuſurris frequentibus criminationem hanc Merillianam accuſare: Doleo vero tacitas eorum querelas in apertam hactenus Apologiam non erupiſſe; quam ne ſcriberem ipſe, cauſa non una fuit. Quod ſperarem id ſatis a multis factitatum iri, nec deeſſent qui ponerent rumores ante ſalutem. Quod nollem Apologiam ſcribere, deterrente me verbo, & retrudente conſcium inopiæ meæ, qui non potis ſum imbecillus fortem defendere, probeque norim, quam ſit mihi curta ſupellex: denique quod etſi putarem illiberaliter habitum ac deſpicatum Cujacium, & variationes quæ dicuntur ejus, minime variationes eſſe: non ubique tamen cum Cujacio ſentirem ita, ut par eſt eum qui Apologeticum facit. Nam ut ſenſum ipſe meum aperiam, amicus eſt Plato, ſed magis amica veritas. & placet mihi vehementer, quod de beato Cypriano D. Auguſtinus Creſcentio reſpondebat.* Nos nullam Cypriano facimus injuriam cum ejus quaslibet litteras, a canonica ſcripturarum auctoritate diſtinguimus. Ego ejus Epiſtolæ authoritate non teneor, quia litteras Cypriani non ut canonicas habeo, ſed eas ex canonicis conſidero, & quod in eis divinarum ſcripturarum auctoritati congruit, cum laude ejus accipio, quod autem non congruit, cum pace ejus reſpuo. *Tandem enimvero ut vidi, ævum conticeſcere eos de quibus ſpes mihi erat, & omne genus Anteceſſorium aut refugere aut differre laborem, quaſi ſilentio canum proditis rebus, ut Capitolium anſer, utcumque ſervarem, aut cuſtodes ad id ſervandum clangore excitarem meo, animum adjeci ad priorem operis partem, ceſſurus aliis alteram, ſi non eam cedant mihi, non apologiam quidem ſcripturus, ſed operis tantum Merilliani diſpunctionem: jam nunc (niſi fallor) fidem facturus, obſidianæ fragmenta veras gemmas non ſcarificare, & ex quinquaginta duobus aut tribus capitibus quibus accuſatorius conſtat hic libellus, vix uno vincere accuſatorem; cujus adeo probationes inanes ſunt, ut teſtimonia ſi recipiantur, aut imperfecta ſint, aut Reum magis exonerantia aut propter exceptiones nulla.*

Quæſo enim Te, Lector æquiſſime, an non iniquum accuſatorem jure dicat Merillius, qui viſis ejus Obſervationibus quas cenſeat ratas, ſi in aliquam prælectionem ejus inciderit, in qua tumultuarie forte vel tentandæ novæ opinionis cauſa quidpiam delibando præfatus ſit, ſtatim eum conſtantiæ poſtulet? quanto juſtius iniquiorem! ſi quod oſcitantiæ auditorum, & exceptorum negligentiæ tribuendum ſit, innocuo ipſi Merillio faciat acceptum? Atquin hoc tamen genus probationis eſt, quo contra Cujacium plurimum utitur Merillius: Cætera non probatio, ſed deceptio eſt.

Poteſt ille quidem variare qui multa dicit, nec utique qui multa, & varia dicit, variare dici debet, cum & D. Ambroſius ſæpe, aliique ſacrarum paginarum interpretes, aliter atque aliter locum eundem accipi poſſe fateantur. Quotus quiſque eſt qui penſum diurnum publice dum agit, ſi ſæpius de eadem re differat, eodem tenore ſemper ediſſerat? nec modo hanc, modo illam amplectatur opinionem, ex multis periculis certior ac ſecurior factus ad unam eligendam atque evulgandam Beatus ille, ut Plato cenſebat, cui vel in ſenectute contigerit ut ſapientiam veraſque opiniones aſſequi poſſit.

Haud abſimilem ſortem habere mihi videntur quotidianæ Anteceſſorum recitationes collatæ cum publicis ſcriptionibus, ac quæ domi peccamus paucis præter familiam conſciis arbitris, ſi hæc conferantur cum his quæ propalam, & in oculis omnium delinquimus: horum enim, ut fama publica eſt, & vindicta: ita illorum, extra tectum cenſura nulla.

Quæ igitur iſta adverſus Cujacium ut variator audiat, probatio eſt, quod in ſcholaſtico aliquando pulvere quæſtiones varie agitaverit? (ſi modo hoc verum eſt varie agitaſſe) aut aliter quam apud ſtudioſos diſputaverit, publice ſcriptum reliquerit? Scilicet ejuſmodi, ac ſi perfectam hodie emtionem, ideo imperfectam quis arguat, quod antequam in eandem contrahentes ſententiam decurrerent, varios animi motus habuerint. Eſt apud Hymerum Rhetorem declamatione quadam in Epicurum objurgatio, quod aliter privatim doceret, aliter publice fingeret: δὶ ἀμφότερα δὲ μισεῖσθαι δίκαιος, ἢ ὧν ἰδίᾳ παιδεύει, ἢ ὧν δημοσίᾳ πλάττεται. Sed nihil tale Cujacius admiſit: cui etſi contigiſſet aliquando publice aliter ſcribere, quam in auditorio recitaſſet, plane condonandum erat, rei utilitate doli ſuſpicionem omnem amovente. Quæ convictio ex illa ſcriptura, quam non redivivus agnoſceret ipſe Cujacius aliena depravatam manu? & quam puram putam ex ejus adverſariis erutam, vetitam in lucem exire.

Rideret monitor non exauditus.

Qua tandem excuſationis ſpecie expungi atque aboleri poterit hæc accuſatio, ſi tantam habet aut hallucinationem, aut calumniam, ut reum affirmet dicere quæ dicere non cogitavit, aut (quod magis mirum eſt) quæ negavit? Quid porro ſi totius hujuſque moliminis tanta eſt infelicitas, ut cum ex duabus quas inter ſe diſſidentes ſtatuit accuſator opinionibus, alteram quaſi rectiorem eligit, ſæpiuſcule deteriorem arripiat? Quod cum eſt fere incredibile, vix credas Lector veritatis amantiſſime. Sed ne a me conflictum exiſtimes, ſuſtine ac diſpice, comperies, agnoſces: tu vero tandem aliquando ad te converſus fatebere Merilli, ſi ſolam veritatem conſectabere. Hoc enim te quoque ipſum orare non dubito, quo D. Hieronymus agonothetam Rufinum, ut inter nos contendentes veritas ſuperet: ut mihi non ſemel nunc indicanti nomen, odium non indicas velut inimico ſcriptori, ſed aurem admoveas haud inimico DISPUNCTORI.

DISPUN-

Source : BIU Cujas

DISPUNCTOR AD MERILLIUM; SEU DE VARIANTIBUS CUJACII INTERPRETATIONIBUS *In Libris Digestorum*, DISPUNCTIONES LIII.

DISPUNCTIO I.

Quid sit jus, quod necessitas constituit, in *l. penult. Dig. de Legibus Senatusque cons.*

Textus *legis penultimæ. D. de Legib.*

Ergo omne Jus aut consensus fecit, aut necessitas constituit, aut firmavit consuetudo.

HIc prima Cujacio inuritur inconstantiæ nota: Scripsit Cujacius *in Paratitlis Digestorum* (inquit Merillius) jus quod necessitas constituit, esse Senatusconsulta. At *libro* 14. *Observationum*, *cap.* 16. dixit esse jus gentium. Ergo variavit.

Nego vero, *illo Observationum loco*, Cujacium hoc simpliciter dixisse. (Nec diffitetur Merillius, Cujacium ibi, utramque attigisse interpretationem.) Si utramque & attulit, & conjunxit; a priore igitur non destitit: nec Lectoribus præjudicio ullo jus eligendi præripuit, qui novam interpretationem ita exhibuit, ut veterem commemoraret, nec contemneret, sed produceret. Magno vir ingenio Cujacius, cum *Paratitla* scriberet, & animadverteret Rubricam tituli *de Legibus*, tripertitam esse, conceptam scilicet hoc modo, *De legibus, Senatusque consultis, & longa consuetudine*, solertissime, Modestini conclusionem hanc, *Ergo omne jus aut consensus fecit, aut necessitas constituit, aut firmavit consuetudo*, ad eundem titulum referendo, docuit jus quod consensus fecit, esse Leges, jus quod necessitas constituit, esse Senatusconsulta, quod firmavit consuetudo, esse mores. Nec variavit *in Observationibus*: licet ibi tentaverit eam Modestini divisionem, ad omnes Juris Civilis partes extendere. *Sit igitur* (inquit) *ea lex penultima, conclusio totius tituli: verum tentemus etiam ea divisione, posse contineri omnes partes Juris Civilis. nam & jus quod Princeps constituit necessitas fecit, & jus gentium, & similiter necesse fuit admitti authoritatem prudentum.* Quæso hic consistamus. An hic Cujacius aliud sensit, quam verbo *necessitatis* contineri Senatusconsulta, & Decreta Principum, & Responsa prudentum, & ipsum jus gentium? Porro qui dixit *necessitatis* verbo, contineri hæc omnia, an alius est ab eo qui ante dixit eodem verbo contineri Senatusconsulta; Hoc velim in ipso statim initio mihi concedi, extensionem cujusque rei aut verbi, variationem non esse. Quod si obtineo, simul & evinco cum hic, tum in plerisque omnibus in quibus a Cujacio variatum esse dicitur, minime variatum esse. Ne igitur ita loquatur Merillius, quasi Cujacius, *illo Observationum loco*, scripserit jus quod necessitas constituit, referri posse ad Senatusconsulta, vel ad jus gentium: sed advertat, magis id eum voluisse, ad utrumque referri posse.

Expositа hoc utroque modo juris divisione, subjungit Cujacius, videri Modestinum sumpsisse hanc juris partitionem, ex hoc Menandri loco τρία γάρ ἐστὶ δέσποτα, δι' ὧν ἅπαντα γίγνεται ἢ κατὰ νόμους, ἢ τοῖς ἀνάγκαις, ἢ γε τρίτον ἔθει τινί. *Non jus omne tantum sed & omnia aut leges efficere, aut necessitatem, aut consuetudinem:* quæ Latina versio, adauget tantisper & explanat Menandri verba: In queis explicandis, facile dedero, Menandrum de Senatusconsultis Romanorum non cogitasse, qui speciale jus civile aliquod non perstrinxit, sed jure omnia fieri vel necessitate vel consuetudine, generaliter enunciavit; Non ea igitur ratione quam reddit Merillius, *quod Senatusconsulta Romana Menander longe antecesserit*, qui cum Sosigene natus sit, & mortuus Philippo archonte, Romana potuit non nescire Senatusconsulta, quæ a Republica nata; adeoque ante Lucium Papirium Cursorem, & Spurium Carbilium, quibus Consulibus mortuus est, facta sunt innumera. Quasi vero ante eos, Provinciæ nullæ decretæ sint, quas Senatusconsultis solere decerni docet Festus! Quasi nulla Senatusconsultis præeuntibus indicta bella! Nulla Senatusconsultis prorogata Imperia! De quibus Livius *lib.* 10. nulla denique Senatusconsultis simulacra consecrata sint. Val. Max. *lib.* 8. *cap. ultim.* Itaque dictum a Menandro generaliter, putavit Cujacius, Modestinum ad jus traduxisse, recte: veluti si dixero duas Juris partes esse summas, leges & mores, id ipsum recte dixero convenire ei, quod Pyrrho dicebat (fuit & Aristippi verbum) omnia fieri νόμῳ καὶ ἔθει: ut illo solo verbo νόμῳ, partes nedum contineantur Juris civilis scripti, sed etiam honorarii, & ψῆφοι τῶν ἀρχόντων, ut Basilica habent, *tit. de Justit.* Aliter atque si non per imitationem, dixero tres esse juris partes, Legem, Morem & Æquitatem, ut vult M. Tullius, vel ut,

Source : BIU Cujas

ut, *in Topicis*, legitimam, convenientem, & moribus confirmatam.

] Ait Merillius, jus quod firmavit conſuetudo eſt us civile non ſcriptum quod fluxit ex interpretatione Prudentum ad leges XII. Tabularum, & fuit non ſcriptum, & longa conſuetudine fuit comprobatum.

Neque omnino verum eſt conſuetudinem, ſive jus moribus receptum, fluxiſſe ex interpretatione prudentum, cum a pravis initiis mores incipere poſſint, *l. quod vero* 14. *& l.* 39. *D. de Legibus*, & ſeparat hæc Juſtinianus accuratiſſime, §. *reſponſa* 8. *Inſt. de jure naturali, gent. &c.* Neque non omnino falſum, jus quod fluxit ex interpretatione Prudentum, longa conſuetudine fuiſſe comprobatum: Quid enim indiguit tanta prolixitate temporis, quod ſtatim propria conditoris auctoritate valuit? Pompon. in *l.* 2. §. *ita in* 12. *D. de Orig. Juris*, ſcribit, ad interpretationem, & fori diſputationem, neceſſariam fuiſſe Prudentum auctoritatem. At ejuſmodi auctoritatem longa conſuetudine comprobari debuiſſe non ait. Papinianus autem, jus civile non minus ex auctoritate prudentum venire, quam ex ipſis legibus agnoſcit, *l.* 7. *D. de Juſtitia & jure*. Poteſt quid uſu recipi ſuadente utilitate, poteſt & cum ipſa utilitate concurrere juriſprudentia, *l.* 1. *Cod. de Acq. poſſ.* Sabinus & Caſſius putaverunt, poſt litem conteſtatam etiam in actione in perſonam, cauſam omnem præſtandam eſſe officio judicis: hoc placuit, & exinde vulgo receptum eſt, *l.* 2. *& l. videamus* 32. *D. de Uſur.* At Juriſconſultorum auctoritati, ad ipſam confirmandam, uſum accedere debere, quis tradidit? Ita poſtquam a Trebatio ſuggeſtum eſt Auguſto Codicillos admodum neceſſarios eſſe, ad uſum eorum confirmandum, neque lege, neque longa conſuetudine opus fuit: ſola Trebatii auctoritas, & Labeonis exemplum, dubitationem omnem ſuſtulit, & jus Codicillorum admiſit, *Titulo inſtit. de Codicillis*. Quod ſuadentibus Juriſconſultis recipitur, palam & ex ratione admittitur, quod uſu inducitur ſenſim gliſcit, & veluti irrepere videtur.

Decepit multos, quod Pomponius ſcribit, *l.* 2. §. *his legibus* 5. *D. de Orig. Jur.* diſputationem fori & jus quod ſine ſcripto venit compoſitum a Prudentibus, nullo proprio nomine eſſe donata, ſed communi nomine jus civile eſſe appellata. Cum enim viderent, jus quod moribus receptum eſt, jus civile etiam dici: facile in animum induxerunt, ut crederent nihil intereſſe inter mores & jus a prudentibus compoſitum, qua re (peto veniam a viris præſtantiſſimis) immaniter falſi ſunt; Nam etſi utrumque jus ex non ſcripto venit, non tamen ſequitur idem eſſe. Interpretatio prudentum, ex non ſcripto quidem venit: at non ut mores, ſolo invaluit uſu, nec ſine ſcripto perduravit; Senatuſconſulta & alia ſcita, ex ſcripto venerunt, quia monumentis ab initio conſignata ſunt: quæ vero longa conſuetudine invaluerunt ac comprobata ſunt, tantæ (propter diuturnum uſum) auctoritatis habita ſunt, ut neceſſe non fuerit ſcriptis ea comprehendere, *l. imo* 36. *D. de Legibus*.

Itaque ſi cum longa conſuetudine reſponſa prudentum conferantur, hæc proculdubio cum jure ſcripto reponenda ſunt, ut pars ejus intelligantur, *d. l.* 7. *D. de Juſtitia & Jure*. Illa vero, jus ipſum A eſſe non ſcriptum dicenda eſt, *l. de quibus* 32. *cum ſeqq. D. de Legibus*.

DISPUNCTIO II.

An Præſides qui jus gladii habuerunt, alias coërcitiones habuerint.

Textus §. *qui univerſas* 8. *leg.* 6. *D. de Officio Præſidis*.

Qui univerſas Provincias regunt, jus gladii habent, & in metallum dandi poteſtas eis B *permiſſa eſt.*

NOn eſt verum Cujacium ſcribere *lib.* 21. *Obſervat. cap.* 30. contra quam unquam docuerit de Imperio Præſidum! Non eſt verum, eum putaſſe Præſides, omnes Imperii partes habuiſſe. Verba enim illa Cujacii, *Per eminentiam gladii poteſtas ſumma pars meri Imperii, &c.* referenda ſunt ad expoſitionem legis quam enarrat, id eſt, *legis* 3. *D. de Juriſdictione*, quæ cum dicat, *Merum eſſe imperium habere gladii poteſtatem*, recte Cujacius, per eminentiam id dictum eſſe, & τυπωδῶς obſervat, quod ſumma pars Imperii meri, ſit jus gladii, *definitur*, inquit, *in dicta* C *l.* 3. *utrumque Imperium non exacte, ſed per exemplum. A majori parte meri Imperii, confecta definitio eſt, major pars eſt jus gladii*. Viden Cujacium meri Imperii plures partes agnoſcere, ſummam autem ac præcipuam facere, jus gladii?

Haud igitur id hac Theſi Cujacius variavit, & in quo variaſſe eum Merillius putavit, hallucinatus eſt egregie, errorem ſuum, ut alienum ſenſum amplexus. Intelligo quod Epictetus monet, non omnes Chryſippum capere Philoſophos, nec video erroris colorem. Nam eſto gladius ſit ſymbolum hujus ſummæ poteſtatis, quod facile concedent qui ſciunt & in *Pſalmo* 45. *v.* 3. poſt ea verba, περιζῶσαι τὴν ῥομφαίαν σου ἐπὶ τὸν μηρόν σου, adjectum, δύναστα: non tamen ſequitur, omnes qui jus gladii habuerunt, geſtaſſe eum, aut qui geſtaverunt, vel geſtare potuerunt, omnes Imperii partes habuiſſe, quod probat ſatis textus ille, *jus gladii habent, & in metallum dandi, &c.* Quæ poſtrema verba, ſuperflua omnino eſſent, ſi jus gladii, meri Imperii partes omnes contineret. Probat id ipſum *l.* 2. §. 1. *l.* 8. §. 1. *D. de pœnis & l.* 6. *D. de interdictis & relegatis*, ibi *Deportandi autem in inſulam jus, præſidibus provinciæ non eſt datum, &c.*

Excellenter autem abutitur Merillius. l. 6. §. *ult. D. de Pœnis.*, ex qua tentat efficere præſides, pœnas irrogare potuiſſe, quæ aut vitam adimant, aut ſervitutem injungant, aut civitatem auferant, E aut exilium, aut corporis coërcitionem contineant; cum illo §. *ult.* Non hæc quidem Præſidibus tribuantur, ſed propoſita quæſtione quibuſnam pœnis reos afficere poſſent Provinciarum Præſides, ordinator Digeſtorum, pleraque fere omnia pœnarum genera (quod ars exigere videbatur & forte Ulpianus libro 9. de Officio Proconſulis præſtiterat) enumerat, conjunctis de eodem argumento, pluribus capitibus; tum demum in *l.* 8. §. 1. *D. eodem illo titulo*, definit Præſides vitæ adimendæ jus habere, ut ſi damnaverint aliquem, ut animadvertatur,

Source : BIU Cujas

tatur', id est', ut gladio feriatur, non ut aliud mortis genus irrogent aut liberam reo mortis facultatem concedant : Verba *legis 6. in fine*, hæc sunt. *Nunc genera pœnarum, nobis enumeranda sunt, quibus Præsides adficere quemque possunt : Et sunt pœnæ quæ aut vitam adimunt, aut servitutem injungunt, aut civitatem auferunt, aut exilium aut coërcitionem corporis continent.* Hæc, inquam, pœnarum genera recensentur, non quasi præsidibus eas irrogandi jus sit, quos jam probatum est exilio damnare non posse, sed ut iis enumeratis, appareat quibus possint, aut non possint, noxios plectere.

Nihilo felicius sententiam suam confirmat Merillius, exemplis variarum pœnarum, quibus Præsides provinciarum Christianos affecerunt : Sciendum enim est, adversus Christianos, sæviente procella, nullius non pœnæ irrogandæ potestatem Præsides, ex mandato habuisse. Nam cum sæpe Litteras & Edicta, ad Rectores Provinciarum, de compellendis ad Sacrificia Christianis, Principes mitterent, cujusmodi multa, Diocletiani, & Maximiani ad Urbanum Palestinæ Præfectum, commemorat Nicephorus *lib. 7. cap.* 14. Et Eusebius *lib. 8. cap.* 14. Dubitandum non est iis Edictis sanctionem & mandatum non defuisse. Sed age ne præsumtionibus agamus. De Decio Imperatore, quo regnante viguit in Christianos septima vexatio, Cyprianus *Epistola 52. ad Antonianum*, fanda atque infanda, comminatum eum esse dicit. *Nonne* (inquit) *inter glorioſos martyres, deputandus Cornelius, qui tantum temporis sedit, expectans corporis sui carnifices, & tyranni ferocientis ultores, qui Cornelium adversus Edicta feralia resistentem, & minas, & cruciatus, & tormenta fidei vigore calcantem, vel gladio invaderent, vel crucifigerent, vel igne torrerent, vel quolibet inaudito genere pœnarum, viscera ejus & membra laniarent, passus est quicquid pati potuit, & tyrannum armis & bello postmodum victum, prior sacerdotio suo vicit.* quid sibi hoc vult *adversus Edicta feralia?* Sed & in libro de Novatiana secta cui falsus Titulus fuit Ἄθλησις Νουάτου Ἐπισκόπου (licet hic liber quod ad dictionem & auctoris propositum vilissimus fuerit, ut Photius memorat ubi de Eulogio Alexandrino Episcopo) in eo, inquam, scriptum est, Perennium Ducenarium Christianos omnes proposito pœnarum omni genere ad Idola cogere voluisse, cum ab Imperatoribus Decio & Valeriano mandatum haberet, πρόσταγμα λαβὼν παρ' αὐτῶν. Quid? Quod privatis quibuslibet, Christianos impune nedum lacessere, sed etiam occidere licuisse, testantur Acta Anisiæ martyris, apud Simeonem Metaphrastem. Probat & Tertullianus *Apologetici, cap.* 37. *Quoties enim* (inquit) *in Christianos desævitis, partim animis propriis, partim legibus obsequentes. Quoties etiam præteritis vobis, suo Jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus & incendiis.* Tam effrænis igitur atque effera in Christianos licentia, ad id probandum quod in quæstione est, nihil omnino conducit. Est enim, si verum amamus, tota ad Principum ac Tyrannorum jussa referenda, prout referebant qui crudelissimam eorum insaniam querebantur. Chrysost. *sermone* quodam *de S. Pentecost. tom. 6.* πόσοι ἐξ ἀρχῆς &c.

Sed & admodum inefficax est illud argumentum, *Non debet cui plus licet, id quod minus est non licere*, quod jamdudum ab hocce Imperii meri tractatu profligatum est. Deus bone, quis hoc nescit? Consulem relegare non potuisse, qui tamen gladio ferire potuit, *l. 14. D. de Interdictis.* Itaque Cujacius ipse noster, non fert Pontificem uti eo argumento a majori ad minus, in causa Imperii ac potestatis Ecclesiasticæ in *cap. Per Venerabilem* 14. extra, *Qui filii sint legitimi.*

Merillius ait, *Concesso Imperio mero intelliguntur omnes Imperii partes concessæ.* Scilicet hoc ad rem est! Quæstionis status est, an Præsides qui jus gladii habent, cæteras quoque meri Imperii partes habeant? Hoc cum negatur & pernegatur, quidni probat Merillius?

Quid vero attinet, ut ad Textum illum *legis 6. D. de Officio Præs.* respondeat, commemorare Merillium, divisas jam Ulpiani tempore fuisse Provincias, ac dicere Rectores Universarum Provinciarum, omne Imperium habuisse, cæteros non habuisse? Cum vel ipso Merillio agnoscente, Ulpianus in *d. l. 6.* Provinciarum Rectoribus illis, jus gladii & in metallum dandi tantum concesserit.

Nonne denique mirum hoc est, Merillium *hocce capite* 2. uno loco, *legem unicam. Cod. Theodos. Ne sine jussu Principis, certis jud. liceat confiscare*, in hoc adducere, ut probet Præsides habuisse jus confiscandi: postmodum in ima cera, eandem proferre ut probet non habuisse jus confiscandi?

Dicat forte, se prius loquutum esse de Præsidibus qui jus haberent vitæ adimendæ, postea de Præsidibus divisarum Provinciarum, *qui* (ita loquitur) *plerumque nec jus gladii habuerunt, nec jus deportandi nec jus confiscandi.* Ita ne Merilli nos ludis? ut eundem locum, in tam diversas obtrudas interpretationes. Esto *dicta lex unica*, duo genera Rectorum perstringat, An non utriusque jus gladii concedit ita, ut quibus confiscationem negat, jus tamen gladii non adimat? *Nemo* (sint verba *dictæ legis*) *sibi præsumat moderatorum Provinciarumque Rectorum, sub quibuscunque infulis potestatis quemquam patrimonii universis privare subsidiis, in illos gladii sui & jus severitatis exerceant, in quos statim destringi ferrum jura præcipiunt, &c.*

Vereor ne qui variationis alios postulat, non tantum impingat ut variet ipse, sed etiam ut pugnantia loquatur.

DISPUNCTIO III.

An omnis Jurisdictio sit cum Imperio : vel an aliqua sit sine Imperio, adeoque simplex & nuda.

Ad l. 3. vers. Mixtum. D. de Jurisd. Mixtum est Imperium, cui etiam jurisdictio inest.

CUjacius scripsit *lib. 21. Observ. cap.* 30. Nullam esse jurisdictionem simplicem vel nudam. Idem (inquit Merillius) aliter, in prima expositione Tituli *de Jurisdict.* scilicet ad *l. 1.* ubi hoc dixit, *Magistratum Municipalem simplicem tantum jurisdictionem habere*, & ad *l. 53. Cod. de Decurionib. duum virum Imperium non habere, jurisdictionem habere.* Quis neget hac in quæstione variasse Cujacium?

Quæso

Quæso te Merilli, sine me aliter paullo effingere quæstionem, in hunc scilicet modum: An majores Magistratus Jurisdictionem sine Imperio, adeoque simplicem & nudam habere intelligi possint? Enim vero si quam vel animo cogitavit, qui nullam proposuit in *d. lib. 21. Obs. cap. 30.* hanc proculdubio ita a me conceptam quæstionem efformare, par fuit eum qui de Majoribus tantum Magistratibus loquutus est, de Minoribus ne verbum quidem. Huic autem quæstioni, si quis apte & convenienter respondere velit, quid tandem respondeat, nisi quod Magister illo loco præscripsit? Atqui verissimum illud est, *dicto Observationum loco* de Majoribus tantum Magistratibus Cujacium tractare: Nimirum hoc agit, ut *d. l. 3. D. de jurisd.* simpliciter exponat: Nec generalem titulum observationi illi tribuit, sed hunc, *Interpretatio legis 3. D. de Jurisd.* quam legem cum perspicuum sit, esse de Mero Imperio & de Mixto quod habent urbani Magistratus & Potestates: secundum hæc rectissime scripsit Cujacius, *duos in ea lege terminos esse, quia nulla est jurisdictio simplex vel nuda*, scilicet in iis Magistratibus, de quibus in *ea lege* agitur, ut ipsius legis epigraphe indicat, quæ est Ulpian. lib. 2. de off. Quæstoris, cujus & interpretationem orditur Cujacius, ab eo quod Quæstor, licet Merum Imperium non habuerit, non tamen sine mixto Imperio fuerit. Atque eam fuisse Cujacii mentem, suadet & quod observat vir prudentissimus, definiri utrumque Imperium per exempla, Bonorum scilicet possessionis, & Judicum dationis, quæ cum Magistratibus Municipalibus non congruant, ad eos palam est observationem illam suam non retulisse: sed nec alia exempla, quæ adscisçit Cujacius aliunde, quam ex *d. l. 3.* possunt aptari Municipalibus Magistratibus, ut de extraordinariis cognitionibus, de executione sententiarum a judicibus datis redditarum. Item de decreto quo Magistratus jubet judicare, aut cavere, vel quo mittit in possessionem, vel quo restituit in integrum.

Dicat Merillius, me præterire duo exempla, multæ dictionis, & *modicæ cujusque coercitionis!* Bona fide agnoscam Cujacium, ea quoque proferre: At ejusmodi sunt inquies, ut Duumviris non denegentur! Ita sit de modica coërcitione; Sed eam Cujacius commemorat quatenus eandem majores Magistratus cum aliis mixti Imperii partibus habent. Quod ad multæ dictionem attinet, dispiciendum, an omnino Duumviris concedenda sit! qua de re statim.

Etsi hæc autem Cujacium vindicare possint, ut non dicatur *illo Observationum loco*, quidquam asseruisse, vel negasse de Magistratibus Municipalibus, aliud tamen etiam est, quod licet Merillio non iri probatum scio, commodissime tamen ac verissime rem expediat: si dicamus Magistratus Municipales, simpliciter quidem ac per se, qua Magistratus sunt, Jurisdictionem & Imperium vel exiguum habere, exiguum inquam, id est, quatenus explicandæ jurisdictioni necessarium est, comparate vero, dici posse non habere imperium, scilicet si conferantur cum Potestatibus & Urbanis Magistratibus, qui imperii mixti partes omnes habent: Atque ita Cujacium uno loco Imperium abrogare Magistratibus Municipalibus ut ad *l. 53. Cod. de Decurionib.* & ad *l. 1. D. de jurisdict.* alio vero non denegare. Et quidem quod vir Præstantissimus in recitationibus, *ad l. 1. D. de Jurisdict.* Magistratus Municipales ait non habere Imperium, nihil aliud est, quam non habere ea quæ magis imperii sunt, quæ absolute Imperium dicuntur. *Nam id quod duplex est sive junctum*, inquit *ab eo quod majus est, nomen accipere solet, ut honestum quod est & utile, honestum simpliciter dicitur*, & infra, *sunt pleraque alia jura, sunt multæ aliæ licentiæ, quæ sunt mixti Imperii, sunt etiam alia sine quibus Jurisdictio expediri non potest: hæc dantur etiam Magistratibus Municipalibus, uti est modica coërcitio*, & iterum infra. *Magistratus Municipalis non habet omnia quæ sunt mixti Imperii, sed necessario ea tantum sine quibus jurisdictionem suam explicare non potest.* Ex quibus apparet, simplicis jurisdictionis nomine, Cujacium non excluisse omnes mixti Imperii partes. Videat igitur Merillius ne fallat, neve fallatur.

Quidni vero, Mixti Imperii partes minores Magistratibus Municipalibus relinquemus? Dicuntur habere ea, quæ tam Imperii sunt quam jurisdictionis, *l. 26. D. ad Municipalem*. Habent igitur Imperii nonnihil: *facere non possunt*, inquit *d. l. 26. ea quæ magis Imperii sunt quam jurisdictionis.* Ergo possunt exequi quæ tam unius causæ sunt quam alterius. Melior est ea consequutio quam probatio ista Merilliana, non opus esse Imperio Magistratibus Municipalibus ad exercendam suam Jurisdictionem, utpote (inquit Merillius) qui facere non possint ea quæ sint Imperii: Vide quid dicas Merilli: Non hoc ait *lex 26.* sed non posse quæ magis Imperii sunt facere, cum sint proculdubio quædam, quæ magis Imperii sint, quam Jurisdictionis, *l. 4. D. de Jurisdictione*. Deinde Jurisdictio data est Magistratibus Municipalibus; igitur & iisdem ipsis ea concessa, sine quibus Jurisdictio explicari non potest, *l. 2. D. de Jurisd.* Denique sine modica coërcitione nullam esse Jurisdictionem Paulus ait, *l. ult. D. de Offic. ejus cui mandata est Jurisd.* Nec dicat Merillius, hoc nihil aliud esse, quam nullius esse momenti. Hoc enim salva omnium pace, nihil est dicere, quia & hoc eodem recidit. Deinde quod factionem habet, sive ab uno sive a pluribus fiat, si nullum dicatur recte convertas nullius esse momenti, ut est testamentum, mandatum, emtio, fidejussio, pactio; Ita & judicia, quæ & fieri dicuntur & nulla esse, *Orat. pro Cluentio*, & alibi, & ipse actus exercendæ Jurisdictionis, pro nullo haberi recte dicitur, & sententia nulla, *l. 1. D. quod quisque juris*, stipulatio recte quoque nullius momenti esse dicetur, cum rite facta non est, cum nihil actum. At nemo belle ac Latine dixerit Jurisdictionem nullam, significare nullius momenti. Non fit enim Jurisdictio, sed esse vel non esse dicitur, *l. 1. & 2. D. de Judiciis*. Nec me dissuadebit Papa in *cap. 23. extra, de Off. & potest. Jud. deleg.* magis enim ille quid vere quam quid recte dicatur, attendit: Non est arbiter æquus latinitatis, sed veritatis: sed nec ibi interpretatur Jurisconsulti verba. Ergo nullam esse Jurisdictionem sine Imperio, id significat, nullam esse Jurisdictionem quæ non habeat conjunctum Imperium. Itaque cum habeant Magistratus Municipales Jurisdictionem, sequitur eos & Imperium habere. Et vero possunt Magistratus

Muni-

Source : BIU Cujas

Municipales aliqua decernere, puta sumtum ad funus, *l. si quis* 12. §. *ult. D. de Religiosis*. Possunt legationem injungere, *l.* 13. §. *idem Labeo* 5. *D. de Injur.* qua in re quis mihi negat Imperium aliquod versari? *l. Munus* 214. *D. de V. sig.* Possunt legitimos actus explicare, *l. apud* 4. *Cod. de vindicta libert.* quod ita intelligunt quidam, non tantum si eis Lege Municipii hoc datum sit, sed ita si non sit ademtum, *l.* 25. *D. ad Municipal.* Quin quod & sævire in servitia eis licet, si quem forte servum invenerint ita petulantem ut honorem & ornamenta adtentaret, *l. item apud* 15. §. *unde quærit* 39. *D. de Injuriis*, qua forte de causa, Concilio Eliberitano cautum fuerat, Magistratum anno quo ageret Duumviratum, abstinere ab Ecclesia. *Can.* 56. *Concil. Eliber.* Scilicet hæc omnia, Potestatis ac Imperii rationem & vim aliquam habent, quæ tamen adeo sunt infra ea quæ majores sibi vindicant Magistratus, ut præ iis, nulla dicantur. Atque hoc sensu Paulus separat Magistratus Municipales ab iis, qui Imperium, potestatemque habent, *lib.* 5. *Sent. tit.* 5. *de Effectu sentent.* Ita quoque Ulpianus, minores Magistratus sine Imperio & potestate esse dicit, *l.* 32. *D. de Injuriis*. scilicet respectu majorum Magistratuum. Et Cujacius noster, cum ait in utraque expositione *legis* 1. *D. de Jurisd.* Magistratus Municipales Imperium non habere, citata *d. l.* 26. *D. ad Municipal.* in comparando loquutus est, ut sequentia eodem loco ostendunt. Denique quod Tullius 1. *act. in Verrem*, *cap.* 13. dixit Ædilem paullo amplius quam privatum esse, hoc dixit ad Consulis comparationem. *Erat*, inquit, *tum Consul Hortensius cum summo Imperio & potestate, ego autem Ædilis, id est, paullo amplius quam privatus.*

Non dixi, (quod dixit Merillius) multæ dictionem, ex Lege Municipii habere Magistratus Municipales, quod tentat probare nec quicquam ex *l. ult. D. de Decret. ab. ord. fac.* Est ea res nimirum majoris momenti, id est magis Imperii quam jurisdictionis, adeoque solis Magistratibus permissa, id est Urbanis, & Provincialibus. Ita enim exaudienda est *lex Aliud fraus* 131. *in fin. D. de verb. sig. Magistratus solos & Præsides Provinciarum posse multam dicere, mandatis permissum est.* Quis adeo novus & ut ita dicam hornotinus, ut ignoret Magistratus si cum Potestatibus, id est Provinciarum Præsidibus conjungantur Urbanos significare? Populi Romani Magistratus, *l.* 3. *D. de Eo quod metus causa, &c. l.* 4. *in fin. D. de Interrog. act.* Omnes tenent Suetonii locum *in Claudio*, *cap.* 23. *Jurisdictionem de fideicommissis quotannis & tantum in urbe delegari solitam Magistratibus, in perpetuum atque etiam per Provincias Potestatibus demandavit.* Et sane in *l.* 1. *Cod. de modo multar.* statuitur modus intra quem Judices multas dicant, tam Spectabiles, quam Illustres: Municipalibus nullus præstituitur: unde sequitur vel infinitam eos licentiam habuisse multæ dicendæ, quod absurdum est, vel nullam, quod verissimum, Itaque quod *lex* 2. *in fine. D. de Jud.* ait, *Jus multæ dicendæ, datum esse his quibus publice judicium datum est.* Plane referendum est ad Majores Magistratus, & omnino conjungendum cum *D. in l. aliud fraus* 131. ubi ait, *item multam is dicere potest, cui judicatio data est.* quæ verba interpretationem sumunt ex his quæ sequuntur, *Magistratus solos & Præsides Provinciarum posse multam dicere.*

Atque ex iis constare potest, quod dicitur, in *l.* 4. *D. de Jurisd. & l.* 26. *D. ad Municipal.* Magistratus Municipales non habere ea quæ sunt magis Imperii quam Jurisdictionis, comparative omnino dici, quidquid Merillius scribat in *cap.* 4. *sequenti*, ubi pauca nobis adnotanda supererunt.

DISPUNCTIO IV.

An in mixto Imperio quædam sint magis Imperii quam jurisdictionis? & an verbum (*Magis*) in *l.* 4. *D. de jurisdictione*, positive vel comparative sumi debeat?

AGamus primo de quæstione proposita, simul & de sententia *dictæ legis* 4. Tum demum de variatione Cujaciana. Ulpianus in *d. l.* 4. ait, *Jubere caveri Prætoria stipulatione, & in possessionem mittere, Imperii magis est quam Jurisdictionis.* Quæstionis est an illud, *magis*, θετικῶς, id est positive, an potius συγκριτικῶς sive comparative accipi debeat? Ponitur positive, cum de aliquo dicitur non in comparando, sed in separando ut id fere valeat quod verbum, Potius, veluti cum dicimus virtutem magis sectandam esse, quam vitia. Comparative vero accipitur, cum plus tribuit uni rei quam alii, significat tamen rem utramque, de qua sermo est, qualitatem eandem habere, sed non eodem gradu, ut cum dicimus mel magis esse dulce quam uvas. Mel dulce est, & uvæ dulces, sed mel magis dulce, quibus exemplis utitur Diogenes *in Pyrrhone*. Quamquam Tullius *lib.* 3. *de Finibus cap.* 10. mel dulcissimum esse dicat, suo proprio genere saporis, non comparatione cum aliis dulce esse sentiri. Alio exemplo utar, ut si dicam mage doctum atque in nomicis sapientem Merillium, quam ceteros hujus sæculi Antecessores; scientiam utique non detraham ceteris, sed præ illis Merillium faciam eminentem, & si patiatur ἔμψυχον βιβλιοθήκην ut Eunapius Porphyrionem inter Sophistas; vel denique si de una eademque re vel condimento quod plures habeat sapores dicam falsum magis aliquid esse quam acidum, utrumque dicam; sed alterum magis. Idem si dixero Gothofredum juris interpretem, sagacem & laboriosum, magis tamen laboriosum. Marcus Tullius ad consecutionem refert hanc speciem disceptationis, cum dicit aliam simplicem esse, aliam ex comparatione, *lib.* 3. *de Oratore*, *cap.* 29.

Affirmo autem omni asseveratione, vocabulum *magis*, in *d. l.* 4. *D. de Jurisdict.* comparative poni. Et primum id concedo lubens cuilibet, conjungi posse commodissime *dictam l.* 4. cum *l.* 26. *D. ad Municip.* Imo & partem ejus esse: Annuam etiamnum si quis velit, Tribonianum ex altera alteram concinnasse, quod ei usu venit sæpe sæpius: Denique & illud dabo libenter quod expetit Merillius, de Magistratibus Municipalibus ambas illas accipiendas esse leges. Sed quid tum? Nimirum non ideo minus hunc eliciam sensum ex iisdem legibus Magistratum Municipalem, cum dicitur non posse jubere caveri Prætoria stipulatione, aut in possessionem mittere, non posse in integrum restituere, aliaque ejusmodi quæ sunt Jurisdictionis &

Source : BIU Cujas

nis & Imperii, non minus, inquam, efficiam esse hæc omnia magis Imperii, quam Jurisdictionis, & quidem in comparando: Scilicet his legibus probatur plus habere Majores, quam Minores Magistratus; habent enim hi, quæ sunt & jurisdictionis & Imperii, sed Imperii tantum habent, quantum satis est ad fovendam jurisdictionem suam, quæ plane, ut dictum est, sine aliqua parte & aliquo usu Imperii explicari non potest. At illi longe plus habent, qui partes omnes Mixti Imperii habent. Hæc sunt omnium communia forensi disceptatio, judiciorum constitutio, & sententiæ dictio. In his explicandis, omnium jurisdictio imperio valet suo, & per Imperium vim suam exerit. Majorum propria sunt, jubere caveri Prætoria stipulatione, puta damni infecti nomine, mittere in possessionem, jubere possideri bona, restituere in integrum, *d. l. 4. D. de Jurisd. d. l. 26. D. ad Municip.* Bonorum possessionem dare, judices litigantibus dare, *l. 1. & l. Imperium 3. D. de Jurisdictione*. Jurisdictionem suam defendere pœnali judicio, *l. unic. D. si quis jus dicenti non obtemp.* & similia. sed ex his quædam quibusdam concessa sunt moribus, quibusdam lege vel Senatusconsulto, ut jus dandi judices, quod Urbanis Magistratibus concessum est more majorum propter vim Imperii sui, Proconsuli autem & ejus legato concessum est lege, *l. cum Prætor 12. §. 1. D. de Jud.* ut cum verum est in urbanis Magistratibus, hoc jus magis esse Imperii, quam jurisdictionis, id verissimum sit in Præsidibus Provinciarum. Tutoris dationem his non annumeramus: licet enim officio jus dicentis, quod generalissimum est, contineatur, *d. l. 1. D. de Jurisd.* quia tamen jurisdictioni & civilium causarum disceptationi mixta non est, magis est ut neque ad jurisdictionem, neque ad Imperium pertinere dicatur, *l. Muto 6. §. 2. D. de Tutel.* multoque minus adjungemus exercitionem publicorum judiciorum, quam nemo jure Magistratus habet, *l. 1. in pr. D. de off. ejus cui mandata est jurisd.* Has eminentiores partes Imperii mixti, minoribus, id est, Municipalibus Magistratibus, denegamus: humiliores ceteras adeoque communes illas non invidemus. In majoribus major est potestas, in minoribus minor, & igitur aliqua, non plane nulla: Quod vel fasces ostendunt, & inde potestas fascium, in *l. Duumvirum 53. Cod. de Decur. Duumvirum*, inquit, *impune, non liceat extollere potestatem fascium, extra metas territorii propriæ Civitatis*.

Sed non tantum comparatio quam efficit verbum illud *magis* locum habet inter Magistratus Majores & Minores, verum etiam intelligitur in ipsis solis per sese Majoribus Magistratibus, ut sciamus eos tale Imperium habere, quod licet cum jurisdictione conjunctum sit, emineat tamen in quibusdam & eluceat magis quam in aliis. Quod ut innotescat, sciendum est mixtum Imperium, prout intellectu percipitur, ad fines ut ita dicam accedere Imperii meri; habet idem nomen, Imperium enim dicitur, & potestas, *l. Potestatis 215. D. de Verb. signif.* quæ potestas & a regibus manavit, *l. 2. §. 14. D. de Orig. jur.* Sed & ordine affine & proximum illi est, ut spheræ superiori subactum ei cœlum. Merum Imperium est potestas censuræ publicæ exercendæ, selecta a cognitione civilium ac forensium causarum, lege concessa: Mixtum est potestas civilium negotiorum, causarum, & actionum moderandarum, finiendarumve, jure Magistratus competens, vel lege concessa. Illud coërcitionum graviorum partes omnes complectitur, ideoque nonnunquam summum dicitur, & summum jus, *l. 2. §. exactis deinde Regibus 16. D. de Orig. Jur.* τὸ κράτος ἄκρατον. Hoc autem, minorum tantum coërcitionum species & partes habet: verbera, vincula, carceres, custodiam publicam, multam), pignoris capionem, & si quæ sint aliæ. Ut igitur in eodem Magistratu qui Meri Imperii partes habet complures, alias aliis majores agnoscimus, ita in Magistratu qui mixti Imperii species omnes sibi vindicat, alias præ aliis eminere fatendum est, quatenus scilicet propius ad merum accedunt Imperium. Ut ecce, cum in extraordinariis judiciis cognoscit Prætor & judicat, hæc facit pro imperio & jurisdictione sua, & cum dat, dicit, & addicit, pro Imperio æque suo hoc facit: at quis non videt magis elucere vim Imperii ejus cum dat bonorum possessionem, cum dat judices, & cum addicit bona? cum his actibus, legis potestatem propius imitetur? Item cum jubet in carcerem duci, cum extra ordinem aliquem plectit, & modicam ita coërcitionem exercet, ut *l. 2. D. de In jus voc. & l. 8. §. 2. D. de Religiosis*. cum aufert rem possessori victo judicio in rem, idque manu militari, *l. qui restituere 68. D. de Rei vindic.* cum corpus retinet & multam dicit, *l. 9. in fin. D. ad l. Juliam Pecul.* quis neget hæc omnia, proxime ad metas Imperii meri accedere? quod adeo verum est ut Græci in *d. l. 4. D. de jurisd.* Imperium interpretentur (nimis licenter) τιμορητικὴν ἀρχὴν, καὶ ἄκρατον ἐξουσίαν, ut & Accursius in *d. l. 2. D. de in jus voc.* Itaque verum est, cum dicitur jubere caveri Prætoria stipulatione, & in possessionem mittere, magis esse Imperii quam Jurisdictionis: illud, *Magis*, comparative poni: & vero verius est in Imperio mixto, quædam esse magis Imperii, quam jurisdictionis.

Quod autem *Merillius* objicit in contrarium, ita leve est, ut sola negatione diffiari possit. Quæcumque, inquit, sunt Imperii mixti, sunt æque Imperii & jurisdictionis. Negatur æque esse. Et sane in compositis, non est æquilibrii tanta ratio, tamque certa ac necessaria, ut alterum ex his quæ miscentur, plerumque non exuberet! satisque supra probavimus in multis quæ sunt utriusque causæ, id est, Imperii & jurisdictionis, prævalere & præcellere vim Imperii.

Aliam non probationem, sed conjecturam habet Merillius, ut *magis*, positive sumatur, in *d. l. 4. D. de jurisd.* (quod non ad quæstionem a se propositam, sed tantum ad interpretationem *d. legis* pertinet) conjectura est ex inscriptione *d. l. 4. D. de Jurisd. & legis 1. & 4. D. de Damno infecto*. quæ sunt ex Ulpiani lib. 1. ad Edictum juncta *l. 26. D. ad Municip.* quæ Pauli est, etiam lib. 5. ad Edictum. ubi quæsitum vult Merillius an Magistratus Municipales possent exigere cautionem damni infecti nomine, & Ulpianum respondisse, id magis esse Imperii quam jurisdictionis, id est, magis pertinere ad Præsides, quam ad Magistratus Municipales! ut Imperii verbo, (prout interpretatur Merillius) denotentur Præsides, qui mixtum Imperium habent: jurisdictionis verbo, Magistratus Municipales qui nudam (ut ille vult) Jurisdictio-

Source : BIU Cujas

dictionem habent : quæ fluxa admodum conjectura est, & plane falsa apud eos, qui simplicem nullam jurisdictionem agnoscunt. Etsi enim concedant, libro 1. ad Edictum tractatum esse an Magistratus Municipales potuerint exigere cautionem damni infecti; Quid vetat opinari Ulpianum diserte & plane ita respondisse non posse : data e vestigio ratione, quia ea quæ magis Imperii quam Jurisdictionis sunt, non possint magistratus illi facere. Quo posito ; quid efficit conjectura Merilliana ?

Nunc quod attinet ad Cujacium, qui dicitur in secunda expositione Tituli *de Jurisdictione*, docere *magis* in *supradictis legibus* accipi in comparando: cum in prima ejusdem tituli expositione, docuisset positive sumi debere. Dicam quod res est, neque in prima illa expositione Cujacium aliter quam in secunda docuisse: Quod integra ejusdem Cujacii oratio pervincet. *Huic*, inquit, *sententiæ nihil obstat lex 4. hoc tit. quæ ait jubere caveri, & in possessionem mittere esse magis Imperii quam jurisdictionis, quoniam* (*magis*) *ponitur in comparationem*. Nolo de dolo adversus te agere, Merilli, nolo falsum intendere: Consule tamen honori tuo.

DISPUNCTIO V.

An Magistratus in Jurisdictione voluntaria, possit se subjicere alii magistratui æqualis vel inferioris potestatis.

Textus *legis* 14. *D. de Jurisd.*

Est receptum, eoque jure utimur, ut si quis major, vel æqualis subjiciat se Jurisdictioni alterius, possit ei, & adversus eum jus dici.

DUplex est Jurisdictio, voluntaria & contentiosa : voluntaria est auctoritas quam interponit Magistratus, in exequendis solemnibus legis actionibus, veluti Manumissionibus & Adoptionibus quæ inter volentes fiunt, *l. 2. & 3. D. de Off. Proconf. l. in adoptionibus 5. D. de Adopt.* Contentiosa vero, est potestas finiendi controversias litigatorum, eosque cogendi ac compellendi etiam invitos, *l. inter stipulantem 83. §. 1. D. de V. obl. l. quidam 21. D. de reb. cred.*

In contentiosa jurisdictione, receptum est ut si major Magistratus subjiciat se Jurisdictioni minoris, puta Consul aut Præfectus urbi, Prætoris jurisdictioni : aut æqualis, æquali : puta Prætor alter, alterius Prætoris jurisdictioni sponte se supponat, possit ei, & adversus eum jus dici, *d. l. 14. D. de Jurisd.* dixi si sponte se subjiciat, enim vero si detrectet Imperium ! qui cogetur a minori major, vel par a pari ? *l. Ille a quo 13. §. Tempestivum 4. D. ad S.C. Trebell.*

At quæstionis est, an in jurisdictione voluntaria, par paris, vel major minoris Imperio se subjicere possit, puta ut Consul vel Prætor apud Prætorem, servum filiumve suum manumittat ? Ait Merillius posse. Ego contra, non posse ; Et ita Cujacium sensisse in *Observationibus, lib. 7. cap. 17.* nec aliter unquam. Probatur negativa

A sententia, *l. 14. D. de Manumiss. Apud eum* (inquit Paulus) *cui par Imperium est manumittere non possumus : Sed Prætor apud Consulem manumittere potest*. Probatur item *l. 18. §. 1. D. de Manumissis vindicta. Apud collegam* (inquit) *suum Prætor manumittere non potest*.

Merillius Cujacium existimat aut fingit se existimare, in prima expositione tituli *de Jurisdictione* sensisse, Magistratum posse apud alium Magistratum parem minoremve, legis actiones exercere: Sed quid Cujacio cum postumis illis operibus quas nec dictavit, nec recognovit ut te Merilli Epistola jam nostra præmonuit ? Quid si nec in postumis, nec ipsissimo quem objicis loco, aliud

B censuit ? Scio equidem non aliud sensisse *ad Papinianum libro 1.* hoc est ad *l. 1. D. de Off. ejus cui mand. est jurisd.* Nec aliud ad *l. 1. tit. 63. Cod. de temporibus & reparationibus appellat.* quam interpretatus est, *lib. 8. quæst. Papiniani*. ubi Bodinum tale quid sibi adscribentem refellebat hisce verbis, *ut non mirer si ingeniosus ille mihi adscribat, me in l. apud eum 14. D. de Manumiss. sine negatione ita legere, Apud eum cui par est Imperium manumittere possumus. Quod neque manus expressit neque animus cogitavit unquam*. Non aliter te hodie Merilli, si viveret, profecto Magister exciperet.

Restat ut locum illum prælectionis ad Titulum *de Jurisdictione* expendamus, quem si libraverit

C ipse non iniquis ponderibus Merillius, agnoscet haud ita sibi ad propinandam nobis variationem inservire. In priore enim illa expositione *legis 14. D. de Jurisdictione* brevi facta ejus enarratione, duo Cujacius præstat in tractanda quæstione de voluntaria jurisdictione, dum Accursii primum opinionem refert rejicitque, probata lectione Florentina, quæ negationem habet : *Rectius* (inquit) *Florentinis additur negatio, quod confirmat lex Apud 14. D. de Manumiss. sed Prætor manumittere potest apud Consulem, nam Consul majus Imperium habet. Igitur recte Prætorem manumittere apud Consulem, apud Collegam non recte*. Quibus verbis suam satis aperte Cujacius opinionem de-

D claravit. Deinde quorumdam aliorum dictum excutit, & improbat non differentiam quidem ab iis allatam, sed rationem tantum differentiæ cur litigare æqualis Magistratus apud æqualem, manumittere vero non possit, quæ ratio erat, quod litigare Magistratus per procuratorem possit, manumittere vero per procuratorem non possit, ne imminuatur (inquiebant) Majestas majoris Magistratus si ipse adeat minorem : Ad hæc Cujacius ; *Nunc dico, si quis major sua sponte adeat minorem Magistratum manumittendi causa, non magis sibi faciet injuriam quam si litiget per se, hoc vero non prohibetur facere, ergo nec illud injuriæ illius metu*. Quis non videt probatam om-

E nino a Cujacio differentiam quam ipsæ leges statuunt per se : At improbari rationem illam, ne imminuatur dignitas majoris Magistratus minorem adeuntis? Improbari inquam, quod dum ei permittitur adire ut per se litiget, non minus hac aditione imminutum eat dignitatem suam, quam si ob aliam causam adeat. Jam quod vulgo legitur apud eundem Cujacium, *igitur in majorem vel æqualem Magistratum, nullam esse Jurisdictionem contentiosam vel voluntariam, nisi se ei subjiciat.* Nemo doctus atque erga Cujacium æquus, non

Source : BIU Cujas

emendabit & leget ita, *igitur in majorem vel æqualem Magiſtratum, nullam eſſe Juriſdictionem voluntariam; Imo nec contentioſam niſi ſe ei ſubjiciat*. Quo facto neque ipſe locus nec quiſquam alius conſtantiſſimæ Cujacianæ doctrinæ offendet.

Nondum ſatis! videndum etiamnum eſt quibus momentis fretus Merillius putet in juriſdictione voluntaria, Magiſtratum ſuperiorem vel æqualem æquali vel inferiori ſe ſubjicere poſſe. *Id*, inquit, *ſuadent verba legis* 14. *D. de Juriſd. ut ei poſſit & adverſus eum jus dici*, Ei, inquit, jus dicitur, puta in juriſdictione voluntaria. In eum, in juriſdictione contentioſa. Quaſi vero, & in juriſdictione contentioſa non dicatur jus ei qui vel condemnatur ipſe alii, vel cui alius condemnatur? *Qui juriſdictioni præeſt, neque ſibi jus dicere debet, neque uxori vel liberis ſuis, neque libertis vel cæteris quos ſecum habet*. (quæ ſunt verba *legis* 10. *D. de juriſd.*) quod & ipſe aſſumis Merilli, *cap.* 10. *infra*, ubi ais filium patri poſſe jus dicere, eumque cogere ſuſpectam adire hæreditatem ex *l.* 13. *in fin. D. ad S.C. Treb.* & agnoſcis eam, *l.* 10. *D. de Juriſd.* eſſe de contentioſa juriſd. Et ita plane eſt, hæc verba *Ei & adverſus eum*, denotare tum actorem & reum, tum eum ſecundum quem & contra quem judicetur: ut ſit & ea *lex* 14. de juriſdictione contentioſa. Ita cum dicitur Præfectum urbi adiri poſſe ab Argentariis vel adverſus eos, in *l.* 2. *D. de Off. Præf. urbi* id eſt, ſive vocent, ſive vocentur. Hoc mire exprimitur in fragmento Mandati D. Hadriani, quo vetabat Præſides, anno ſuæ poteſtatis, vel ſuas vel minorum ſuorum cauſas in judicium ſive agendo ſive defendendo deducere: poſt annum vero, ut tam ipſis contra debitores ſuos, quam debitoribus contra ipſos, actiones intentare liceret, *αὐτοῖς πρὸς τὸς φεύγοντας, ἢ τοῖς φεύγουσι πρὸς αὐτὸς εἰσαγωγίμους εἶναι τὰς δίκας*, *l. pars* 42. *D. de Jud.* Eo quoque pertinet quod dicitur, perpetuas actiones hæredibus & in hæredes tranſire atque etiam pœnales a lite conteſtata, §. *ult. Inſtit. de perpetuis & temporalib. act. l.* 9. *D. de Religioſ.*

Iterum Merillius, Non magis (inquit) minuitur dignitas Magiſtratus ſi ſe in hac vel illa juriſdictione ſubjecerit. Mihi nunc ſufficit hoc dicere, unum eſt receptum, alterum non, ut *l.* 34. *D. mand. Eſt receptum eoque jure utimur ut ſi major vel æqualis ſubjiciat ſe alterius juriſdictioni, poſſit ei & adverſus eum jus dici*. Hoc cum ait Ulpianus tacite mihi videtur dicere, non eſſe hoc perinde receptum ut quis manumittat apud Collegam vel minorem ſe Magiſtratum. Eſt aliquid ſimile in ſubſtitutione vulgari, & pupillari facta impuberi filio: hoc jure utimur, ut, ſi unus tantum ſubſtitutionis caſus expreſſus ſit, benigne ſuppleatur ille caſus qui omiſſus eſt, *l.* 4. *D. de Vulg. & pup. ſubſtit.* Non ita ſuppletur caſus omiſſus in inſtitutione poſtumi, qui ſi ita inſtitutus eſt, *ſi vivo me natus fuerit*, non intelligitur inſtitutus illo caſu *ſi mortuo teſtatore natus ſit*, *l. commodiſſime* 10. *D. de lib. & poſt.* Scilicet hoc nondum receptum erat (maxime inter Sabinianos) ante Juſtiniani conſtitutionem in *l. ult. Cod. de Poſtumis hæred. inſtituend.*

Quod autem Merillius reſpondet ad *l.* 14. *D.* de *Manumiſſ. & l.* 18. *D. de Man. vindict.* quid ſalis habet? Illæ leges volunt Prætorem apud Prætorem non poſſe manumittere. Merillius ait debere intelligi, niſi ſe Prætor Collegæ juriſdictioni ſubjecerit: Quid? Poteſt ne non ſe ſubjicere ei, ſi eum adeat? poteſt ne cogi invitus ut adeat? Quæ igitur iſta diſtinctio, ubi res aliter fieri non poteſt.

DISPUNCTIO VI.

An pœna contumacis qui jus dicenti non obtemperavit, actori, vel fiſco, vel utrique vindicetur.

Textus *legis un. in* §. *ult. D. ſi quis jus dicenti non obtemper.*

Hoc judicium, non ad id quod intereſt, ſed quanti ea res eſt, concluditur, & cum meram pœnam contineat, neque poſt annum, neque in hæredem datur.

TItius Sejo rem ab eodem Sejo petitam, reſtituere condemnatus eſt; Cum Magiſtratui non obtemperaret, cum rem non ſineret aufferri vel abduci a Titio, in pœnam condemnatus eſt quanti res eſſet, plectendæ ſcilicet ejus contumaciæ cauſa. Quæritur ab Interpretibus, an pœna dividi debeat inter actorem & fiſcum? Qua in quæſtione Merillius variantem facit Cujacium, dum ait eum in poſteriore recitatione ad *d.l.unic.* §. *ult. D. ſi quis jus dicenti non obtemp.* dixiſſe, pœnam irrogatam ei qui non obtemperavit Magiſtratui, partiendam eſſe inter fiſcum & actorem: In prima vero expoſitione ejuſdem tituli docuiſſe fiſco nihil ex ea pœna dandum eſſe. Quod magis (inquit Merillius) probarem.

Ego vero, Merilli, longe magis improbarem, cum ſit hæc actio popularis, quod cum ſenſerit Cujacius in utraque expoſitione hujus tituli, vix eſt ut quiſquam ſibi perſuadeat in prima eum expoſitione docuiſſe partiendam non eſſe pœnam, in ſecunda, partiendam. Et re vera ita eſt, in prima expoſitione, nihil eum de pœnæ partitione, ſed hoc tantum tradidiſſe, dari actionem ex hoc Edicto *ſi quis jus dicenti*, *&c.* adverſario in adverſarium: non eſſe dicendum dari fiſco, nec dari duas actiones unam fiſco, alteram adverſario. Scripſerat Accurſius fiſco dari actionem: non cenſuit Cujacius actiones eſſe multiplicandas; rectiſſime! nam ut in accuſationibus, ita & in actionibus popularibus electioni & Divinationi locus eſt. In ſecunda autem expoſitione partiendam eſſe pœnam dixit inter actorem & fiſcum, quod ante non attigerat. Non ſunt hæc contraria.

Dixi Cujacium in utraque hujuſce Tituli expoſitione cenſuiſſe popularem eſſe actionem ex hoc Edicto: quod aperte quidem tradidit in repetita Prælectione, in prima vero tacite tantum, ſcilicet dum perſtringit rationem cur hoc Edicto Procurator tenetur, ſi jus dicenti non obtemperavit: quia, inquit, lædit atque etiam contemnit auctoritatem Prætoris. Porro huic conſequens eſt, ut non temere dicatur pœnam dividi inter actorem & fi-

Source : BIU Cujas

& fiscum, hoc enim plerumque fit in popularibus actionibus, arg. *l. propenult. versic. Palam. D. de SCto Silan.* Interdum sane in publicum redigitur pœna, licet actio popularis sit, cum id lege nominatim cautum est ut in Lege Agraria C. Julii Cæsaris, *l. ult. in princip. D. de Termino moto.* Neque alia mens Cujacio fuit *lib.* 24. *Observat. cap.* 25. *in fin.* ubi & popularem esse hanc actionem diserte scribit, licet enim ibi Vir admirandæ eruditionis addubitari posse dicat, *utrum partienda sit pœna inter actorem & fiscum ut plerumque fit* (inquit) *in popularibus actionibus : an inter actorem & eum cujus interest ? ut fieri oportere Plato censuit in actione suspecti tutoris, quæ etiam popularis est.* Nihil tamen contra se dixit, qui hoc uno dicto, *Popularem esse hanc actionem*, omnia visus est comprehendere quæ huic actioni accidere possunt. Platonis autem locus est, quem non indicat Cujacius, *lib.* 11. *de Legibus.*

Merito igitur Cujacius hanc in factum actionem popularem esse docet perinde atque actionem Albi corrupti, quæ similiter vindicat contemtam Magistratus potestatem, & quæ eodem Edicto continuata serie conjuncta est, ac proinde nec post annum, nec in hæredem dari, juxta regulam actionum popularium, *l. ult. D. de Popularib. Act.* quæ Ulpiani est lib. 1. ad Edictum, ex quo, & sumta est *d. lex un. D. si quis jus dicenti non obtemp.*

Merillius contra putat hanc actionem non esse popularem : utitur hac probatione. Adversario, inquit, contra adversarium datur, ergo non est popularis ! Negatur consequentia, nam actio de dejectis, & effusis etiam adversario cui nocitum est, in adversarium datur, nec minus popularis est, *l.* 5. §. *hæc autem actio* 5. *D. de his qui effud.* Nec ulla est popularis quæ denegetur ei cujus interest, cum & ipse præferatur cuilibet alii, *l.* 3. *D. de Popularib. actionib.*

Ad id autem quod scribit Merillius non ita publice interesse, si non obtemperetur Magistratui, quomodo si album ejus corrumpatur, captionis evitandæ causa simplicius dicendum, Popularem esse actionem quæ suum jus Populi tuetur, *l.* 1. *D. de Popularib. Act.* Maxime autem per hanc pœnalem actionem defendi jus Populi, utpote quæ illæsam Majestatem tuetur ejus qui Magister est Populi. Honorem qui gerit, publico munere fungitur, & ideo ejerare Magistratum sine Populi consensu nemo potest, *l.* 2. §. *& cum placuisset* 24. *D. de Orig. jur.* Livius *lib.* 6. Magistratuum post Principem sancta omnibus debet esse persona, ut est in Constitutionibus Apostolicis *lib.* 7. *cap.* 17. vel ex ipsa inscriptione περὶ τῆς πρὸς βασιλέα καὶ ἄρχοντας ὑποταγῆς, quo spectat *Canon* 83. Canonum Apostolorum. Si Populi res & negotium, est ipsa Reipublicæ administratio, ut Hadrianus dicebat, an non ad Populum pertinet Magistratuum suorum auctoritatem defendere ? Hæc conjunguntur, & unam pene rationem habent Senatus, Populus, Judicia Magistratus, ἐκ τούτου δὲ καὶ βουλὴ καὶ δῆμος καὶ δικαστήρια καὶ ἀρχὴ πάσα τὴν ἐξουσίαν ἀπόλλυσι. Plutarchus in Opusculo πολιτικὰ παραγγέλματα. Et qui Magistratum gerit, Rempub. in partibus sibi commissis gubernare merito dicitur a Justiniano in *Proœmio Instit.* §. *ult.* Erga Magistratum contumeliosum esse quenquam Lex Mosaica non patiebatur *Exodi cap.* 22. *vers.* 28. Θεοὺς οὐ κακολογήσεις, καὶ ἄρχοντα τοῦ λαοῦ σου οὐ κακῶς ἐρεῖς. Nec leges Romanæ quoque. Jus dicenti non obtemperare contumelia quædam est, quæ ut ordinem, ita & leges & populi jura statumque Reipublicæ conturbat. Quis hoc nescit ? Publicum jus in Magistratibus versari, & ad statum rei Romanæ pertinere ? *l.* 1. §. *hujus studii* 2. *D. de Just. & jure.* Eapropter minime inficiandum est, actionem in factum ex Edicto, *Si quis jus dicenti non obtemperaverit*, æque popularem esse, atque actionem de albo corrupto, & actionem in factum de iniquo jure in alterum statuto.

DISPUNCTIO VII.

An pactum sit genus vel species conventionis.

CUjacius scribit in *Paratitlis Digestorum Tit. de Pactis*, pactum esse genus, transactionem vero speciem. E contra in Commentario ad *l.* 1. *D. de Pactis*, pactum dixit esse speciem. Probarem (inquit Merillius) magis pactum dici debere speciem conventionis, quam genus.

Agamus serio, Merilli, id est, bona fide ! Monstra ne fingamus, quæ debellare videamur. An unquam negavit Cujacius pactum esse speciem conventionis ? Sane nec in *Paratitlis* illo loco negavit : Sed cum sciret non esse novum, ut quæ species sub certo genere est, possit & generis locum obtinere, si & ipsa species sub se habeat quod vulgo docent ad *Isagogen* Porphyrii *cap.* 1. & perstringit subtiliter admodum Aristoteles in *lib.* 1. *Topic. cap.* 4. his verbis καὶ γὰρ τὴν διαφορὰν ὡς οὐσίας γενικὴν, ὁμοῦ τῷ γένει τακτέον, quibus declarat verbo generis, & differentiam, id est, species se complexum esse. Scripsit Vir philosophiæ non ignarus, juris & cujuscumque disciplinæ scientissimus, pactum esse genus ad pactum nudum, & transactionem illam quæ pacto fit : neque vero negavit conventionem esse genus ad pactum & contractum, qua sola negatione potuit esse sibi contrarius. Adoptionem modo generis, modo speciei locum obtinere novi Justinianei docere possunt. Theophilus §. 1. *de adop.* εἰς δύο διαιρεῖται, εἰς ἀδρογατιόνα καὶ τ' ὁμωνύμως ἀδοπτιόνα. Idem de cognatione, si supra vel simul cum agnatione ponatur. Idem Theophilus §. 1. *de legitima agnator. tut.* ἡ συγγένεια ὄνομά ἐστι γενικὸν &c. Cur ergo pactum, uno modo species non erit, altero genus ? Licet hæc autem adeo levia sint & minimi momenti, ut revera plus sit in oleo quam in ludo : Interea tamen admonendum, conventionis & pacti & pactionis promiscuas esse appellationes, *l.* 7. *D. de pactis. l. Solent* 15. *D. de Præscriptis verb.* Quid si Cujacius diceret (quod tamen ibi non dixit) pacta etiam dici posse de contractibus ? quod liquet ex *l. Traditionibus* 20. *Cod. de pact.* Datio arrharum qui contractus est innominatus, nonne pactum dicitur ? *l.* 3. *Cod. de act. emti.* Sed & ipse Titulus *de Pactis*, nonne generalis est ad omnes conventionum species, de quibus sub illo tractatur cum in Digestis, tum in Codice ? ut Ulpianus ait in *l.* 1. *D. de reb. credit.* crediti appellationem esse generalem. Denique cum dicitur pactum non tantum ei qui illud fecit, sed etiam ejus hæredibus

pro-

Source : BIU Cujas

prodeſſe, *l. 9. D. de probat.* An non illud generaliter dictum de omni conventione ? Nunc ad alia.

Merillius ait, Tranſactio non eſt ſpecies pacti, ſed contractus innominati. Audi Ulpianum in *l. 2. D. de Tranſact. Tranſactum*, inquit, *accipere quis poteſt, non ſolum ſi Aquiliana ſtipulatio fuerit ſubjecta, ſed etſi pactum conventum fuerit factum.* 2. Juſtinianus ſeparat tranſactionem a contractibus, *l. contractus* 17. *Cod. de fide inſtrum.* 3. Si quælibet tranſactio ſpecies eſt contractus innominati, ſequitur ex qualibet tranſactione actionem eſſe: Atquin hoc falſiſſimum eſſe docet *lex Cum proponas* 21. *Cod. de pactis. Cum proponas inter vos ſine ſcriptura placuiſſe, fratrum tuorum ſucceſſiones æquis ex partibus dividi, & tranſactionis cauſa probari poſsit hanc interceſsiſſe conventionem: exceptione te tueri potes, ſi poſsides. Quod ſi adverſarius tuus teneat, ex hoc placito nullam actionem natam eſſe, ſi tibi ſtipulatione, non proſpexiſti, debes intelligere, &c.* Et vero, eadem conventio, aliquo adjecto vel aliquo detracto, contractus eſt vel non eſt, (ſi ſcilicet lege proditum nomen non habeat) ut ecce, dabo tibi veſtem, dabis mihi codicem: nihil niſi nuda conventio eſt. At ſi mutes ſpeciem & dicas, do tibi veſtem ut mihi codicem des, incipit eſſe contractus innominatus do ut des. Item ſi ſic convenerit, faciam ut facias! conſtat nudam eſſe pactionem. At ſi cœperit fieri ab alterutro contrahentium, tranſibit in contractum, *l. Naturalis* 5. *D. de præſcriptis verb.* Ita ſi convenerit ut a lite diſcederetur, & viciſſim ut quid daretur vel fieret, nudum pactum eſt, mox autem ac alterutrum eorum factum eſt incipit eſſe contractus innominatus, ex quo præſcriptis verbis actio datur. Et ita intelligenda eſt *lex Cum mota 6. Cod. de tranſact.*

Objicias, forte, hoc caſu non tam videri Tranſactionem eſſe, quam Tranſactionis ſpem. Sed reſpondeo, ut permutationis placitum tam bene dicitur, nulla re ſequuta, quam aliquo dato, *l. 3. & l. ſeq. Cod. de rerum permut.* ita & tranſactio, quæ ſæpe tranſactionis placitum appellatur, & pactum conventum, ut in *d. l. cum mota 6. & l. 7. & l. 9. C. de Tranſact.* Reſpondeo 2. De lite pacto tranſigi etiam cum ſimpliciter convenit, *ut in lite amplius non procedatur*, quo caſu, ſi fides ab eo qui dare facere aliquid debebat, non præſtatur, integra cauſa remanere dicitur, *leg. ſi inſtituta* 17. *D. de Inofficioſo teſtam.*

DISPUNCTIO VIII.

An pacta incontinenti appoſita contractibus ſtricti Juris, inſint etiam ex parte actoris?

JAm mihi liquet, tantæ adverſus Cujacium excitandæ turbæ cauſam Merillio, non aliam fuiſſe, (probum enim ac innocentem eum puto) quam quod Cujacii mentem non fuerit aſſequutus. Ut aliis peræque liqueat, efficiam *hac Diſpunctione* 8.

Multum laborem impendit Cujacius, ut planum ſenſum nobis faceret, *l. Lecta* 40. *D. de rebus cred.* Planeque fecit planiſſimum, ut mihi facile admodum ſit, ex tam uberi & facili interpretatione, theſin atque hypotheſin *d. legis* dare. Sed ante- A quam hoc facio; Audiamus Merillium de Magiſtri noſtri variatione. Stephanus Græcus Interpres (inquit) ſcripſit pacta in contractibus ſtricti juris incontinenti appoſita, ineſſe tantum ex parte rei non ex parte actoris: Cujacius hanc ſententiam ſecutus eſt, *lib. 10. Obſervat. cap. 24.* Latini interpretes, & Accurſius aliter ſentiunt, ineſſe ex parte actoris & rei, eorumque ſententiam Cujacius ſecutus videtur, in prima expoſitione *d. leg.* 40. ubi ait pactum incontinenti adjectum ſtipulationi, ipſo jure ineſſe ſtipulationi, & ſtipulationem transformare confeſtim. Quod ſi verum eſt (ita ratiocinatur Merillius) inerit ex parte actoris: & hoc magis admitterem.

B Auſculta Merilli! Quonam loci ſcripſit aut dixit Cujacius, pactum incontinenti adjectum ſtipulationi, ineſſe ex parte actoris? Sicubi hoc ſcripſit, vere variavit: ſin minus; vere variaſſe dici non poteſt. Quæſtio enim in eo non eſt; An pacta illico adjecta, ſimpliciter ineſſe dicantur, ſed an inſint ad agendum, adeo ut ex tali pacto detur & formetur actio. Solet quæ dicit & docet Cujacius illuſtrare ac demonſtrare: Profer quæſo argumentum aut rationem ejus de ea re, aliquam! ſaltem ede aliquid, quo diſerte hoc eum voluiſſe appareat! Enimvero tantum abeſt ut hoc putaverit Cujacius in *d. l. Lecta* 40. quinimo, totus eſt ibi in eo, ut oſtendat hoc eſſe non poſſe.

C Et ſententia quidem *dictæ legis* ea eſt, per pactum incontinenti adjectum, dilata in plures penſiones petitione ſortis (quæ Calendis tota ſolvenda cum uſuris pœnæ nomine quoad tardius ſolveretur, in ſtipulatum deducta ſit) etiam uſurarum petitionem, in totidem dies dilatam intelligi, ut nedum exceptionis ope, ſed ipſo jure, interim tutus ſit debitor, & a die cujuſque moræ tantum debeantur & creſcant uſuræ.

Non erit ingratum & hypotheſin adfingere, quam (quoad ejus per me quidem fieri poterit) accuratam dabo ut ſit ex hac ſpecie, quæ ad uſum pertinet, utilitas Judicibus & fori ſectatoribus non plane contemnenda. Ea vero ejuſmodi D eſt, mutua mihi dediſti quindecim millia denariorum, quæ ſtipulatus es a me tibi Calendis proximis reddi, ſi ea die non redderem, uſuras ejus ſummæ quoad tardius eam ſolverem, centeſimas ſtipulatus es, ſpopondi ego, ſtatim poſt conſcriptam ſtipulationem, ad animum revocans, non poſſe me tam brevi tempore, tantæ pecuniæ ſolutionem expedire, malui jam nunc mutuum reddere vel potius non accipere, niſi longius tempus mihi indulgeres: placuit igitur & inter nos convenit, uti ex tota illa ſumma, trecenos tantum denarios quot menſibus refunderem, atque ita pro menſe uno, quinquaginta mihi indulſiſti, quod videres me idoneum eſſe. Poſt elapſum totum illud E tempus quo nihil feci, petis ſortem & uſuras: De ſorte non eſt controverſia; Tota quæſtio eſt de uſuris. Intendis me tibi dare oportere 7500. denarios uſurarum nomine, pro toto tempore, id eſt, pro quatuor annis & duobus menſibus quibus ceſſavi, & ita pro ſingulis menſibus, petis 150. denarios quæ centeſima eſt uſura, cum pars ſortis centeſima, quot menſibus ſolvitur, & centeſimo menſe, id eſt, 8. annis & 4. menſibus uſura ſortem æquat, (in quo falſus eſt Alciatus errore calculi, *lib. 3. Diſput. cap. 1.* cum ſcripſit octo annis quæ

Source : BIU Cujas

nis quæ centum fuerant, fieri ducenta.) Ego vero longæ minorem quantitatem offero : ſummam ſcilicet ter mille octingentorum viginti quinque denariorum, id eſt, pro primo menſe quo fui in mora, denarios tres : quæ uſura eſt trecentorum denariorum ; pro ſecundo menſe, denarios ſex : pro tertio, denarios novem ; & ita de cæteris menſibus, augeſcentibus uſuris pro ratione adauctæ ſortis (quæ computatio an ſit exactior ea quam idem Alciatus dedit, *lib.* 3. *Diſp. cap.* 2. uſus demonſtrare poteſt). Quæſtionis eſt, an totius ſortis, ex die ſtipulationis, uſuræ debeantur ; An trecentorum tantum denariorum ex primo menſe, ex ſecundo menſe, ſexcentorum : & ita deinceps? Papinianus ſuggerente Paulo Aſſeſſore decidit, non totius ſortis, nec ex die ſtipulationis, ſed trecentorum tantum denariorum uſuras poſt moram primi menſis deberi, & ita creſcere uſuras per diverſorum tractuum moras. Ratio dubitandi erat, & ea ſane non levis, & quæ multos hodie graviſſimos aſſertores in foro (ſi ſimilis incidat quæſtio) etiamnum inveniat, quod uſuræ totius ſortis, expreſſa ſtipulatione poſt primum menſem promiſſæ ſint, quodque ea uſurarum ſtipulatio, innovata non ſit novo illo pacto, utpote quod de ſorte tantum fuit, non etiam de uſuris. At decidendi ratio fuit, quod renovata per factum illico adjectum, ſtipulatione ſortis, uſurarum etiam ſtipulatio transformata ac renovata cenſeri debeat, eo quod uſurarum ratio ita a ſorte pendeat, ut omnino eam ſequatur ; adeoque ſorte diviſa in plures penſiones, diviſas quoque uſuras intelligi : huncque effectum eſſe pacti ex continenti adjecti circa ſortem ſtipulatione comprehenſam, ut ipſo jure citra exceptionis auxilium tutus ſim a petitione integræ ſortis, ac conſequenter uſurarum.

Nunc quæro de Merillio, Eſt ne in tota hac quæſtione atque hypotheſi, cauſa ulla queritandi, An ex pacto agatur? Certe non magis, quam in ſpecie *legis* 4. §. *ult. D. de Pactis*. Ubi Paulus conſultus de conventione adjecta ſtipulationi uſurarum, nec tamen ſcripta, ut donec uſuræ ſolverentur, ſors non peteretur, reſpondit conditionem ineſſe ſtipulationi, æque ac ſi hoc expreſſum fuiſſet : Quis dicat hic agi de actione ? Cujacius dixit & veriſſime dixit, pacto illo in ſpecie *legis Lecta* 40. transformatam eſſe ſtipulationem, & pactum ineſſe ſtipulationi : Neque hoc tantum in prima expoſitione *d. legis Lecta* 40. ſed etiam in ſecunda. An dixit, ad agendum? vel ex parte actoris? Profecto non dixit : Audiamus illum, *Paulus*, inquit, *cujus ſententia obtinuit, dicebat rogatus ſententiam, pactum ſtipulationi ſubjectum incontinenti, de ſolvendis ex univerſa ſorte trecentis denariis menſibus ſingulis, ineſſe ſtipulationi, hoc eſt, hujus pacti exceptionem ſtipulationi ineſſe ipſo jure, etiam non oppoſitam nec allegatam*. Hæc Cujacii verba de exceptione, non de actione ſunt. Idem Cujacius infra, *Ulpianus hærebat ſcripto, quia pactum de ſorte loquitur non de uſuris. Et pactum illud exiſtimabat tantum prodeſſe debitori ad exceptionem, ut eam opponeret : puta ut ſi finito primo menſe, ab eo tota ſors peteretur, repelleret actorem exceptione pacti, &c.* Et hic de agendo ex pacto, nihil : Non bene igitur ; id eſt, non ex ſententia Cujacii, colligitur in ſpecie *dict. legis Lecta* 40. pactum ineſſe ex parte actoris.

Jam autem ad rem ipſam accedamus : Merillius, cum ſuam tueri vult opinionem, nititur *l. Petens* 27. *C. de Pactis*. Sed plus ſatis demonſtravit Cujacius, *illam l.* non probare pactum ſtipulationi adjectum valere ad agendum, ut inutilis non tantum futurus ſit meus labor, ſi quid ſuperaddam, (apud eum qui poſt neglectum magnum Cujacium, facile me flocci facturus ſit) : ſed etiam audacior exiſtimari periclitetur. Dicam tamen, & juratum non recuſabo Judicem Merillium, *l. Petens* 27. ad argumentum quæſtionemque noſtram minime pertinere. Loquimur de pacto incontinenti adjecto ſtipulationi certæ jam ac perfectæ, adeoque cauſam habenti, ut pactum illud adjiciat aliquid ſtipulationi : verb. gr. ſi tibi interpoſita ſtipulatione fundum ex cauſa donationis promiſero, moxque citra novam ſtipulationem convenerit, ut quidpiam aliud darem cum fundo, vel ut evictionis nomine, tibi caverem ; dicimus ex eo pacto actionem tibi non eſſe : At *l. Petens* 27. eſt de pacto ſive de conventione quæ ſola conſtituit cauſam ſtipulationis, qua detracta, ſtipulatio nulla & ſine effectu futura ſit, utpote quæ ſine cauſa vim nullam habere poteſt, *l.* 2. §. *circa* 3. *D. de Doli mali & metus except.* unde præcedere ejuſmodi pactum, vel ſequi ſtipulationem, nihil intereſt, cum ſit ipſum cauſa ſtipulationis : exempli gr. ſi inituri conventionem aliquam, ejus obfirmandæ cauſa ſtipulationem interponamus, ſive a ſtipulatione incipiamus, mox conventionem faciamus, ſive incipiamus a conventione, & ſtipulationem ſubjiciamus, omnino perinde eſt ; cum ab ipſa ſtipulatione conventio diſtinguenda non ſit, utpote ejus pars & ut prædixi cauſa : Secundum quæ, *d. l. Petens* 27. ait, *Petens ex ſtipulatione quæ placiti ſervandi cauſa ſequuta eſt. ſeu anteceſſit pactum, ſeu poſt, ſtatim interpoſitum ſit, recte ſecundum ſe ferri ſententiam poſtulat*.

Et certe, tam belle dicere poſſumus ſtipulationem interpoſitam de quovis negotio qualibetve conventione, ſeu præcedat, ſeu ſequatur, unum eſſe contractum, quam numerationem ante vel poſt ſtipulationem factam, unum eſse contractum dicimus, *l. ſi ita* 6. *D. de Novat.* Et inde, qui mutuum accepturus, ſpopondit creditori futuro ; dicitur in poteſtate habere ne accipiendo ſe ei obſtringat, *l. qui pecuniam* 38. *D. de Reb. cred.*

Atque ex iis patet quam longe fuerit Merillius ab intellectu utriuſque legis, id eſt, *l. Petens* 27. & *l. Lecta* 40. & quam incurioſe adſcripſerit Cujacio quæ non cogitavit, quæ ſane haud levis culpa eſt. Columbus, vir quidem inter Medicos doctus, & qui *de Anatome* recte ſcripſit, male audit, quod Galeno adfinxerit trilatera eſſe occipitis oſſa, & dubiam in multis fidem ejus, una mala fides fecit. Incuriam licet objicere Merillio ut interim a doli ſuſpicione eximatur.

Poſcit Merillius rationem diverſitatis, cur magis in bonæ fidei judiciis, quam in ſtrictis, pacta incontinenti facta valeant ad agendum ? Utinam extarent Rationum ac Differentiarum libri Modeſtini : ſitim illam forte reſtrinxiſſent cum hodie Merillio, tum nuper Matthæo Magno, qui *libro* 1. *Rationum & Differentiarum Juris Civilis*, id ipſum quod hic Merillius, quærit ! *Neque ſane*, inquit, *rationem ullam video, cur in ſtrictis judiciis, inſit pactum ex una parte, non inſit ex alte-*

Source : BIU Cujas

altera. Quaſi vero omnia judicia paria facere debeamus, ut Stoici peccata; contra omnem ſenſum generis humani, inquit D. Auguſtinus *Epiſt.* 29.

Ratio differentiæ proculdubio petenda eſt ex natura utrorumque judiciorum, quam diverſam eſſe, diverſæ denominationes indicant. In utriſque ideo pactum excontinenti adjectum ineſſe dicitur, quod continuata agendi & tractandi ſeries & ratio, eo rem perducat, ut videatur idem actus eſſe, licet cum diverſo effectu. Nam in bonæ fidei judiciis adjectum pactum, cum ſit ejuſdem naturæ ac ut ita dicam ejuſdem ſcævæ, facile coit cum eo contractu qui bonæ fidei eſt, ut ex eo perinde agatur, atque ex contractu ipſo cui immixtum eſt: pacta nuda æſtimantur ex ſola æquitate naturali, quæ fidei inter homines ſervandæ norma eſt: Bonæ fidei contractuum eadem eſt regula, eademque natura: *cognatis maculis ſimilis fera*. Juven. *Satyr.* 15. *v.* 160. Sed contractuum eſt vis major quam pactorum nudorum, quia nomine certo & legitimo, vel cauſa ſuſtinentur, unde jure civili actio ex contractibus datur, ex pactis nudis, non item: niſi protinus adjecta ſint bonæ fidei contractibus, *l.* 7. §. *quinimo* 5. *D. de Pactis*. Placet rem deducamus ad phyſicam comparationem? Quæ cauſa, ut ſata proveniant? Ut inſita coaleſcant? Nempe reſponſus mutuus recipientis & ſubminiſtrantis taleæ, ſeu haurientis ſurculi & ſuppeditantis arboris: Immiſſio ſurculi in ramum interciſum ἐμφυτεία, vel inoculatio ἐνοφθαλμισμὸς ex duabus rem unam facit, ſed ſimilibus, ejuſdem ſcilicet naturæ, nam (in inſitione præſertim) una natura eſt alentis & alimoniam ſuſcipientis τὸ βλαστάνων καὶ τὸ γενῶν. Cæſar Scaliger *apud Theophraſtum*, *fol.* 21. *col.* 1. & *fol.* 282. *col.* 2. Hoc etiam in Metaphyſicis & Theologicis apparet, in quibus ſpiritualia cum ſpiritualibus aptiſſime conjunguntur, D. Bern. *ſerm.* 1. *in feſtiv. omnium ſanctorum. Quid ergo? Nonne & his qui convertuntur ad cor, cordis deliciæ ſunt quærendæ, & ſpiritualibus ſpiritualia comparanda? Dignum eſt enim ut prius anima ſatietur. Et quæ animarum ſunt, animæ plus acceptent quippe naturali quadam eis cognatione conjunctæ*. Ex quo pactum adjectum eſt bonæ fidei contractui, unum quidpiam fit; ideoque ex pacto datur actio contractus ipſius cui ineſt, pactum format actionem. Si fundum vendidi & pactus ſim ut eum certa mercede conductum haberem, ex vendito recte agam ſi non fiat id quod convenit, *l. qui fundum* 75. *D. de Contrahend. emt.* Pactum adjectum contractui ſtricti juris, non æque ei adhereſcit, & congruit, ineſt quidem, ut ipſo jure tutus ſit is cujus gratia adpoſitum eſt; At non ut ex eo formetur actio. Stricta eſt natura ſtipulationis, ideoque pactis quæ ex bona fide valent, vim ſuam minime accommodat, nihil eis præſtat ſtipulatio: ſuo marte valent ut exceptionem pariant, quam & parerent ſeorſim facta, ſed incontinenti facta, creduntur ineſſe ut ipſo jure proſint reo, ut non habeat, neceſſe exceptionem allegare: qua quidem de re dubitatum erat, quibuſdam putantibus, nihil amplius valere pacta e veſtigio ſtrictis judiciis adjecta, quam ſi ex intervallo facta eſſent, id eſt ad excipiendum tantum, non vero tollere actionem: qua in ſententia Julianus aliquando vel etiam ipſe Paulus fuiſſe videtur, *l.* 3. *D. de Reſcind. vend.* (ſi modo vera eſt ejus legis inſcriptio) qui tamen in diſceptatione hypotheſis, *d. l. Lecta* 40. ſatis æſtuat & exultat adverſus alium aſſeſſorem (ſive Ulpianus ille ſit, quod vix credam, ſive quis alius) qui contrariam opinionem tuebatur. Sed Papinianus judicavit in Auditorio ſuo, tale pactum ipſo jure ineſſe ex parte rei, quod eſt, impedimento eſſe creditori ne jure ageret.

Verum adverſus rem a Papiniano judicatam, objici poſſit Imperatoris effatum, in §. 3. *Inſtit. de verb. oblig.* ubi ſi in ſtipulatione *decem dari*, adjectum ſit pactum, *quoad vivam*, procedere hæredi actio dicitur, ita tamen ut exceptione pacti ſubmoveatur. Juſtinianus *Et pure*, inquit, *facta obligatio intelligitur & perpetuatur, quia ad tempus non poteſt deberi: Sed hæres petendo, pacti exceptione ſubmovebitur*. Tantumdem habet Paulus in *leg. obligationum fere* 44. §. 1. *D. de Oblig. & act.* ubi de ſtipulatione illa agit, uſque ad Calendas dare ſpondes: *Plane*, inquit, *poſt tempus, ſtipulator vel pacti conventi vel doli mali exceptione ſummoveri poterit*. Ergo (dicat quis) actio non impeditur, nec ipſo jure tutus eſt. Profecto nihil promoveas ſi dicas, his locis non proponi pactum ex continenti adjectum, ſed tacitum pactum vel contractus legem: Nam tacitum quodlibet pactum ut & lex contractus non minus ineſt, quam pactum ſubinde conventum. Paulo melius dixeris Juſtinianum & Paulum cum dicunt, exceptione ſummoveri poſſe creditorem agentem, ſeſe referre ad id quod fieri poteſt. cæterum non negare quod juris eſt, ſcilicet reum promittendi ipſo jure tutum eſſe: at optime omnium ſatisfacias ſi dicas his caſibus aliiſque ſimilibus exceptionem neceſſariam eſſe, ne ſi poſt tempus actionem deſinere reſpondeamus, ad tempus conſtitui obligationem dicamus, quod jus non patiatur: & ita Papinianus, *Servitutes*, inquit, *ipſo quidem jure neque ex tempore neque ad tempus conſtitui poſſunt, ſed tamen ſi hæc adjiciantur, per doli exceptionem occurretur*, *l.* 4. *D. de Servit.* quos omnes caſus complexus eſt Julianus, *l. eum qui* 56. §. 4. *D. de Verb. oblig.*

Hæc utique ſufficerent ad illuſtrationem *leg. Lecta* 40. adeoque ad elevandam Merilli fidem, qui Cujacium noſtrum in partes trahere voluit, niſi & cætera expedire utile eſſet, id eſt, demonſtrare ſtrictis contractibus adjecta pacta ad agendum non valere.

Id autem in primis probat, *l.* 3. & *l. pignoribus* 22. *Cod. de Uſuris*. Credidi tibi centum, convenitque inter nos nudo pacto citra ſtipulationem, ut ejus ſummæ uſuras penderes: An potero eas petere? Imperatores reſcribunt; ſi ſolutæ fuerint, eas quidem retineri, rebus autem integris omnino peti non poſſe. Pactum ad retentionem profiſcere, non vero ad petitionem: Hoc argumentum, cui veteres non potuerunt occurrere niſi objecto uſurarum odio, (quod riſu dignum eſt), nonne mirum eſt magna illa capita Contii, Magni, & Merillii, conniventibus oculis prætermiſiſſe? maxime vero Merillium, qui ſingularem hac de re obſervationem dedit, *lib.* 3. *cap.* 24.

Probatur & *l. Rogaſti* 11. *D. de Rebus creditis*. Si tibi dedero decem ſic, id eſt, ea lege, ut undecim debeas, ait lex, *non amplius quam decem condici poterunt*. Cur ita? cum convenerit ut

amplius

Source : BIU Cujas

amplius deberetur : Audio Merillium dicentem , *non quia pactum non insit ex parte actoris , sed quia mutuum re contrahitur , & pacto contrahi non potest ultra quam datum est :* Paulo melius Jurisconsultus in *l.* 17. *D. de Pactis. Non nascitur obligatio ultra decem , re enim non potest obligatio contrahi nisi quatenus datum sit.* Hoc probo *re non posse contrahi obligationem ultra quam datum sit.* illud improbo , *non quia pactum non insit ex parte actoris :* quid enim ? Ergo inerit , & non inerit, (ut præstigiatores de sacculo ludentes inducunt & subducunt) : si inest ex parte actoris, cur non agit actor ex eo pacto ? Satius est igitur ut dicamus ita , non agit actor ex eo pacto, quia tale pactum non inest: non inest vero , quia stricta contractus natura , quæ in certa numeratione & datione consistit, nihil habet commune cum placito nudo , ut & stipulatio , cujus æque certa est & restricta natura (utpote quæ certa solemnique formula constringitur) vim suam non accommodat pactis ad eam factis , ut ex iis formetur actio ex stipulatu . Ex quibus sequitur pacta nuda nunquam ex parte actoris strictis inesse contractibus.

Non est cautior Merillii responsio ad *l.*7.§.*quinimo* 5. *D. de Pactis* . quo loci Ulpianus haut dissimulanter notat discrimen inter pacta utrisque judiciis excontinenti adjecta cum ait nudam pactionem formare actionem *in bonæ fidei judiciis* , & repetit , *solemus enim dicere pacta conventa inesse bonæ fidei judiciis* . Quis non percipit ex ea forma loquendi cum ibi tum alibi, aliud obtinere in strictis? Quorsum enim hæc adjectio ? hæc inculcata toties repetitio , & affectata ut ita dicam expressio ? *format ipsam actionem in bonæ fidei judiciis*, deinde , *solemus enim dicere pacta conventa inesse bonæ fidei judiciis* . & infra , *quod & in omnibus bonæ fidei judiciis erit dicendum. Et iterum in §. 6. Adeo autem in bonæ fidei judiciis exceptiones postea factæ, quæ ex eodem sunt contractu, insunt, ut constet in emtione cæterisque bonæ fidei judiciis , re nondum secuta , posse abiri ab emtione : quod cum est , etiam ex parte agentis pactio locum habet.* Et in *l.* 3. *D. de Rescind. vendit.* Quia bonæ fidei judicio exceptiones pacti insunt . Adde *l. in bonæ fidei* 13. *C. de Pact.* Denique & adde Papinianum in *l.Lucius Titius* 24. *D. Depositi* . Merillius tamen *legem illam* 7. §. *quinimo* 5. non vult innuere differentiam contractuum bonæ fidei & stricti juris ad hoc , ut in his pacta non valeant ad agendum , in illis valeant? sed tantum *denotare differentiam* circa pacta ex intervallo: quæ inesse, inquit, possunt contractibus stricti juris , aut ex parte actoris , aut ex parte rei . Incauta plane responsio ! quæ subruitur non tantum frequentissima illa mentione ac repetitione judiciorum bonæ fidei , quæ (ut perspicuum est) facta est ad comparationem sive exclusionem strictorum contractuum , sed etiam apertissima structura orationis Ulpiani , qui nihil aliud intendit quam ut ostendat interdum evenire ut pacta nuda pariant actionem contra regulam a se propositam, cui regulæ subnectit exceptionem de pactis incontinenti adjectis judiciis bonæ fidei, nec ullum profert exemplum de strictis contractibus.

DISPUNCTIO IX.

An Procurator ex re domini sibi stipulando , domino acquirat actionem?

SI velimus undequaque delibare commentationes, & lucubrationes , aut Cujacii aut alterius cujusvis , vel hoc uno de nostro addito , *magis hoc probarem* : minimo molimine magnum statim volumen conflabimus ; satis erit referre , ridebit Juvenalis , *tantum immolat , ulterius nil. Satyr.* 15. *v.* 118. Hoc ideo dico , quod bellum *hocce capite* 9. Cujacio nostro oblatum , ut & aliis plerisque fere omnibus operis Merilliani capitibus , ingratissimum sit & minime bellum : apparatus enim totus Cujacii est. Quid igitur hostis habet , præter ostentationem? De actione per Procuratorem quæsita domino, quid dici tractarive potest, quod dictum non sit & pertractatum a Præstantissimo Cujacio? At variavit forte in tam multiplici de hoc argumento tractatione . Hoc nobis dispungendum incumbit , & justius aliquanto bellum Merillio indicendum.

Lex ita habet : *Quod procurator ex re domini mandato non refragante stipulatur invito procuratore dominus petere potest* , ita vulgo legitur in *l. 68. D. de Procur.* ita quoque in Pandectis Florentinis . At Basilica negationem habent ; *Dominus petere non potest . οὐδαμῶς ἄγειν δύναται δεσπότης* . Expendamus omnia.

Ex re Domini , est ex pecunia domini , veluti si rem puta fundum aut mancipia procurator emat ex pecunia non sua sed domini , ut *l.* 1. *Cod. si quis alteri vel sibi*, vel si ex pecunia domini quam procurator credidit , usuras stipuletur , vel fructus aut pensionem ex fundo ejusdem domini. *Mandato non refragante*, id est , juxta mandatum , ita ut procurator mandati fines non excedat , eo quod aliud quid facere videatur qui mandati fines non servat , *l.diligenter* 5. *D. mand. Invito Procuratore*, id est , etiamsi procurator nolit cedere actiones suas.

Multum autem interest an procurator sibi , an domino stipuletur. Et quidem si præsente domino stipulationem interponit , utilem actionem domino competere Ulpianus ait . *Si procuratori præsentis fuerit cautum , ex stipulatu actionem utilem competere nemo ambigit* . Hæc verba , signanter posita sunt , *procuratori cautum :* ut intelligamus procuratorem suo nomine , vel certe *ἀπροσώπως* stipulatum esse. Et vero si domino procurator stipuletur, inutilis est stipulatio , §. *si quis alii* 4. *Instit. de inutilibus stip. l.* 38. §. *alteri* 17. *D. de Verb. Oblig. l. si ita stipulatus fuero* 126. §. *Chrysogonus* 2. *D. de Verb. Oblig.* Inutilis inquam , ut nec ipse agere possit ex ea, quia noluit actionem sibi quærere , nec dominus , quia non potuit domino , *l. multum interest 6. Cod. si quis alteri vel sibi* . Sibi autem stipulando , directam actionem acquirit , licet ex pecunia domini stipulatus sit, *d. l.* 1. *& d. l. multum 6. cum* 2. *seqq.* Denique stipulari neque emere quis potest , ut alter suo nomine recte agat, ut Paulus ait *l. quæcumque* 11. *D. de Oblig. & Act.*

His ita constitutis finge , Mandavi Titio ut mihi fundum Tusculanum emeret centum , Titius sequutus mandatum meum fundum illum tanti emit.

Source : BIU Cujas

mit. Exortis poſtmodum inter nos inimicitiis, Titius neque fundum petere, neque mihi quas habet directas adverſus venditorem actiones, vult cedere. Quæritur an invito eo, fundum petere poſſim, utili ſcilicet actione, hoc eſt; an Magiſtratus in hoc amittendæ rei diſcrimine ſubvenire mihi debeat, atque utilem decernere actionem adverſus venditorem, ad quem pecunia mea pervenit. Reſpondit Papinianus, fundum me poſſe petere. Movebat quod per liberam perſonam quæ juri noſtro ſubjecta non ſit, cujuſmodi eſt procurator, actio nobis acquiri non poteſt, *d. l. 126. §. Chryſogonus* 2. & quod nominatim Papinianus ſcribat evictionis actionem domino non dari invito procuratore, ideoque cogendum procuratorem cedere actiones ſuas, *l. Poſſeſſio 47. §. ultimo. D. de Acquirenda poſſ.* ut & Paulus in ſpecie mutuæ pecuniæ & in ſtipulatum deductæ a liberto nomine patroni, ait *cogendum eum actiones cedere, d. §. Chryſogonus* 2. Deciſionis autem ratio eſt quod licet actio directa per procuratorem nobis non acquiratur, ideoque ſecundum ordinem juris ad ceſſionem actionis regulariter veniendum ſit, cauſa tamen cognita, id eſt, exigente utilitate, utilis actio domino non ſit deneganda. Itaque ſi procurator meus judicatum ſolvi ſatis acceperit, aut condemnaverit debitorem meum, ex ſtipulatu vel judicati recte agam, imo & præferendus ſum procuratori meo, *l. ſi procurator* 28. *D. locat. de proc.* Et hoc certum eſt nedum in iis quæ ad judicia pertinent, vel Prætoriis ſtipulationibus, ut adſentiunt omnes ex *l.* 5. *D. de Prætoriis ſtipulat.* ſed etiam in aliis cauſis, adeoque in ſpecie quam ſupra poſuimus, quæ tractata eſt ab eodem Papiniano, eodem lib. 3. Reſponſorum *l. Julianus* 13. *§. ſi procurator* 25. *D. de Act. Emti.* ubi Ulpianus ita habet, *Si procurator vendiderit, & caverit emtori, quæritur an domino, vel adverſus dominum, actio dari debeat? Et Papinianus lib. 3. Reſponſorum putat, cum domino ex emto agi poſſe utili actione, ad exemplum inſtitoriæ actionis, ſi modo rem vendendam mandavit: Ergo & per contrarium dicendum eſt, utilem ex emto actionum domino competere.* Itaque quod Paulus ait in *l. 72. D. de procurat. Per procuratorem non ſemper nos acquirere actionem*, proculdubio dat intelligere, aliquando nos acquirere. Nimirum acquirimus, ſi præſentibus nobis ex re noſtra procurator noſter ſtipulatur ſibi aut etiam imperſonaliter: itemque acquirimus ſi abſentibus nobis procurator nomine ſuo ſtipulatus eſt juxta mandatum noſtrum, nec poſtea velit aut non poſſit actionibus cedere.

Non poſui in ſupra dicta ſpecie, procuratorem præſente domino ſtipulatum eſſe quod Merillius ponit, meto (ut opinor) *dictæ legis Poſſeſſio* 49. *§. ult. D. de Acq. vel amitt. poſſeſſ.* Hoc enim citra dubitationem eſt procuratorem qui præſente domino ex re ejus ſtipulatur, utilem ei acquirere actionem, *d. l. ſi procuratori præſentis* 79. *D. de Verb. Oblig.* Sed etiam cavi ne ponerem quod ponit Merillius, procuratorem non ſibi, ſed domino ſtipulatum eſſe, quod non patiuntur elementa juris, *d. §. 4. Inſt. de inutilib. ſtip.* Nec me Cujacius aut Merillius ad ſe convertent & Bartolus multo minus. Nam & ſi video ſæpius abſenti præſentem promittere vel ſtipulari fruſtra; *d. §. Chryſogonus* 2. *& l. 3. C. de inutilib. ſtipul.* non tamen video

A diſerte ſcriptum, præſenti utiliter ſtipulatum: non ſane in *d. l. 79. D. de Verbor. Oblig.* ut ſupra monui, neque in *l. ſi dictum* 56. *§. 4. D. de evict.* quæ hoc tantum docet, denunciationem evictionis factam procuratori præſentis venditoris, haberi ac ſi ipſi venditori facta eſſet: quid enim hoc ad ſtipulationem quæ ſui natura mutua ſive reciproca verba reorum deſiderat? *l. 1. in pr. D. de Verb. Oblig.* Et in hoc tantum diverſus ſum a Merillio: non etiam in eo quod improbat Græcorum lectionem, quam ſatis ipſe ſupra refutaſſe videor in aſſerenda lectione vulgari, aut ſaltem oſtendi non eſſe neceſſariam. Quod autem attinet ad variationem, quam hic affingit Merillius magno Magiſtro: dubius ſum an certum crimen ei objecerit: cum in prima actione in qua locos Cujacianos profert, videatur velle ſibi obloquutum Cujacium, quod, *ad Papinianum*, id eſt, ad *l. 68. D. de proc.* dixerit procuratorem in ſpecie ejuſdem legis, ſibi ſtipulatum eſſe: Ad titulum vero *de verborum oblig. in l. 79.* non ſibi, ſed domino ſtipulatum eſſe. Et verum quidem eſt Cujacium, primo illo loco dicere, Papinianum loqui de procuratore qui ſibi ſtipulatus eſt. *Apparet*, inquit, *loqui Papinianum de procuratore qui ſibi ſtipulatus eſt, &c.* Deinde, *atque ideo non loqui Papinianum de procuratore qui domino ſtipulatur.* Et poſtea, *tota quæſtio eſt de Procuratore, non qui domino ſtipulatur, ſed qui ſibi ſtipulatur.* At non eſt verum, aliud quicquam, id eſt, contrarium, altero loco dixiſſe. Ecce integrum illum, prout & ab Anteceſſore Merillio exhibetur, *Per liberam Perſonam*, verba ſunt Cujacii, *nonnunquam utiles actiones parantur nobis, ſi quid ſibi procurator præſentis ſtipuletur: quod ita intelligendum eſt ſi ex re, & ex negotio domini ſtipuletur. Alioquin ſi quid extra rem domini ſibi ſtipuletur, domino præſente, nullam ei parabit actionem: nec etiam res procuratoris quidquam habet commune cum re domini: & ob id recte mihi videtur a quibuſdam accepta de procuratore præſentis l. quod procurator* 68. *D. de Procurat.* In quibus verbis non reperio procuratorem ſtipulatum eſſe domino, quinimo ſemel atque iterum ſcriptum eſt ſibi ſtipulatum eſſe. Ergo in hac actione, nulla adverſus Reum probatio. Altera actio eſt in contextu Merilliano, cujus hæc eſt ſumma. Græci (inquit Merillius) legunt inſerta negatione, dominum petere non poſſe, niſi procurator actiones ei mandaverit: Græcorum ſententiam refert Cujacius *libro 3. reſponſ. Papiniani*, eamque multis rationibus tuetur. Latini interpretes aliter hanc *l. 68.* intelligunt de procuratore qui ex mandato & ex re domini ipſi domino præſenti dari ſtipulatur, & dicunt dominum invito procuratore, id eſt, etſi actiones non ceſſerit, agere poſſe, eo quod cum præſens dominus fuerit, ei utilis actio ex ſtipulatione procuratoris acquiratur: nec enim ſufficit procuratorem ex re domini ſtipulari ut ei acquirat, ſed & præſentem dominum eſſe neceſſe eſt. Latinorum ſententiam probat Cujacius ad *l. 79. D. de Verb. Oblig.* quam & magis probarem. An vult Merillius hac ratiocinatione, Græcos ſecutum Cujacium adjecta negatione in *d. l. 68. D. de proc.* alias, Latinos detracta eadem negatione? Hoc ſi intendit Merillius, non ſibi conſtat! aliud enim in fronte, aliud in receſſu habet. Nimirum variationem ſemel edicit uno

caſu,

Source : BIU Cujas

casu, mox explicat alio. Sed nec explicat satis, dum minus probat: verius enim est utrobique locorum Cujacium, actionem utilem domino ex procuratoris stipulatione non denegare; licet ad Papinianum connitatur docere elegantissimam esse Græcorum interpretationem, secundum quam, possit dicta *lex 68.* pro regula accipi, quæ tamen multas admittat exceptiones: quod & ipsum dici posse quis bonus inficias eat?

DISPUNCTIO X.

An Pater in causa filii jus dicere possit, vel contra.

NEmo nescit tam filium emancipatum, quam filiumfamilias litem habere posse: Tam enim ex contractibus, quam ex delictis in filiumfamilias actio competere dicitur; *l. tam ex contractibus 57. D. de jud.* Et licet regulariter, actionem nullam suo nomine filiusfamilias habeat, fallit tamen regula in plerisque, ut in actione injuriarum, quod vi aut clam, depositi, & commodati; *l. 9. D. de Oblig. & Act.* & *l. 10. D. eod. tit.* docet in factum actiones filiumfamilias exercere posse. Itaque cum quæritur, an Pater, filiusve in alterutrius causa jus dicere possint! ad filium etiam familias quæstionem pertinere sciendum est.

Assumendum est quoque, aliud judicare, *l. unic. Cod. Ne quis in sua causa judicet vel jus dicat.* Nam ut aliud Magistratus, aliud judex, ita jus dicere ad Magistratum solum pertinet: judicare, ad utrumque. De judice, non ambigitur, de Magistratu probat versus ille *legis* XII. *Tab. Qui judicet judicarive jubeat, Prætor esto.* Ergo cum quæritur an pater in causa filii jus dicere possit vel contra! non tantum hoc quæritur, an officio judicis fungi possit? sed & illud, an jurisdictionem & imperium exercere possit.

Cujacius perpetuo docuit non tantum judicare, sed etiam jus dicere posse patrem in causa filii, & filium quoque in causa patris. Et ita accipiendam esse censuit *legem 77. D. de jud.* in qua Africanus ait. *In privatis negotiis Patrem filium, vel filium Patrem, judicem habere posse:* Hancque sententiam confirmari dixit *l. Ille a quo 13. in fin. D. ad SCtum Treb.* Objectioni vero quæ ducitur ex *l. 10. D. de jurisdict.* quæ ait: *Eum qui jurisdictioni præest, neque sibi, neque uxori, neque liberis, jus dicere debere:* satis occurrere putavit verissima hac distinctione, aliud esse, Non debere; aliud, Non posse; Posse igitur dixit, verumtamen non debere.

At Merillius ut Cujacium variantem quaque ratione faciat, obtrudit hic ut & sæpe alias, nescio quas notas Cujacianas, & inane μορμολύκειον. Minime Cujacium novit qui tales ei notas adscribit, quarum pleraque pro quisquiliis habeas ὧν συρφετὸν ἂν τις ἡγήσαιτο τοὺς πλείστους. Paraverat quasdam superstes Cujacius, sed deficiente Principe viro qui animos ei faceret ad rem tantam perficiendam ac promovendam, imperfectas eas reliquit quas ex adversariis ejus, vir quidam diligentiæ nonnullæ, sed non ita felicis ingenii erutas, & sua arte interpolatas, plurimas ex suo jecore confectas, Cujacii nomine donatas subjecit Accursianis glossis, A quo illustrius prodiret novum Juris Corpus, & Lugdunensibus Bibliopolis fructuosius. Quod igitur attinet ad notam quasi ex Cujacio adjectam in *d. l. 77. D. de jud.* Hisce verbis *Pater filio judicare potest, at jus dicere non potest.* Sit satis dicere Cujacium, eam non sapere nec verbo, nec re, qui ubique, & semper hoc in argumento usus est distinctione illa; Posse, sed non debere: quæ plane una ac certissima est ratio componendi dissidii, quod in hac quæstione inter juris auctores fuisse constat ex Cajo *l. 6. D. de receptis*, dum ait: *Quin etiam de re patris dicitur filiumfamilias arbitrum esse, nam & judicem esse posse plerisque placet.*

Verum qua ratione Merillius improbet eam distinctionem, & quid præterea novi adferat, videamus. Quod subjicitur, inquit, judicis potestati ut possit facere, non subjicitur necessitati ut facere debeat: sed quod subjicitur necessitati ut facere non debeat, id facere non potest. Sit illud verum, Merilli, quod subjicitur necessitati, id fieri non posse: sed an aliquid subjiciatur necessitati? hoc ipsum dispiciendum, quia controversum. *Quod judex non debet facere nec etiam facere potest.* Hoc est Merilli quod negatur. Enim vero tametsi quidquid non licet neque oporteat fieri, licet tamen aliquando id quod non oportet, facere. Hoc luculenter ostendit Cicero *orat. pro Cornelio Balbo.* Accusator Balbi, factum Pompei Magni criminabatur, quod Balbum donasset civitate, oriundum ex agro Gaditano, cujus populus, sive liber, sive fœdere, sive amicitia conjunctus esset cum populo Romano, non tamen fundus factus erat populi Rom. Cicero huic criminationi occurrit, & ait omnem ejusmodi reprehensionem a Judicibus repudiandam esse, si aliquid quod non contra ac liceret, factum diceretur: quamvis contra atque oporteret. Itaque verissimum est non debere patrem in causa filii jus dicere, nec filium in causa patris, posse tamen: Honestius fecerit si abstinuerit, si tamen fecerit, non dicemus non potuisse & nullum judicium fuisse.

Placetne augeam dubitationem, quo certiorem faciam definitionem? Scilicet objiciat quispiam, hoc esse mali exempli, tam conjunctas invicem sibi jus dicere personas, cum tamen cautum sit, iniqui exempli judicia habere nihil debere, *l. observandum 47. D. de Jud.* Sine suspicione lites procedere debere, *leg. 16. Cod. eod. tit.* Quin quod Lege Cornelia de injuriis nominatim continebatur. Ne in causis sobrinorum sobrini, vel affinium affines, judicarent, *l. 5. D. ad l. Cornel.* Sed facile est hoc diluere, si dicamus litigatores, non cogi invitos ferre patrem vel filium judicem in lite, quam alteruter eorum habeat. Nam ut potuit refutari judex datus hoc dicto, Ejero iniquus est, ut est apud Asconium Pædianum, Hunc nolo, timidus est, apud Plin. *in Panegyrico:* Ita & in extraordinariis judiciis ex causa recusari potuit Magistratus judicaturus, ut vel Collegam συνδικασὴν acciperet, ut observat Cujacius *lib. 9. Observ. cap. 23.* Quod si non judicaret, sed judicem daret, non fuit cur recusaretur. Nec mihi objicias futurum forte ut pater Magistratus, actionem in filium deneget, vel in concipienda formula, filio parcat, eumque sublevet, adversarioque ita noceat, judice dato non valente nimirum formulam excedere: Hæc enim omnia Magistratus omnis in causis omnium face-

Source : BIU Cujas

re poteſt, itaque hæc erit ratio vindicandæ ac reparandæ in omnibus injuriæ, ut appelletur major Magiſtratus, aut ſane extra ordinem Princeps adeatur. Cæterum ſi conſentiant litigatores, volentibus injuria nulla fieri intelligitur, *leg. 9. D. de Aqua.* Nam & Ulpianus, *Si ſe ſubjiciant*, inquit, *aliqui juriſdictioni, & conſentiant* inter conſentientes *cujuſvis judicis qui tribunali præeſt vel aliam juriſdictionem habet, eſt juriſdictio, l. 1. D. de Jud.*

Jam, Quid Merillius reſpondeat ad *l. ille a quo* 13. *D. ad SCtum Treb.* (ex qua apparet filium in cauſa patris jus dicere, dum cogit eum adire & reſtituere hereditatem) diſpungendum eſt. Aliud, inquit, eſt jus dicere alicui, aliud, in aliquem, in *d. l.* 13. non patri, ſed in patrem jus dicit filius. Quis hanc diſtinctionem admittat? Quis ferat hanc judiciorum infirmitatem atque inæqualitatem, ut Magiſtratus damnare, non etiam abſolvere poſſit? *l. 3. D. de re jud.* Cum aditur filius vel pater Magiſtratus, ſciuntne litigatores, quis futurus ſit judicii exitus? Neſciunt plane: committunt ſe periculo, & ut ita dicam aleæ. Sunt enim ambigua fata cauſarum, *l. 14. Cod. de Advocatis diverſ. judicior.* Eſt fortunæ judicium, *l. 13. D. de Statu hominum.* Et tam actor damnari poteſt quam reus, *l. un. §. non ſolum 3. D. ſi quis jus dicenti non obtemp.* Ergo Magiſtratui arbitrium ſtatuendi adimemus ſi dicamus, quod vult Merillius, poſſe filium contra patrem jus dicere, at non poſſe ſecundum eum. Quoties aliqui ſubjiciunt ſe juriſdictioni Magiſtratus, certum eſt tam eis quam adverſus eos jus dici poſſe, *l. 14. D. de Juriſdict.* Quid hoc eſt, *Ei & in Eum?* Id eſt proculdubio (ut jam ſupra docui *diſpunctione* 5.) ſecundum Eum, & contra Eum, & ſive conveniat, ſive conveniatur, ut vulgo adjici ſolet. Denique cum *lex 1. D. Quod quiſque juris.* ait, *Quis enim aſpernabitur idem jus ſibi dici, quod ipſe alii dixit.* Quæſo te Merilli, Nonne ratio facit ut hoc ita exaudiamus, in ſe jus dici, quod in alios dixerit, vel Titulo admonente. QUOD QUISQUE JURIS IN ALTERUM STATUERIT, &c. Ergo inutile eſt ſubfugium in hac quæſtione noſtra illud, ut ſit aliud jus dicere alicui, aliud in aliquem.

DISPUNCTIO XI.

An in ſpecie *legis Cum mater* 28. *D. de inofficioſo teſtament.* filius a matre præteritus egerit quærela inofficioſi, vel ex tacita matris voluntate? Et an Paulus Juriſconſultus Decretum Hadriani Imperatoris improbaverit in *dict. l. cum mater* 28.

PAulus libro ſingulari de ſeptemviralibus (alias de centumviralibus) judiciis: *Cum mater*, inquit, *militem filium falſo audiſſet deceſſiſſe, & teſtamento hæredes alios inſtituiſſet, D. Hadrianus decrevit hæreditatem ad filium pertinere, ita ut libertates & legata præſtentur. Hic illud adnotatum, quod de libertatibus & legatis adjicitur. Nam cum inofficioſum teſtamentum arguitur, nihil ex eo teſtamento valet.*

Cum unam duntaxat Merillius quæſtionem proponat, duplicem movet; & in utraque variantem Cujacium facit. Prima eſt (quæ abeſt a titulo Merilliano) quam non ſivi exulare a noſtro. An in ſpecie *l. 28. D. de Inoff. teſtamento.* filius præteritus in teſtamento matris, egerit actione ſive querela inofficioſi, an vero ex tacita voluntate matris? Mater decedens falſo rumore perlato quaſi filius ejus miles cecidiſſet in acie, teſtamento ſuo extraneos inſtituit hæredes & ab iis libertates & legata reliquit: Reverſus ex caſtris filius poſt mortem matris, quæſtionem fecit apud Principem, de materna hæreditate contra ſcriptos heredes. Quæritur ab interpretibus, qua actione egerit, an querela inofficioſi teſtamenti, an ſupplicatione Imperatori facta, ut ex tacita matris voluntate hæreditatem ejus obtineret. Merillius Græcis admodum infenſus & adverſus, rejecta eorum opinione filium vult egiſſe de inofficioſo: Græcos ſequutum Cujacium *lib. 10. Obſerv. cap. 22.* ſequor ipſe, & dico filium non egiſſe querela inofficioſi. Nam (quæ ratio Cujacii eſt, eaque optima) cum inofficioſum teſtamentum arguitur, nihil ex eo teſtamento valet, ut eſt *in fine d. l. cum mater* 28. & confirmatur, *l. Titia* 13. *in fin. D. eod. tit. de inoff.* Nec mihi reſpondeat Merillius, hinc mirari & adnotare Paulum Imperatoris decretum: repugnam enim, adnotare igitur, quaſi id ſit contra regulas juris; quod quid aliud eſt, quam improbare & ſuggillare? cum tamen Merillius non reprehendiſſe, ſed potius decretum probaſſe & obſervaſſe Paulum fateatur. Hoc concedat, & annuat Merillius, non arriſiſſe Paulo Hadriani decretum: ſua ſibi conſtabit opinio, propria alias contradictione collapſura. Utamur & aliis rationibus. De teſtamento matris quæ exiſtimans periiſſe filium, alium hæredem inſtituit, an quæri poſſet quaſi inofficioſo, tractatum eſt; ſcripſitque Ulpianus lib. 6. Opinionum, poſſe, *l. ſi inſtituta* 27. *§. ult. D. de Inoff.* Juſtam dubitationem movebat quod exhæredatio reſcinditur ſola ea, quæ notæ cauſa facta eſt, quæ iniquitatem & odium habet, veluti ſi mater naturam oderit ἐπειδὴ τὴν φύσιν ἀλόγως ἐμίσησεν, inquit Theophilus: at mater filio non ſuccenſuit quem putavit pro Repub. glorioſe occubuiſſe. Placuit tamen præteritionem illam ceu exheredationem, etiam per querelam reſcindi poſſe, ſi filius ſcilicet (hoc enim exaudiendum eſt) ad injuriam factum matris revocaret. Sed cum hæc via actionis de inofficioſo, propter moleſtiam probationis, & judicii qualitatem (lis enim improba dicitur, *l. 8. §. 14. D. de Inoff.*) filio longior, id eſt, difficilior ſit, quam ſupplicationis ad principem, cum hac via electa matris errorem vel ipſa teſtamenti ejus præfatio demonſtret, illa vero docere debeat filius inique ſe præteritum eſſe, credibilius eſt ubicunque de matris errore conſtat, ut in *d. l. cum mater* 28. filium de inofficioſo non acturum. Aliud argumentum ſumo, ex verbis *d. l. cum mater* 28. *Divus Hadrianus decrevit hæreditatem ad filium pertinere.* Scilicet his verbis, de hæreditate apparet pronunciatum, non de teſtamento ſive de jure teſtamenti. Quod tamen fieri ſolet in cognitione de inofficioſo, *l. Papin. 8. §. pen. l. ſi pars* 10. *& l. filio* 16. *in fin. D. de Inoff.* Econtra vero in ſupplicatione principi facta pronuntiatur hæreditatem per-

Source : BIU Cujas

tem pertinere ad eum qui per cauſam erroris non eſt inſtitutus, cum onere tamen præſtandorum legatorum, *l. ult. D. de Hæredib. inſtit.* An Cujacius uſpiam finxit (ex ſua ſententia) filium in *d. l.* 28. inofficioſi querelam inſtituiſſe, magis quam apud principem extra ordinem egiſſe? Profecto ex recitatione ad *l. Titius* 25. *D. de Lib. & poſtum.* ex prioribus ejus operibus, (cujus verba refert Merillius quaſi adverſantia dictæ obſervationi, *lib.* 10. *cap.* 22.) hoc non elicias! id æquius facias ex recitatione ad *d. l.* 28. *D. de Inoff.* quam tamen Merillius, ſuæ cauſæ non ita bonus Patronus, cum dicta obſervatione componit: Imo omnino melius ex recitatione ad *d. l. Titius* 25. ex poſtumis operibus, quam prætermittit Merillius. Sed eſt quod huic loco reſpondeamus, Cujacium filio non dare actionem inofficioſi ipſo jure. Illi vero, incerta omnia ibi reliquiſſe propoſita atque exaggerata tam vulgi quam ſua opinione. Non bene Reum Accuſator, hoc capite convincit, ut nec in cæteris.

Reſtat aliud de Hadriani decreto. Merillius ait Cujacium illud improbare in expoſitione tituli *de liberis & poſtumis ad leg. Titius* 25. Aliter in *Obſerv. ſupra dicto loco*. Recta objectio: ducta ſcilicet ex operibus quæ Magiſter recognovit. Cæterum attendentibus quomodo loquatur in *d. l. Titius* 25. facile erit moderari ſententiam. *Id decretum*, inquit, *probare Paulus non videtur*. hæc vox (*videtur*) non eſt definientis & certo affirmantis, ſed dubitantis ἐπὶ ἀμφιβόλῳ, licet non ſemper, aliquando tamen: ut de verbo, δοκεῖν, Rhetor Ulpianus docet *in enarratione primæ Olinth.* Demoſt. ad illa verba. ὑμᾶς ἐλέσθαι νομίζω. Nam ut Magiſter docet ad *l. Procula* 26. *D. de Probat.* ex *eadem l.* verbum (*videri*) præſumptionem ſignificat. De eo autem decreto ſuperaddendum nihil habeo, niſi quod hæc verba, *Nam cum inofficioſum teſtamentum arguitur, &c.* diverſam ſpeciem a priori ſeu diverſum genus agendi deſignant. Particula, *Nam*, modo pro ratione dubitandi, modo pro explicatione ejus quod dictum ſit, modo pro ratione differentiæ, adeoque ad inductionem diverſæ ſpeciei ponitur, ut oſtendit *l. ſi is qui pro emtore* 15. *in pr. & §.* 1. *D. de Uſurp. & uſucap.* Ita in §. *At hi qui emancipati* 10. *Inſt. de hæreditatib. quæ ab inteſtat. defer.* hæc verba, *Nam vivo eo emancipati*, caſum diverſum a ſuperiore continent, & in *l.* 2. §. 1. *D. de Vi bonor. raptor.* diverſa experiundi ratio deſignatur iſtis, *Nam ſi quis ſe vim paſſum docere poſſit, publico judicio poteſt experiri.*

DISPUNCTIO XII.

Quomodo ſervitutes prædiorum aliæ in ſolo, aliæ in ſuperficie conſiſtant?

LEx 3. *D. de Servit.* ſic habet. *Servitutes prædiorum in ſolo, aliæ in ſuperficie conſiſtunt.* Quæritur quo ſenſu in *ea l.* dicatur ſervitutes prædiorum alias in ſolo, alias in ſuperficie conſiſtere. Conſentiunt omnes his verbis traditam eſſe a Paulo Jureconſulto ſervitutum diviſionem: Et Accurſius quidem dixit denotare hanc diviſionem ſervitutes urbanas & ruſticas, vel eas ſervitutes quæ imponuntur a dominis, & a ſuperficiariis: ſuperficiarii ſunt qui in alieno ſolo ſuperficiem habent, quam vel emerunt ſolam vel conduxerunt in perpetuum vel in longum tempus: hi non poſſunt ipſo jure, ſuperficio ſive ſuperficiei ſervitutem imponere, Prætor tamen quas impoſuerint pro æquitate ſua tuetur, quemadmodum & in rem utiles actiones ei commodat, *l. in Provinciali* 3. §. *ſi ego* 3. *D. de Operis novi nuntiatione*. Poteſt affingi & alius ſenſus, ſive alia interpretatio ad *d. l.* 3. ut ſint ſervitutes ſolo impoſitæ, vel acquiſitæ: ſint & ſuperficiei. Solo ſimpliciter impoſitæ ſunt ſervitutes, cum fundo ſuo ſervitutem quis imponit, veluti cum vicino ceſſit jus eundi per fundum ſuum ſive genus agri expreſſerit, ſive non: ſuperficiei impoſitæ ſunt, cum certum genus agri demonſtratum eſt ea mente, ut forma agri mutata, non eſſet amplius ſervitus. Genera agrorum diſtinguuntur ſuperficie, ſunt vineta, ſaliceta, oliveta, arva, arbuſta, prætoria & alia ædificia: id genus prædia diſtinctionem recipiunt ratione eorum quæ in iis ſata, conſita, implantata, & ædificata ſunt. Stipulatus ſum ut mihi liceret ire, agere in vineam meam per fundum tuum, ceſſiſti mihi jus commeandi ad vineas meas per prædium tuum, quæritur an hæc ſervitus acquiſita ſit ſolo, vel ſuperficiei? videndum quid actum ſit: id eſt quænam fuerit mens contrahentium: & ſi quidem hoc actum eſt, ut maneret ſervitus quamdiu vineæ manerent, non ultra: ſuperficiei, non ſolo dicitur acquiſita ſervitus: Si nil tale actum eſt, ſolo creditur ſervitus acquiſita: mentio vinearum non efficit quo minus ad ſolum ſervitus pertineat. *Certo generi agrorum acquiri ſervitus poteſt velut vineis, quod ea ad ſolum magis quam ad ſuperficiem pertinet. Ideo ſublatis vineis, ſervitus manebit. Sed ſi in contrahenda ſervitute aliud actum erit, doli mali exceptio erit neceſſaria.* Textus eſt *l.* 13. *D. de Serv. præd. ruſtic.* Hæc tertia interpretatio eſt, quæ fingi poteſt ad *d. l.* 3. *D. de Servit.* Et vero eam finxit Cujacius & aptavit *dictæ l.* 3. dum eam interpretatur ad *lib.* 21. *Pauli ad Edictum*. In quo tantiſper receſſiſſe videri poſſit ab eo quod dixerat in recitatione quadam ad *titul. de ſervit.* ubi ex duabus Accurſii interpretationibus, inclinabat in priorem, ut illis verbis, *aliæ in ſolo, aliæ in ſuperficie*, denotarentur ſervitutes tum urbanæ, tum ruſticæ. At non carpitur in eo; qui tamen fundus eſt, & quæſtio de vera interpretatione *d. l.* 3. *D. de Servit.* ut præ ſe fert titulus hujus capitis. *Quomodo ſervitutes &c.* nec (quod mirum eſt in Merillio qui paratus ad agendum venit) contra eam interpretationem quicquam affertur, quæ nequidem refertur: Minimum igitur eſt quod arguit Merillius, ſcilicet quod ad titulum *de ſervit.* Cujacius dixerit, in ſolo conſiſtere ſervitutes ruſticas, in ſuperficie ſervitutes urbanas: contra ad *librum* 21. *Pauli ad Edictum*, ſervitutes urbanas in ſolo conſiſtere poſſe, & ruſticas in ſuperficie. Sperabam fore *bocce capite* XII. ut Merillius, id eſt, ut ſolertiſſimus ille Juriſconſultus, qui Cujacium propalat ingenium in numerato non habuiſſe, ingenioſe nobis rem totam haud parca manu expanderet atque emedullaret: fruſtravit adeo ſpem Merillius, ut nec ſatis quid de ea quæſtione ſentiret, aperuiſſe nobis videatur. *Plures*, inquit, *interpretationes recipit lex* 3. *D. de Servit. Primum*

Source : BIU Cujas

mum est (ita loquitur Merillius) *ut qui Dominus est soli, possit servitutem solo imponere, & superficiarius possit quoque in superficie servitutem imponere. Alio modo intelligi potest hæc lex* 3. *servitutes rusticas in solo, urbanas in superficie consistere : servitutes rusticæ in solo consistunt veluti servitus itineris aquæductus : urbanæ in superficie veluti si ex meo ædificio tignum immittam in tuum ædificium. Eam interpretationem probat Cujacius ad tit. de Servit. Idem tamen ad lib.* 21. *Pauli ad Edictum in hac l.* 3. *ait tam servitutes urbanas, quam rusticas posse in solo vel superficie consistere quod & magis admitterem.*

Liceat mihi percunctari de te Merilli: An probas expositionem Cujacii ad *librum* 21. *Pauli ad Edictum*, ubi refutat utrumque sensum ab Accursio prolatum, tertium sensum ex suo sensu profert elicitque ex *d.l. certo generi* 13. *D. de Serv. rust. præd.* nimirum servitutes quæ in superficie consistunt, eas esse quas quis prædio suo ita stipulatus est, hoc est, eo animo ut superficiei tantum eas acquireret, ut ea peremta perimerentur : eas vero quæ in solo consistunt eas esse, quæ solo acquisitæ etiam mutata superficie remanerent ? Hæc est summa sententia eorum quæ fuse tractat ibi Cujacius; cui sententiæ consequens est quod ibidem vir emunctissimæ naris habet : scilicet consistere servitutes in prædio cui servitus debetur, non vero in prædio serviente. Quo referemus illud tuum, *Quod & magis admitterem?* Admittis tam urbanas, quam rusticas servitutes posse tum in solo, tum in superficie consistere: At non admittis quod vult Cujacius, servitutes simpliciter consistere in prædio, cui servitus debetur. Denominationem, inquis, accipiunt a prædio dominante, consistunt in solo aut superficie non prædii dominantis, sed servientis. Ita sit ! verumtamen hoc dicto, ita stare videris cum Cujacio, ut nullo modo stes. Mens enim Cujacii est, ut posito eo quod servitutes consistunt in prædio dominante, (utitur & ipse hoc verbo auctoribus nostris nusquam usitato) consequens sit omnium prædiorum tam urbanorum, quam rusticorum servitutes, & in solo & in superficie consistere, quia tum solo, tum superficiei deberi possunt.

Jam non loquor de veritate hujus sententiæ : sed quæro an in aliquo conveniat Merillius cum Cujacio, quem lateralem sibi semper asseverat ? Nam qui negat servitutes solo, vel superficiei debitas, in eodem solo vel superficie eadem consistere, qui convenire potest cum eo, qui putat sententiam *dictæ leg.* 3. *D. de Serv.* esse, servitutes tam urbanas, quam rusticas in solo, vel superficie consistere ? Et tamen non dubitat Merillius scribere illud suum, *Quod & magis admitterem*, Credendum est Merillium hoc magis admittere suo modo: videlicet probare Cujacii interpretationem, quod omnes servitutes deberi possint & solo, & superficiei, at improbare, consistere in prædio dominante. Sed o Merilli, textus *d. l.* 3. ait *consistere*, si igitur tu cum Cujacio consentis deberi : quare dissentis in eo quod lex ait, consistere?

Satius erat in totum hic a Magistro recedere, & bono adhærere Accursio. Nam ut verum fatear, aut imperfectus est commentarius ille qui Cujacio tribuitur, aut falsus est Cujacius in expositione *dictæ leg. certo generi* 13. quæ tantum abest ut dicat superficiei servitutem acquiri & si maxime hoc actum sit inter contrahentes, quinimo aperte ait solo acquiri, sed remedio exceptionis servari conventionem; quomodo Papinianus in *l.* 4. *D. de Servit. Servitutes*, inquit, *ipso quidem jure ad tempus constitui non possunt : sed tamen per pacti vel doli exceptionem occurretur contra placita servitutem vindicanti*. Itaque putandum minime est Jurisconsultum, dum eam divisionem tradit *servitutes alias consistere in solo, alias in superficie*, cogitasse de eo quod & raro & præter juris rationem fiat. Divisiones fiunt ut ait Philosophiæ magister τοῖς ἐν τῇ οὐσίᾳ ἢ μὴ τοῖς συμβεβηκόσι, iis rebus quæ in substantia non iis quæ accidunt, *lib.* 1. *de Partibus animal. cap.* 3.

Ubinam autem consistunt servitutes? an in prædio serviente, an in prædio cui servitus debetur? Quæro in quo Tutela? An in tutore, an in pupillo? definitio enim ambigua est dum ait; in capite libero: potest ergo de tutore accipi, ut rectus sit sermo potestatem esse in tutore ad tuendum pupillum: At Theophilus ait κατὰ ἐλευθέρας κεφαλῆς. Expeditum est dicere, esse in utroque; Tutor eam habet atque exercet ; Exercetur autem in pupillo. Jus patroni est in liberto, est in patrono quoque, *l.* 8. §. *Sed si ad jusjurandum* 2. *D. de in jus vocando*. Etiam in sacris paginis idem verbum juxta Hebræi sermonis ambiguitatem alii atque alii applicatur Bernardus *serm.* 4. *de verbis Esaiæ Prophetæ. Et hoc quidem*, inquit, *pro eo quod distincte in Latinis codicibus scriptum est caput ejus & pedes ejus: Testatur autem interpres noster in Hebræo verbum esse commune quod possit interpretari ejus, & suam : ut Seraphim juxta Hebræi sermonis ambiguitatem vel faciem pedesque Dei, vel suam faciem ac pedes suos operire dicantur*. Rogo imperium in quo est, an in domino, an in servo ? Credo eorum quæ πρός τι dicuntur, naturam esse reciprocam, & ut servus dicitur domini servus, ita & vice mutua dominus est alicujus servi dominus : πάντα δὲ τὰ πρός τι &c. *in Categ. cap.* 7. adeoque imperium suo modo, suaque ratione, & in domino & in servo esse ; eritudinem, servitudinem, apud Festum, eritudo est dominatio, δεσποτεία. Ita de prædiorum servitutibus dicendum ; consistere eas in utrisque prædiis. In iis quibus debentur, quæ proculdubio jus habent, & in iis quæ debent, quia serviunt & ut ita dicam servitute afficiuntur, ut Aristoteles ait αἰσθήσεις περὶ σῶμα καὶ ἐν σώματι. Nostris enim quid aliud servitutes quam qualitates prædiorum, seu ut loquuntur, prædia qualiter se habentia: nec fere interest sive dixeris ποιότητα vel διαθέσεις : si aves dicere ποιότητα, quod est vero propius, audi eundem Aristotelem ὅτι μὲν οὖν αὗται ποιότητες εἰσὶ φανερὸν &c. Nam si actionum instar habeas servitutes, constat actionem ibi magis esse ac consistere ubi fertur, quam unde manat: ibi sentitur ubi est, inquit D. Augustin. *epist. ad D. Hieron. de Origine animæ*. Et de servitute personarum Seneca. *Errat*, inquit, *si quis existimat servitutem in totum hominem descendere, pars ejus melior excepta est, corpora obnoxia sunt, &c. lib.* 3. *de Benef. cap.* 20. Agnosco igitur, verissime dictum, servitutes consistere in prædio serviente: practice scilicet & passive,

quia

Source : BIU Cujas

quia exercitium, ideſt, uſus ſervitutum eſt, finiturque in ipſis prædiis, quæ ſervitutem debent. Qua ratione forte pontes urbis Romæ, regioni XIV. adſcripti ſunt, quæ tamen erat trans Tiberim, quod ad eam, & in ea quieſcerent. Ergo recte utrumque dixeris, ſervitutes conſiſtere in prædiis, quæ eas debent in quibus & conſtitui, & remitti etiam dicuntur, *l. ad certam partem 6. D. de ſervit.* imo & nominatim conſiſtere *l. 29. D. de Serv. urb. præd.* & in prædiis quibus debentur, cum ab uno exeant & in aliud perducantur, *l. 20. §. penult. D. eod.* & utique acquirantur iis quibus debentur, *d. l. certo generi 13. D. de Serv. præd. ruſtic. & l. 11. & 12. D. de Serv.* & ut interdicta poſſeſſoria competunt poſſeſſoribus rerum corporalium, ita & interdicta veluti poſſeſſoria dominis prædiorum, quibus acquiſitæ ſunt ſervitutes, *l. ult. D. eod. tit.*

DISPUNCTIO XIII.

An ſervitute viæ ſimpliciter legata, hæredis vel legatarii ſit electio, qua parte fundi conſtituatur.

AD quæſtionem propoſitam ut reſpondeatur: quid pluribus opus eſt? ſola legatorum per vindicationem & per damnationem diſtinctio rem omnem abſolvit. Hæc hodie notiſſima eſt beneficio eorum, qui *fragmenta* nobis *Regularum* Ulpiani, ac Pauli *Sententias* evulgarunt: antequam vero iis fueremur, cui nota? Et mirum tamen divino præſtantem ingenio Cujacium, ubi defuit illi tam opportunæ, atque expeditæ diſtinctionis cognitio, non ſufficientibus ac comparentibus libris illis, proxime ad eam acceſſiſſe excogitata diſtinctione voluntatis Teſtatorum, ut infra apparebit: quo nomine ſane non vituperandus, aut variationis accuſandus, ſed maxime laudandus fuit. Sed age; aliud in ſinu occultat Merillius: verbum (*relinquatur*) inquit, in *l. 9. D. de Servit.* rejiciendum ſemel exiſtimavit Cujacius: poſtea retinendum cenſuit. De poſtumis eſt ea objectio. Sed demus Merillio, quaſi ſit de prioribus ejus operibus. Ad *d. l. 9.* dixit ſuſpecta ſibi videri verba *vel relinquatur*. Textus habet *Si cui ſimplicius via per fundum cujuſquam cedatur, vel relinquatur; in infinito, videlicet per quamlibet ejus partem ire, agere licebit &c.* Cujacius, *probabile eſt*, inquit, *hæc verba eſſe cujuſdam interpretis*. Hoc dico, neque his verbis omnino definiiſſe Cujacium expungenda eſſe ex *d. l. 9.* verba illa, *vel relinquatur*, neque alibi caviſſe nominatim, retinenda eſſe.

Redeamus ad primam, præcipuamque objectionem, ſimul & rem totam cominus videamus. Celſus in *d. l. 9.* ait *ſi via cedatur, vel relinquatur*, cedatur ſcilicet ſtipulatori, relinquatur autem legatario, *ut utrique liceat per quamlibet partem ire agere*. Accurſius objicit *l. ſi via 26. D. de Servit. præd. ruſtic.* ubi legata ſimpliciter ſervitute, Paulus ait facultatem eſſe hæredi per quam partem conſtituat ſervitutem: falſum igitur quod dicitur *d. l. 9.* facultatem eſſe legatario. Cujacius diluendæ hujus objectionis gratia dum primitus interpretatur *d. l. 9.* tentavit aliquid dicere, & forte peregit, ſed non pervenit ad nos integra ejus recitatio, ut viri boni animadvertere poſſunt illo loco. *Loquitur de fundo, quare ait villam? quia villa eſt acceſſio fundi: ridiculum ergo eſt, cum fundus ſit acceſſio villæ.* Quis non videt nonnulla hic deſiderari? & illo maxime loco. *Notandum eſt in quæſtione de jure electionis, ſemper diſtingui ultimas voluntates a contractibus: Exemplo id demonſtratur. Si legatum generaliter relinquetur, electio eſt ejus qui debet, ſic etiam in ſtipulationibus disjunctivis, l. 10. D. de Jure dot. Sic igitur definiendum in legatis; ſi ſimpliciter via legata ſit, electio eſt hæredis quia hoc eſt conſentaneum voluntati hæredis.* Quis non videt præmiſſis non bene congruere ſequentia? ut plus dictum, minus ſcriptum eſſe credibile omnino ſit: Et ſatis tamen ſcriptum, unde poſſimus tueri ſententiam interpretis, cum dixit hæredis eſſe electionem ubi hoc eſt conſentaneum voluntati teſtatoris.

Sane, ad *d. l. 26. D. de Servit. præd. ruſtic.* lib. 47. Pauli ad Edictum. Idem Cujacius objectionem illam removet aperta diſtinctione legatorum, ut ſi teſtator ita per damnationem legaverit, hæres meus damnas eſto illi viam dare cedere per fundum illum, electio ſit hæredis, quia & ſermo dirigitur ad hæredem: Contra ſi per vindicationem legaverit, lego tibi viam per fundum meum, electio ſit legatarii per quam partem ire agere velit. Qua re non eſt contrarius in ſententia Cujacius ab eo quod ante ad *d. l. 9.* dixerat, ſed in modo tantum docendi diverſus.

Huic autem diſtinctioni ſuperaddere quidquam, fere otioſum eſt, niſi ſi repetere & explicare liceat hanc diſtinctionem legatorum prodere diverſam teſtantis voluntatem. Qui damnat hæredem dare, transfert in eum dominium, ut ab eo poſtmodum & ejus facto, miniſterioque alius dominus efficiatur: Qui ſepoſito & veluti ſpreto hærede per vindicationem legat, recta via dominium vult ad legatarium tranſire, *l. 64. D. de Furtis*. adeoque ſi tale quid ſit quod electionem contineat, electionem in eundem confert, ut eligendo dominium acquirat, quod interim in pendenti ſit, ut electione ſua, quaſi deſignatione quadam (quæ in actione in rem plane neceſſaria eſt) rem ſumat & vindicet. Servius ad *v. 533. lib. 5. Æneid. Sumere*, inquit, *eſt verbum Juriſconſultorum, quo utuntur, quotieſcunque legatum non ab ipſo hærede datur, ſed eſt in accipientis arbitrio*. Vim facit Servius in verbo *ſumere*, cujus non eſt alia poteſtas, quam verborum, capito, optato, eligito, & eorum, do, lego. Ulpian. *in fragment. Regularum tit. de leg. §. 3.* Alia igitur atque alia voluntas apparet in diverſis legandi generibus, & ex ea diverſitate voluntatis, modo hæres, modo legatarius electionem habet: quod & accidit in ſervitute legata, ut modo imponatur qua velit hæres, modo qua legatarius, prout conſentaneum eſt voluntati teſtatoris. Quod cum ſimpliciter dixerit Cujacius in *d. l. 9. D. de Servit.* diſtinctius vero in *d. l. ſi via 26.* quis eum jure redarguere potuit?

DISPUN-

Source : BIU Cujas

DISPUNCTIO XIV.

An legato fundo, aditione hæreditatis confundantur servitutes?

E T

An dominum rei legatæ transeat in hæredem, vel legatarium?

NIhil est facilius, *l.* 18. *D. de Servit.* quæ ait, *In omnibus servitutibus, quæ aditione confusæ sunt, doli exceptionem nocere legatario, si non patiatur eas iterum imponi.* Species est, Fundus Titii testatoris fundo meo debebat servitutem viæ, Titius instituit me hæredem, fundum autem illum suum Sejo per damnationem legavit: Cum Sejo fundum tradere vellem, atque eidem fundo imponere servitutem, quæ me adeunte hæreditatem, jure confusa erat, id non est passus Sejus. Egit igitur contra me, petiitque ut ei fundum traderem uti optimus maximus esset, ideſt liberum, *l. cum venderes* 59. *D. de Contrab. emt.* Paulus ait Sejum exceptione doli mali submovendum esse: quod scilicet talis præstandus sit fundus, qualis esset cum legatus est. Hæc profecto propius ad Cujacii sensum. Verum quid audio? Cujacium ad *librum* 3. *Quæstionum Papiniani* fingere in specie *d. l.* 18. legatum conditionale fuisse, & ita hæredem factum dominum, alias non futurum, si purum non fuisset legatum.

Ita ne Cujacius in plano hæsit, ut nesciret evadendi rationem aliam, aut etiam meliorem? Potuit quidem fingere sub conditione relictum legatum, nam quæ sub conditione legantur, interim sunt hæredis, *l.* 1. §. 4. *D. ad SCtum Silan.* At non potuit non errare turpiter hoc adjecto, non alias futurum dominum si pure legatum esset. O virum sterilem Cujacium, si hæc dixerit, optimarum rationum, & distinctionum juris ignarum! Ratio dubitandi in specie supradicta hæc erat (si verum est quod vulgo credimus) quod dominium fundi legati a morte testatoris, recta via ad Sejum legatarium transiisset, nunquam factum hæredis, *l. legatum* 80. *D. de Leg.* 2. atque ita nulla confusio in persona mea, id est, in persona hæredis facta esset. Ratio autem amovendæ dubitationis fuit, non quod in *hac l.* 18. legatum esset conditionale: sed quod legatum per damnationem relictum esset, cujus hanc fuisse naturam constat, tum ex formula ejus, tum ex comparatione legati per vindicationem, apud Theophilum *tit. de legatis.*) ut rei legatæ dominium donec solveretur, & daretur, penes hæredem remaneret. Cujacius, inquit Merillius, ut hanc dubitationem amoveat ad *lib.* 31. *Quæst. Pap.* ait in *hac lege* 18. legatum conditionale fuisse, & hæredem pendente conditione factum dominum, atque ita aditione confusam fuisse servitutem. Quod si legatum fuisset purum, nullo tempore hæres fundi Titiani dominium habuisset. Quam distinctionem inter legatum purum, & conditionale non Accursius, sed Cujacius in *tit. de Servitut.* ait non esse observandam, quia lex ista non distinguit: & præterea existimat quoquo modo res legatæ fuerint, dominium rei legatæ transire in heredem! *quoquo modo*, ideſt, sive purum, sive conditionale fuerit legatum, vel sive legatum fuerit vindicationis, aut damnationis. Denique existimat non aliter dominium rei legatæ acquiri legatario, quam cum legatum agnoverit. Verum putarem in *hac l.* 18. latere differentiam, quæ erat inter legatum vindicationis & damnationis &c.

Ita ne inquam Cujacius nihil fuit homo? adeo ne immemor ut ad Papinianum non recordaretur distinctionis legatorum vindicationis, & damnationis in *d. l.* 18. tam convenientis, quam ante ad Africanum sæpius versaverat? imo & ad eundem Papinianum lib. 17. Quæst. scilicet ad *l. Maevius* 66. *D. de Leg.* 2. Non credam, si non cerno atque oculis ipse meis video. Teneo locum. *At finge*, inquit Cujacius, *tu qui me hæredem feciſti, prædium illud tuum, quod meo ſerviebat a me legaſti Titio*, Et legasti per damnationem ita ponendum est, alioquin aditione ego non acquirerem dominium hujus prædii, quia fundi legati per vindicationem dominium recta transit ad legatarium, nec fit hæredis nisi sit legatum per vindicationem conditionalem. Hæc ille; Nunc ubi fides? Audisne, Legisne, Merilli? Oportuitne hoc crassiore charactere & apicibus Romanis grandiusculis, qualibus libri tumescunt tui, hæc conscribi? Statuit Cujacius si legatum sit vindicationis, hæredem non fieri dominum rei legatæ, nisi forte conditionale sit: At in specie proposita, aperte nullam conditionem adscriptam fuisse ponit, qui expresse ait legatum per damnationem relictum fuisse: *& ita*, inquit, *ponendum est*. Quid planius? O si redivivus immanitatem, ac fœditatem hujus erroris, ne dicam mendacii, & cruentam hanc plagam innocenti sibi a te inflictam videret Merilli, qui Donellum aliquando virum egregium & disertum & doctum ob levem quandam hallucinationem scutica dignum pronuntiabat, qui te manumitteret! Tantum tu vertereris ab illo, ut *diceres*.

Namque agor ut per plana citus sola verbere turben, ut est apud Tibull. *lib.* 1. *eleg.* 5. *v.* 3. Sed pergamus porro.

Merillius addit Accursium adferre hanc distinctionem legati puri & conditionalis, Cujacium vero *ad titulum de Servit.* dixisse minime observandam esse: & præterea existimasse quoquo modo res fuerint legatæ dominium transire in heredem, ideſt, inquit Merellius, sive purum, sive conditionale sit legatum, *vel ſive legatum fuerit vindicationis, aut damnationis*. Heus heus Merilli! Aureliani glossematis simile tuum *ideſt*, ipso contextu scabrosius est. Verum quidem est Cujacium ibi dicere, in specie hujus *l.* 18. *D. de Servitut.* distinctionem illam inter legata pura & conditionalia, non esse ad rem, (scilicet si præterea nihil suppleamus) sed non idem ait de distinctione legatorum. Itaque cum ait, quoquo modo res legatæ sint, dominium transire in heredem: hoc eo referendum est, sive pure, sive sub conditione legatum sit, non eo quo tu refers, sive legatum sit vindicationis, sive damnationis, de qua differentia nominatim nihil illic habetur. Hoc non videre, quid est nisi in montes offendere, resque oculos ferientes non cernere? ut D. Augustinus ait *lib.* 8. *de Civit. Dei cap.* 16.

DISPUN-

Source : BIU Cujas

DISPUNCTIO XV.

An sit quædam specialis certi condictio, vel tantum generalis?

ADeo ne ab Cujacio mens aliena Merillio est, ut non possit nisi in eo in quo cum eo consentit, sensum ejus adsequi? & si quæ de jure eum opinio imbuerit aliter atque illum, capere posse desinat, aut intelligere nolit? Cujacius rubricam, ut ajunt, Tituli Digestorum *de rebus cred.*, *si certum petatur*, *& de condictione* explicat, cum *in Paratitlis Digestorum*, tum ad *l.* 23. *eodem titul. lib.* 2. ad *Africanum*: utrobique autem tradit duas esse certi condictiones, unam generalem pertinentem nedum ad mutuum, sed etiam ad omnes causas, ex quibus certum petitur illis verbis designatam *si certum petetur*, alteram specialem ex mutuo solo, his verbis significatam *& de condictione* ut *Instit. tit. Quibus modis re contrahitur oblig.*

Merillius vult aliter eundem Cujacium tradere in *Paratitlis Codicis ad tit. Si certum petetur*: eo quod ibi non meminerit specialis condictionis. Verum ita sit, de speciali condictione nihil ibi commemorare Cujacium, Quis ex eo probe ita colligat, ergo unam dumtaxat facit certi condictionem? Titulus Codicis singularis est, simpliciter ita conceptus, *Si certum petetur*. Non ut in Digestis tergeminus, seu tribus hisce clausulis & partibus compositus. *De rebus creditis*, *si certum petatur*, *& de condictione*. Non fuit ergo cur in *Paratitlis Codicis* Cujacius necessario explicaret illa verba, *& de condictione*, sed fuit quod doceret his verbis, *si certum petetur*, quantumvis generalibus (ut ipse existimabat) mutuum tamen contineri, imo & proprie contineri. Nam Cujacius titulum *si certum petetur* habet quasi appendicem præcedentis, qui est *de rebus creditis*. Docet igitur ut crediti appellatio quæ generalis est, proprie tamen & quidem ἰδιωτάτως pertinet ad mutuum: ita & actionem *si certum petatur*, licet generalis sit, non minus proprie dici & intelligi de mutuo: quasi diceret, mirum non esse Titulum illum, qui totus est de mutuo, conceptum esse *si certum petetur*.

Plus dici potest, nec Cujacium illic prætermisisse specialem condictionem. Quo enim illa verba? (& ita actio in personam, quæ ei qui, mutuam pecuniam dedit, in debitorem competit proprie dicitur certi condictio, vel actio si certum petetur de rebus creditis,) quæ verba si referantur ad Paratitla Digestorum, quæ sensum habere possunt alium ab eo quem habent ipsa Paratitla, nimirum duplicem esse condictionem, specialem unam, alteram vero generalem? Quod cum legere debuit Merillius, immerito Cujacium fecit variantem, ut & immerito solus ex omnibus interpretibus unicam facit condictionem.

Volo me quoque immiscere, *& argutos inter strepere anser olores*. Dico ego tit. illo Digestorum *de rebus cred.*, *si certum petetur*, *& de cond.* duas quidem, ut docet Cujacius, proponi condictiones: sed quam ille specialem, ego generalem condictionem esse contendo, & e contra, quam facit generalem, specialem esse dico: & specialem notari verbis illis *si certum petetur*, generalem autem istis, *& de condictione*, specialem esse specialiter de pecunia numerata, generalem de omni re & causa: quæ proinde pro diversis speciebus modo certi, modo incerti condictio, & condictio sine causa, & aliis denique appellationibus determinetur. Dico & generalem certi condictionem esse de omni genere certi, idest, de omni certo quod debetur, & petitur, adeoque de omni mutuo. *Certi condictio*, inquit Ulpianus, *competit ex omni causa, ex omni obligatione, ex qua certum petitur, sive ex certo contractu petatur, sive ex incerto: licet enim nobis ex omni contractu certum condicere &c. l.* 9. *D. de Rebus cred.* At de certa pecunia numerata κατ' ἐξοχήν dici & specialiter appellari actionem, *Si certum petatur*, quia inter res cæteras pecunia numerata maxime certa sit, *l.* 3. *D. de In litem jurando*. Cujus scilicet publica ac perpetua æstimatio est, *l.* 1. *D. de Contrah. emt.* & per pecuniam res cæteræ certæ sunt, id est, certam æstimationem habent, *l. cum ita* 42. *D. de Fidejuss.* secundum autem præcepta Philosophiæ, quam nostri (quantum arbitror) non respuunt; propter quod unumquodque tale dicitur, & ipsum magis tale esse intelligitur. Deinde id aperte probatur, *l.* 1. *D. de Condictione triticaria*. Ulpianus, *Qui certam pecuniam numeratam petit, illa actione utitur, si certum petetur*. Probatur denique argumento desumto ex Rubrica *Cod. si certum petetur*, sub qua non aliæ positæ sunt leges, quam de mutuatitiis pecuniis. Si rubrum (ut dicitur) convenit nigro, idest, Titulus cum suis legibus: consequens est actionem si certum petatur, proprie ac specialiter dici, & esse de mutuatitiis pecuniis, ut condictio certi generaliter dicitur de omni certo. Rogo quis proprie & accurate loquendo, dicat actionem rerum amotarum esse actionem si certum petatur? Recte vero dixerit certi condictionem esse! *l. si concubina* 17. §. *non solum* 2. *D. Rerum amot.* ergo condictio certi generalis est, actio si certum petatur, specialis. Itaque in Rubrica illa Digestorum *De rebus creditis*, *Si certum petatur*, *Et de condictione* apparet verba illa priora generalia esse: media vero *Si certum petatur* specialia: postrema denique ista *Et de condictione*, generalia, & de omni condictione. Neque vero novum est ut specialiter quibusdam designatis, generale subjiciatur verbum quod & specialia complectatur, *l. Si servus servum* 27. §. *& non negat* 16. *D. ad l. Aquil.*

DISPUNCTIO XVI.

An socius omnium bonorum pecuniam propriam alienare possit.

E T

An in specie *l. Si socius* 16. *D. de Reb. cred.* contracta fuerit societas universorum, vel partis bonorum?

DUas hic proponit Merillius quæstiones, variationem unam Cujacio adscribit. Antequam autem ad primam quæstionem venio, quam videtur aliud quiddam agendo Merillius expedire, placet quærere, An socius omnium bonorum rem propriam habere possit; Nam quomodo propriam habeat

Source : BIU Cujas

beat, cujus pars etiam ſocii ſit? Seneca *lib. 7. de Benef. cap. 12. Non ſic mihi cum amico communia omnia ſunt, quomodo cum ſocio, ut pars mea ſit pars illius*. Sic communem libertam alterius patroni nuptias invitam retinere, ſi ab hoſtibus captus eſſet, Jabolenus exiſtimabat, quia non proprie videretur ejus liberta, quæ etiam alterius patroni liberta eſſet, *l. illud 46. D. de ritu nupt.* Sed verius eſt, ut ibidem Ulpianus ait, libertam alicujus negari non poſſe, licet alterius quoque ſit: & ut res plurium ſit, non ideo minus dominium quiſque partis ſuæ habere intelligitur, *l. 1. §. 6. D. ad SC. Silan.* licet juris tantum intellectus, non diviſione corporis obtineat, *l. Mævius 66. §. ſed ſi pars 2. D. de Leg. 2.* Et cum pars proprie dicatur, quæ pro indiviſo eſt, *l. Recte 25. §. Quintus Mutius 1. D. de Verb. ſignif.* negandum non eſt ſocium omnium bonorum, & partem pro indiviſo, & proprium aliquid habere. Neque hoc tantum in ſpecie certa, puta in fundo vel homine obtinet, ſed etiam in quantitate, ſive pecunia numerata. Nam ſive quis ſingula corpora nummorum cogitet, partem in eis pro indiviſo ſocii habent, ſive non corpora, ſed quantitatem, eaque quiſque ſociorum partem ſuam in quantitate habere intelligitur, *l. Si is cui nummos 94. §. 1. D. de Solut.*

Itaque ad quæſtionem primo propoſitam, affirmative reſpondendum eſt, ſocium omnium bonorum pecuniam propriam alienare poſſe. Quod aperte confirmat Papinianus *d. l. 94. §. 1.* his verbis, *Sin autem communes nummos credam, aut ſolvam, confeſtim pro parte mea naſcetur & actio & liberatio; ſive in ſingulis nummis communionem pro indiviſo quis eſſe intelligat, ſive in pecunia non corpora cogitet, ſed quantitatem.* Qui locus citatur ab Ulpiano, *l. Nam & ſi fur 13. §. 2. D. de Reb. cred. Nam*, inquit, *etſi communes nummos credidero centum, poſſe me 50. condicere*, *Papinianus lib. 8. Quæſtionum ſcribit, etiamſi ſingula corpora communia fuerint.* Quibus verbis vera dubitandi ratio continetur, ab ea, quam comminiſcitur Merillius, valde aliena: & cum ſit hæc dubitandi ratio promiſcua & communis omni ſocietati, id eſt, tam certæ rei, quam totorum bonorum: mirum ſit, de ſocio omnium bonorum quæſtionem proponi potius quam de ſocio unius rei. Nec dicat Merillius de ſocio rei unius ideo ſe non quæſiviſſe, cum extra ſocietatem res proprias eum habere manifeſtiſſimum ſit, in quibus non caderet quæſtio: cum vel fatente eo, & rerum omnium ſocius (nedum ſecundum ea, quæ ſupra diximus) res proprias habere poſſit.

Ex his vero facilis eſt deſcenſus ad alteram quæſtionem, An in ſpecie *d. l. 16. D. de Rebus cred.* contracta fuerit ſocietas univerſorum, vel partis bonorum? in qua, quis non perſpiciat nihil intereſſe utrum dicatur? cum utroque poſito, eadem ſit dubitatio, eademque decidendi ratio. Textus eſt, *Si ſocius propriam pecuniam mutuam dedit, omnimodo creditam facit, licet cæteri diſſentiant: quod ſi communem numeravit, non alias creditam facit, niſi cæteri quoque conſentiant, quia ſuæ partis tantum alienationem habuit.* Duæ ſunt partes hujus legis, & duæ igitur ſpecies. Prior hæc eſt: primus, ſecundus, & tertius, ſimpliciter coïerunt ſocietatem, quo genere quæſtuum dumtaxat ſocietas intelligitur contracta, *l. 7. D. pro Socio*: vel certæ alicujus negotiationis, puta emendorum, vendendorumque mancipiorum. Finge dictum eſſe in contrahenda ſocietate, ut pretium diſtractorum ſervorum a nullo ſociorum fœnori daretur: Primus, non conſentientibus aliis, ex pretio diſtractorum aliquot mancipiorum quod erat trecentorum, centum dumtaxat, id eſt, partem ſuam mutuavit. Quæſitum eſt an hæc centum credita fecerit? Paulus reſpondit, feciſſe credita. Movere poterat; quod etiam in illis centum ſecundus & tertius jure ſocietatis communionem haberent. At ratio decidendi eſt, quod vel juris intellectu, centum illa, pars fuerit ejuſdem primi, cujus quidem partis vere dominus fuit. *d. l. 1. §. 6. D. ad SC. Silan. & d. l. 66. §. Sed ſi pars 2. D. de leg. 2.* Finge ex diverſo, primum, ſecundum, & tertium, univerſorum bonorum ſocietatem contraxiſſe, & ex pecunia communi partem tantum ſuam Primum erogaſſe; eadem plane ſequentur, ut ex iis liquet, quæ *principio hujus capitis* demonſtravimus. Itaque perinde eſt ſpeciem ponere in ſociis totorum bonorum, ac in ſociis alicujus negotiationis.

At, (quæ ſecundæ partis ſpecies eſt) finge non partem, ſed communem pecuniam totam Primum inconſultis ſociis credidiſſe: An creditam effecit? Minime vero; quia ſuæ partis tantum alienationem habuit. Notanda ſunt hæc verba *quia ſuæ partis*, quibus ſcilicet edocemur pecuniam illam totam fuiſſe communem: quod alieniſſimum eſt a ſpecie quam fingit Merillius, cum ait ſocium de quo hic agitur, omnium bonorum fuiſſe ſocium & tamen propriam pecuniam habuiſſe, puta ſi poſt contractam ſocietatem ex legato, aliave cauſa aliquid ei obvenerit, necdum ſociis communicaverit: hæc, inquit, non communicantur, adeoque fuerunt ſocio propria. Verum eſt hoc quidem Merilli! ſed ad rem an ſit, & tibi patrocinetur liceat expungere? Diſpice vero tu ipſe quam male conveniat hæc ſpecies & tota tua ratiocinatio verbis illis, *quod ſi communem numeravit*: & iſtis *ſuæ partis tantum alienationem habuit*. Negas communem pecuniam, Juriſconſultus dicit communem: Idem Juriſconſultus agnoſcit creditam pro parte tantum, tua ratio facit ut in totum credita ſit. Quid reſtat? quo te eripias? Dicas forte non toti legi, ſed initio legis tantum te ſpeciem adfingere: ſed fuge hoc dicere, ne audias intempeſtivus monitor, ſcilicet qui propoſita ſimpliciter quæſtione an in ſpecie *d. legis 16.* contracta fuerit ſocietas omnium bonorum? unicam ſimplicius ſpeciem poſuiſti, mox dicas te ſpeciem illam tuam reſtringere ad partem unam. At Cujacius idem ſenſit! Non ego, quid ille hoc loco, ſed quid tu Merilli doceas, inquiro, & noto.

Sed de Cujacii variatione quærere penſum noſtrum eſt: hoc agamus. *Libro* ille 23. *Obſerv. cap. 27.* adfinxit ſpeciem *dictæ legi 16. D. de Reb. cred.* in ſociis non omnium bonorum: At *libro 32. Pauli ad Edictum*, ſpeciem poſuit in ſociis omnium bonorum: ergo variavit. Reſpondeo Cujacium *dicto lib. 32. ad Edictum* non ſimpliciter ponere ſpeciem in ſociis totorum bonorum, ſed in omnibus ſociis, verba ejus ſunt, *ut ſi ſint tres ſocii certæ negotiationis vel etiam omnium bonorum &c.* Noli igitur Merilli hunc locum ita obſervationibus opponere, ut quidquam contrarium habeat, licet uberiorem explicationem contineat. Jam hoc inter

nos

Source : BIU Cujas

nos ut existimo transactum, plus minusve de eadem re variis locis dictum, variationem non facere.

DISPUNCTIO XVII.

An *lex Vinum* 22. *D. de Rebus creditis*, referenda sit ad condictionem certi, vel ad condictionem triticariam?

Lex vinum 22. *D. de Reb. creditis*. ait, *Vinum quod mutuum datum erat, per Judicem petitum est: quæsitum est, cujus temporis æstimatio fieret, utrum cum datum esset, an cum litem contestatus fuisset, an cum res judicaretur? Sabinus respondit, si dictum esset quo tempore redderetur, quanti tunc cum petitum esset, &c.*

Interpretes quærunt qua actione vinum petitum sit? an triticaria, quæ de æstimatione est, an condictione certi? Quæstio & lex cui hodie non nota? quæ diatribæ eam non habent? tam est in disputationibus scholasticis frequens, quam vini usus quotidianus: Et quod ait Cujacius temulentos pleraque ad eam scribere quosdam Interpretes, non ausim ipse dicere: sed ira permotum adeo virum alias fortissimum mihique nunc & olim amicissimum in ea agitanda, dum suam ratam esse vult opinionem, aliquando infensum sensi, ut cum duriusculum aliquid & forte subcontumelioſum arbitrio suo oblocutus essem, subinde ab eo vapularem & quasi temulentus ego ob impactum non perfunctorie sane colaphum viderer mihi videre micantes igniculos, stellulasque media luce discurrentes: quæ tamen apud me castigatio non tantum effecit, quantum bona ratio potuisset. Nefas id vereri de Merillio, cujus nec tela eminus feriunt, neque animus, ut puto, sine causa excandescit.

Ast illi me mea sors opponit, ut & *hoc capite* censeam nulla eum ex parte stare cum Cujacio, & in *d. l. vinum* 22. judicium cœpisse a certi condictione, mutatumque subinde, vel temperatum adjectione formulæ triticariæ. Et vero cui certum debetur ex mutuo vel stipulatione, ille non nisi stricta actione petere potest: & quemadmodum aliud pro alio invito creditori non solvit debitor, ita nec a debitore aliud pro alio pura intentione petere creditor potest. §. *si quis aliud pro alio* 35. *Instit. de act. l.* 2. §. 1. *D. de Reb. cred.* Quis adeo imprudens est, qui cum frumentum debeatur, pecuniam petat? inquit Tullius *Verrina* 3. *cap.* 82. At triticaria condictione non petitur quod est in obligatione: Igitur in specie *d. legis Vinum* 22. ab initio, triticaria actum non est. Lex ait *Vinum petitum est*: formula igitur fuit hæc, *Si paret adversarium vini amphoras tot, dare oportere*. Vinum autem non habente debitore, nec valente ejusdem bonitatis, qua ei datum erat reddere, communi consensu ad triticariam ventum est: vel ab initio formulæ condictionis certi, creditor hanc clausulam adjecit, (nisi mallet reus æstimationem solvere) quomodo usu forensi hodie (*le demandeur conclud au payement de telle quantitè de bled, vin, &c. & subordinement, ou si mieux n'aime le deffendeur en payer l'estimation, au dire de gens à ce connoissans*) quod auctoribus nostris est, (boni viri arbitratu, vel officio judicis.) Hic est usus fori, qui cum fere totus ex jure Romano prodierit, multum etiam ei intelligendo conducit: ut justissime indignentur quidam, non invitari forenses homines ad capessenda studia nostra, quomodo ex sapientibus plerique olim, a rerum administratione feliciter sese ad contemplandam rerum naturam transtulerunt, quod de Thalete scribit Diogenes *lib.* 1., & de Pythagora, Democrito, & Anaxagora Marcus Tullius *lib.* 3. *de Oratore cap.* 15.

Ex his apparet in specie *legis Vinum* 22. potuisse agi certi condictione, mixta seu temperata formula adjectione triticariæ formulæ, vel certe confestim immutata & emendata intentione ex consensu, & maxime id desiderante debitore, & judice ad id sese accommodante, ut apud Ciceronem *lib.* 3. *in Verrem cap.* 82. *Nemo*, inquit, *initio fuit tam impudens, qui cum frumentum deberetur, pecuniam poscceret. Certe hoc ab aratore profectum est, aut ab ea civitate cui imperabatur, cum aut frumentum vendidisset, aut servare vellet, petivit in beneficii loco & gratiæ, ut sibi pro frumento, quanti frumentum esset, dare liceret: ex ejusmodi principio atque ex liberalitate atque accomodatione Magistratuum, consuetudo æstimationis introducta est*. Neque aliter Cujacius usquam.

Imo inquit Merillius, ad lib. 4. Juliani ex Minicio, Cujacius ait vinum in *hac l.* 22. petitum fuisse condictione triticaria, vel condictione certi, & factam esse æstimationem vini (quod notandum) in condictione certi. Aliter vero idem Cujacius, *tractatu* 3. *&* 8. *ad Africanum*. Nam (inquit Merillius) *in l. centum Capuæ* 8. *D. de Eo quod certo loco, laudata lege Vinum* 22. & aliis quibusdam, accipiendas eas esse ait de condictione triticaria, non de condictione certi.

Nego vero, Merilli, hæc verba, quæ tu nimis audacter & leviter profers, protulisse Cujacium, *factam esse æstimationem vini in condictione certi*. Ne igitur imponamus illi, & fateamur, & agnoscamus ingenue, ubique Cujacium sensisse vel ab initio actum esse triticaria ex consensu debitoris, vel condictione certi, quæ tandem ad triticariam redacta fuerit fatente reo se debere, & in confitentem cessantibus judicis partibus. Proferam tibi alium ejusdem Cujacii locum, *lib.* 2. *definitionum Papiniani*, in *l.* 28. *D. de Novat.* ubi duplex stipulatio proponitur, una fundi Corneliani, altera æstimationis ejus: Ex utraque, inquit Cujacius, agi potest, quia cessat novatio; hoc tantum interest quod ex priore si agatur condictione triticaria ad æstimationem scilicet, puta ut si non fundus qui stipulatione continetur, saltem fundi æstimatio præstetur, ut *l. vinum* 22. Nota illa verba, *ut si non fundus*, quæ omnino confirmant eum, quem supra diximus usum esse forensem, & instituendis actionibus aptissimum. Observa denique, nil tale censere Cujacium, in condictione certi, rei petitæ fieri æstimationem.

Hic opportune subjiceretur quæstio, An cum res petitur condictione triticaria, æstimatio fieri debeat ex litis contestatæ tempore? sed cum eam Merillius rejicit in *caput* 22. Nos qui eum æquis (hac in re) passibus sequimur, & eo loci consequemur. Nec mihi nunc tamen temperabo, quin quod Merillius hic omisit, admoneam (qui tamen hic antevertit scribere aliter fieri æstimationem rei debitæ in bonæ fidei judiciis, aliter in strictis, scilicet

Source : BIU Cujas

licet in his ex tempore petitionis, in illis rei judicandæ:) & dicam differentiam petendam eſſe ex formularum diverſitate.

In bonæ fidei judiciis formula totum ad arbitrium judicis negotium refert ut tanti damnetur debitor, quanti judici æquum videbitur tunc cum rem judicabit: in ſtrictis autem judiciis, formula tempus præſens, id eſt, ipſum petitionis in jure tempus reſpicit, ſi non dies & locus obligationi adjectus ſit.

DISPUNCTIO XVIII.

De diſtinctione jurisjurandi in voluntarium, neceſſarium, & judiciale.

RUbrica tituli Digeſtorum *de Jurejurando*, triplex facit jusjurandum: voluntarium, neceſſarium, & judiciale. Græci paulo aliter, ſi verba ſpectes qui ſcripſerunt περὶ ὅρκου ἐπακτοῦ ἢ ἀντεπαγομένου ἢ δικαστικοῦ. Certe quodnam ſit voluntarium a nullo pleniſſime demonſtratum vidi. Nec Cujacius *ad lib.* 5. *Sententiarum Pauli tit.* 32. (quidquid objiciat Merillius) voluntarium definivit præciſe ac nominatim, ibi enim hoc tantum habet neceſſarium jusjurandum ex conventione proficiſci, ſicut & voluntarium. Nec *in Obſervationibus lib.* 12. *cap.* 35. ubi promiſcue voluntarium, aut neceſſarium jusjurandum dici ait, quod a parte delatum eſt: nec diſtinguit in judicio, an extra judicium. In Paratitlis autem Digeſtorum aperte quidem tradit voluntarium jusjurandum eſſe, quod a parte defertur in judicio, vel extra judicium, neceſſarium vero quod refertur, nec ibi tamen demonſtrat quare ita denominetur. Non igitur palam ſibi obloquutus eſt Cujacius in operibus quæ ipſe edidit. Reſtat igitur ut Merillius cuniculos ſuos repetat, & ex Poſtumis probationes petat, ideſt, ex prælectionibus ab ipſo Cujacio prælis mandari vetitis, quas ſi valere contra Cujacium Merillius ſtatuit, pene eſt ut & legata valere dicat relicta nedum in Codicillis teſtamento non confirmatis, ſed etiam prohibitis. Age vero quid profert? Locum ex prælectione quadam ad *l. Jusjurandum* 17. *D. de Jurejurando* lib. 18. Pauli ad Edictum. *Aliud autem eſſe neceſſarium quod ſcilicet, ut Græci rectius interpretantur quam Latini, pars parti defert in judicio: quod & ex conventione, nimirum ex placito litigantium quodammodo proficiſcitur, maxime ſi ſuſcipiatur ab eo cui defertur.* Et poſtea. *Et hoc jusjurandum neceſſarium dicitur, quoniam Prætor, ut Edicto profitetur, eum cui pars detulit jusjurandum, aut ſolvere aut jurare cogit, videlicet ſi nolit referre, l.* 34. §. *ait Prætor 6. D. hoc tit. de Jurejur.* Ex his verbis, an aliud elicias quam quod eſt ad *lib.* 5. *Sententiarum* Pauli & *in Obſerv. libro* 18. *capite* 35.? Non ſane. Quæ tua igitur Merilli objectio hic? Nolo diſſimulare: Merillius omiſit quod ſuæ cauſæ longe magis patrocinabatur. Præterea enim Cujacius ad *d. l.* 17. *de jurejur. lib.* 18. Pauli ad Edictum, habet; *Jusjurandum ex conventione partium extra judicium deferri, nec referri poſſe:* Jusjurandum igitur voluntarium referri non poſſe: aliud autem eſſe neceſſarium, quod ſcilicet pars parti defert in judicio. Sed velim etiam animadverti eo loci, non plane inficiari Cujacium, neceſſarium jusjurandum aliqua ratione voluntarium eſſe, cum ait *ex conventione, & ex placito litigantium proficiſci*. Ut quid Accuſator non objiciebat & commentationem ad *leg.* 1. *Cod. de reb. cred.*?

Nunc quid ex ſuo jecore promat Merillius, videre liceat! *In iſta*, inquit, *Græcorum & Latinorum varia diſtinctione triplicis jurisjurandi, probarem magis, &c.* An fuit apud Græcos & Latinos varia diſtinctio jurisjurandi? Secundum te quidem Merilli non fuit varia diſtinctio, ſed varia interpretatio. Initio quidem hujus capitis ſcripſiſti, non modo Græcos interpretes a Latinis, ſed & Græcos inter ſe, & Latinos inter ſe quoque diſſenſiſſe; Græcos in Ecloga Baſilicῶν, *lib.* 22. *tit.* 5. aliter diſtinguere: aliter Balſamonem in *Nomocanone* Photii *tit.* 13. *cap.* 18. ubi quatuor jurisjurandi ſpecies conſtituit. Mox rem omnem repetens: *In iſta*, inquis, *Græcorum & Latinorum varia diſtinctione triplicis jurisjurandi, probarem magis voluntarium eſſe quod defertur extra judicium*. Hæc non diſtinctio varia, ſed (ſi mihi ſana mens eſt) interpretatio eſt. Quid igitur ais, *in iſta varia diſtinctione*? Deinde, quid facis Balſamonem aliis Græcis adverſum quod 4. jurisjurandi ſpecies, (imo quinque) conſtituerit? An non & alii pariter Græci ultra ſpecies juriſjurandi litis deciſorii, agnoverunt ſpecies illas juriſjurandi in litem, & juramenti calumniæ? περὶ συκοφαντίας. *Eclog. libro* 22. *in ipſo tit.* περὶ ὅρκου, &c. Et *cap.* 32. Et *titulo ſequenti*, περὶ ὅρκου ἐκδικαμένου. Ergo in diſtinctione Greci minime inter ſe diſſenſerunt. Sed nec Latini profecto. In interpretatione autem, quæſo te Merilli, quid habes quo Græcorum inter ſe diſſenſionem probes? Sperabam aliquid, fruſtraſti me.

In re ſatis perplexa, atque incerta, dum cuique licet eſſe ingenioſo; Merillio videtur in tanta opinionum varietate, voluntarium jusjurandum eſſe quod defertur extra judicium: *Quia*, inquit, *nemo jusjurandum ſibi delatum extra judicium, ſuſcipere, aut referre cogitur: ergo voluntarium eſt*. Mihi contraria longe reſedit opinio. Et quia cœpi me immiſcere honeſtiſſimorum hominum gregi, audacior factus jam, audebo nova proferre, & aliquid obſervare. Hoc cenſeo, voluntarium & neceſſarium jusjurandum inter ſe diſtingui ab effectu: Et ſpecies omnes, quæ de jurejurando tractant ſive voluntario ſive neceſſario, non eſſe de interponendo, ſed de interpoſito: his porro conſequens eſſe, illud omne neceſſarium eſſe jusjurandum, cui neceſſario ſtandum ſit, ac proinde neceſſarium eſſe id quod etiam extra judicium delatum ſit, atque interpoſitum. Et vero cum dicunt Jureconſulti delato jurejurando finiri litem, hoc intelligimus, delato & præſtito: omni enim modo cuſtodiri debet, *l. qui juraſſe 26. D. de Jurejurando*. Ita *l.* 1. *Cod. de reb. cred. Cauſa*, inquit, *jurejurando ex conſenſu utriuſque partis, vel adverſario inferente, delato & præſtito, vel remiſſo deciſa, nec perjurii prætextu retractari poteſt*. Hæc verba *ex conſenſu utriuſque partis*, referenda ſunt ad jusjurandum tam delatum, quam relatum, vel certe ad extrajudiciale. Hæc autem *vel adverſario inferente*, ad id quod in judicio delatum eſt. Reliqua legis neceſſitatem utriuſque demonſtrant.

Quod

Source : BIU Cujas

Quod delatum est in judicio, utique postquam interpositum est, necessitatem habet : & ideo nocere dicitur ei qui detulit, *l. 7. §. 7. D. de publiciana in rem act.* Extra judicium quoque interpositum, non minorem auctoritatem, ac necessitatem habet: Nam delata extra judicium conditione jurisjurandi & conventioni & religioni standum est, æque ac si in judicio juratum sit, *l. in duobus* 28. *§. ult. D. hoc tit. de Jurejurando. l. si deferente* 13. *D. Quibus modis pig. vel. hypotheca solvitur.* Tantam habet necessitatem id quod delatum est, quantam illud quod est relatum, *§. ult. Instit. de fideicom.* & multis casibus jusjurandum defertur tantum, non etiam refertur, *l.* 12. & 13. *D. Rerum amot.* Et plerumque satis habent Auctores nostri casum unum notare, ut & alius intelligatur, *l. 6. §. 4. D. de Iis qui not. infam.* & *§. 5. Instit. de exceptionib.*

Itaque duæ species Jurisjurandi non sunt, delatum, & relatum : sed potius una species, quæ habet duos casus, ut dicitur de illa conditione, si viginti dederit, aut juraverit, *l. 26. D. de Condit. & demonst.* Et inde sequitur litis decisorium non esse triplex, ut est creditum hactenus ab omnibus, sed duplex tantum, Necessarium scilicet, & Judiciale: Indeque Auctoribus nostris assiduum esse, hæc duo tantum genera conjungere ac commemorare. Rem tibi novam nuntio Merilli; Enimvero desinet esse nova magnanimis & veri amantibus, qui vim legum attendent, ut *legis* 1. *D. hoc tit. Maximum remedium expediendarum litium in usum venit jurisjurandi religio, qua vel ex pactione ipsorum litigatorum, vel ex auctoritate judicis deciduntur controversiæ.* En tibi duplex tantum jusjurandum, conventionale scilicet, & judiciale. Item *legis* 31. *D. eod. tit. Admonendi sumus*, inquit, *interdum etiam post jusjurandum exactum, permitti constitutionibus ex integro causam agere.* & infra. *Sed constitutiones locum habent cum a judice quis absolutus sit. Solent enim sæpe judices in dubiis causis exacto jurejurando, secundum eum judicare qui juraverit. Quod si alias inter ipsos jurejurando transactum sit negotium, non conceditur eandem causam retractare.* Hic differentia notatur utriusque speciei : quod scilicet ex constitutionibus, judiciale jusjurandum nonnunquam retractari possit, conventionale autem non possit. Ergo quod est conventionale, id ipsum necessarium est, sive delatum sit, sive relatum. Necessarium igitur unam speciem facit, alteram, judiciale. Quod si ita est; ubinam tertia ? Quodnam est voluntarium jusjurandum ? Dicam illud esse quod ultro datur ab eo, qui ex mera voluntate irrequisitus, ideſt, non delata conditione jurat: de quo dubitari potuit, an vim aliquam haberet, argumento *l. Si fine 9. D. de Interrogat.* ubi qui sponte interrogatus dixit se hæredem esse, pro interrogato habetur. Et fortior dubitandi ratio fuit propter religionem, quæ semper aliqua est, etiam in eo qui nemine deferente juravit. Quo pertinet *lex Ait Prætor 3. in princ. hoc tit. de Jurejurando.* in qua opponitur tale Jusjurandum Necessario jurijurando, ideſt, ei quod delata conditione juratum est: Ulpianus, *Ait Prætor (si is cum quo agetur conditione delata juraverit) Nec frustra adjicitur (conditione delata). Nam sive reus juravit nemine ei jusjurandum deferente, Prætor id jusjurandum non tuebitur, sibi enim juravit.* Et tale jusjurandum sponte datum, dicitur ultro interpositum, *l. Si legatarius* 23. *D. de Dolo.* ultro, ideſt, sine pactione. Seneca *Suasoria 7. Merito hercules illo tempore vixisti, quo Cæsar ultro te rogavit ut viveres, sine ulla pactione.* Et Græci satis intellexerunt spontanei hujus jurisjurandi nullum esse effectum, *lib. 22. Synopsis Basilic. tit. 5. cap. 1.* ὁ μηδενὸς ἐναγοντος ὅρκος οὐκ ὠφελεῖται. Quapropter tentari potest & dici in gratiam eorum, Titulum illum suum περὶ ὅρκου ἐπακτοῦ καὶ ἀντεπαγομένου καὶ δικαστικοῦ de voluntario nihil continere, sed de judiciali tantum esse, ac de necessario, quod ut docent priora verba, delatum est, vel relatum. Alias enim si κατὰ πόδα voluissent latinam Rubricam exprimere, promtissimum erat eis reddere imitando ut plerumque faciunt, περὶ βολουμπταρίου καὶ νεκεσσαρίου &c. vel sua elegantia & ἰδίῳ λόγῳ, scribere περὶ ὅρκου ὁμοτέου, εἴτε ἀναγκαίου.

Ait Merillius, necessarium esse quod a parte parti defertur in judicio, vel refertur. Imo vero, ea de causa voluntarium dici deberet, quia ultro defertur : necessarium vero illud rectius diceretur quod relatum esset, propter referendi necessitatem. Papinianus, *Si jurejurando*, inquit, *delato, deberi tibi juraveris, cum habeas eo nomine actionem: recte de constituta agis. Sed etsi non ultro detulero jusjurandum, sed referendi necessitate compulsus id fecero, quia nemo dubitat modestius facere qui referat, quam ut ipse juret: nulla distinctio adhibetur, tametsi ob tuam facilitatem ad meam verecundiam subsecuta sit referendi necessitas.* Ita Papinianus *l.* 25. *§. 1. D. de Constituta pec.* Ex qua plerique, voluntarii & necessarii jurisjurandi denominationem formant. Quibus (nisi superior illa nostra observatio ac demonstratio potior esset) proclivius quam Merillio adhærerem.

DISPUNCTIO XIX.

An species *legis ultimæ D. de Condictione causa data causa non secuta*, constituenda sit in permutatione, vel alio contractu innominato?

CElsus in *l. ult. D. de Condict. causa data*, &c. ait, *Dedi tibi pecuniam ut mihi Stichum dares, utrum id contractus genus pro portione emtionis venditionis est, an nulla hic alia obligatio est, quam ob rem dati re non secuta ? in quod proclivior sum. Et ideo si mortuus est Stichus*, &c.

Cujacius in omnibus quæ edidit, Græcorum se sententiæ semper accedere testatus est, ut putaret quod illi : Permutationem in *hac l.* contractam fuisse, quasi pecunia non pro pretio Stichi, sed velut res & merx aliqua pro re alia data & commutata fuerit. Merillius tamen & ex prioribus objicit commentarium ad *l. 7. D. de Pact.* quo loci contendit Cujacium Græcos rejicere. Imo vero: cum aliud quidpiam Cujacius ibi afferere tentat, tantum Græcis tribuere videtur, ut non obscure significet eorum auctoritate se retineri. Verba ejus sunt. *Nec obstat lex ult. de cond. causa data, in cujus causa nec emtio, nec forte (si Græci interpretes ferrent, qui me addubitare faciunt)*

permu-

Source : BIU Cujas

permutatio contrahitur. Eſt ne hoc Græcos rejicere? Conſule Auguſtinum, An ſtet ille contra Eccleſiam, qui audaculum aliquid prodere geſtiens, id ſe fatetur non audere, veritus Eccleſiæ auctoritatem!

Multo minus moveor aliis locis Poſtumorum operum, in quibus præterquam quod licuit ei ludere atque exercere ſe: ita tamen egit, ut Græcos nuſquam aperte (quidquid Merillius ei objiciat) rejecerit. Et certe, ad Papinianum (quod eſt opus ad ea quæ Magiſter probavit proxime conjungendum) ſcilicet ad *l.* 17. *D. de Præſcr. verb.* Græcos apertiſſime conſequitur. *Et ita*, inquit, *in l. ult. D. de Cond. cauſa data, ſi dedi tibi pecuniam non veluti pro pretio, ut mihi Stichum dares, permutatio eſt quaſi mercis cum merce: (non pecunia ſemper vice pretii fungitur, ſed etiam mercis): & adjiciunt Græci recte, eſſe permutationem*. Imo auſim affirmare, & lib. 33. ad Edictum Pauli, id eſt, *ad l.* 1. *D. de Rerum permut.* (quam l. recte Cujacius vindicavit illi libro 33.) & ad *Tit. Cod. de Rerum permut.* Cujacium a priore opinione non receſſiſſe. Quis enim non animadvertat totam eſſe plenam erroribus recitationem illam *legis* 1. *D. de Rerum perm.* ab illo loco col. 544. *& in hoc eſt labor.* & in *d. tit. Cod. de Rerum perm.* In quo cum ſtatuiſſet Cujacius nihil intereſſe inter articulum *do ut des* & permutationem, eoque nomine Accurſium reprehendiſſet, quod putaret eo differre permutationem a tractatu ſive articulo *do ut des*, quo ſpeciem a genere: in calce tamen aliud plane colligat; ut non difficile quis ſibi perſuadeat (ſi modo diligens ſit in perluſtrandis & explorandis illis locis) magnam exceptorum indiligentiam fuiſſe in conſcribendis illis recitationibus, & magnam oſcitantiam eorum, quorum ſtudio fideique, ut recenſerentur, concreditæ fuerunt.

Merillius, magis probarem, inquit, permutationem non proponi in *d. l. ult.* Nam (hæc eſt Merilliana ratio) ex permutatione datur actio præſcriptis verbis: At ex negotio propoſito in *d. l. ult.* Celſus ait condictionem eſſe ob rem dati. Ergo tale negotium permutatio non eſt. Facile vero reſpondeat Cujacius, nec ſemper ex permutatione præſcriptis verbis actionem eſſe: & certe non eſſe, ſi non interſit. Nam & alias ubi præſcriptis verbis actio eſt, ſi non interſit, denegatur, & ſola condictio datur *arg. leg.* 5. §. 4. *D. de Condict. cauſa data, & leg.* 7. *D. de Præſcript. verb.*

Tres alias rationes dediſſe ſe ait Merillius, *libro* 2. *ſuarum Obſervat. cap.* 14. Expendamus & eas. *In permutatione*, inquit, *cum ab altera parte res tradita initium permutationi dederit, res quæ contra dari debet, periculo eſt illius, cui dari debet*. At in *d. l. ult. D. de Condict. cauſa data. Stichus non perit Titio qui pecuniam dederat*. Ergo in *d. l. ult.* permutatio non proponitur. Huic argumento Cujacius, *lib.* 23. *Obſerv. cap.* 29. collatis iis quæ edidit ad *l. ſi fundus* 33. *D. Locati. tract.* 8. *ad Africanum* ita reſpondet, Stichum, qui dari debebat in ſpecie *d. l. ult.* perire dici ei cui debebatur, quomodo & res perire dicitur ei cui debetur, licet quod dederit repetat, ut in emtione venditione in caſu *dictæ legis Si fundus* 33. *D. Locati*.

Secunda ratio eſt. In permutatione ſi rem alienam permutationis cauſa acceperim non prius agere potero præſcriptis verbis actione, quam res evincatur, *l.* 1. §. 1. *D. de Rerum perm. l. ſi permutationis* 29. *Cod. de Evict.* At in ſpecie *d. legis ult.* ſervo alieno tradito mihi, necdum evicto, pecuniam condicere poſſum. Ergo permutatio non eſt. Poſſit quis negare propoſitionem: quæ revera non probatur *legibus* a Merillio *citatis*, ex quibus tantum hoc efficitur, evicta re permutata, eſſe locum actioni in factum, ſive præſcriptis verbis; non etiam hoc, non eſſe locum ei actioni niſi in caſu evictionis: nec Logicæ artis præcepta tum hic, tum alibi (& ſane per crebro) ſervat Merillius: quod mihi ſatis nunc ſit dicere, eandem alioqui cauſam tuenti, ſed non iiſdem rationibus. Enimvero dico, etiam in permutatione aliquando locum eſſe ſoli condictioni, ſi vel ita velit compermutator, ut probat *l.* 1. *Cod. de Rerum permut.* illo loco, *quod datum eſt, ſi hoc elegeris, cum ratione reſtitui poſtulabis*. Idem probat *l.* 4. 5. *& pen. C. eodem tit.*

Tertia denique Merillii ratio eſt. In permutatione; ob non præſtitam cautionem evictionis, res contra permutata non repetitur, ſed tunc ſolum cum evicta eſt, præſcriptis verbis agitur. At in *d. l. ult.* pecunia, inquit, repetitur. Ergo in *d. l. ult.* permutationis ſpecies non verſatur. Ad hanc vero ratiocinationem, quis pro Cujacio non requirat probationem ejus quod dicitur, ob non præſtitam cautionem, rem permutatam non repeti? Neque certe probatur hoc *d. l.* 1. § 1. *de rerum perm.* quæ cum dicat in factum actionem dari re evicta, non denegat repetitionem rei contra permutatæ ſi non caveatur. In ſumma tribus caſibus a Celſo propoſitis in *d. l. ult.* non poterit agi præſcriptis verbis, condictione ob rem dati recte agetur: & illi caſus a Celſo ideo proponuntur ut doceat, quantum ab emtione aliena ſit hypotheſis *dictæ legis ultimæ*, non ut a permutatione diſtare videatur.

Hæc a me ita dicta ſint, quo doceam inefficacem adverſus Cujacium totam eſſe operam Merilljanam: Neque vero ſentio permutationem eſſe in *d. l. ult. de condict. cauſa data*; ſed ob rem dati ſpeciem quæ ut permutatio non eſt, quia non res pro re data eſt, ſed pecunia: ita neque emtio, quia dari utrinque convenit, id eſt, dominium transferri, quod abhorret a venditione: Nec dicam tamen abhorrere a permutatione, quaſi in eo conveniant emptio & permutatio, ut putat & hic ſcribit Merillius (ſine lege tamen) & infra *cap.* 28. ubi rem plenius excutiemus. Quod ſi quis mihi objiciat, quod ſibi non objecit Merillius, articulum *do ut des* eſſe permutationem, nec latius patere; ut contra Accurſium Cujacius probare nititur ex *l.* 5. §. 1. *D. de Præſcr. verb.* Reſpondere mihi facile ſit, non probare *dictam l.* 5. *do ut des*, ſimpliciter eſſe permutationem, ſed ſi *rem do ut rem accipiam*, hoc eſſe permutationem: ſi pecuniam do ut res mihi detur, hoc non eſſe permutationem, ſed ſpeciem ob rem dati, & nihil eſſe verius illa traditione Accurſiana, *do ut des*, genus eſſe ad dationem rei pro re, & dationem pecuniæ pro rebus. Nec moveor ea objectione, pecuniam ut rem ſive ut ſpeciem in *d. l. ult. D. de condict. cauſa data*. non ut quantitatem datam eſſe. Etſi enim concedam non proprie pecuniam

Source : BIU Cujas

niam ut pretium datam esse, non concedam tamen non esse datam ut quantitatem: imo vero contendo datam esse ut quantitatem: & toto illo *titulo De conditione causa data*, perinde est pecuniam datam esse, vel decem data esse, ut probatur *l. 3. in pr. §. 5. 6. & 7. & l. si pecuniam 5. eod. tit.* & tribus postremis *ll. Cod. eodem*. Sit hæc regula Tituli *de condict. causa data*. Quoties pecunia datur ut quid fiat, vel ut quid detur; si non fiat vel detur, condictioni locus est. De faciendo sunt pleræque fere omnes leges ejusdem Tituli: de dando maxime est illa lex ultima, quæ tractatui absolvendo omnino necessaria erat, & in qua verba illa *An nulla hic alia obligatio est quam ob rem dati, re non secuta? in quod proclivior sum*. Liquido demonstrant neque emtionem, neque permutationem proponi, sed his admodum affinem speciem, quæ nihil aliud sit, quam ob rem dati obligatio.

DISPUNCTIO XX.

An pupillus naturaliter obligetur absque tutoris auctoritate?

EST & hæc quæstio de trivio scholæ: de vetere carmine carmen, de quo & Merillius in suis *observationibus*, adeo ut crambem recoctam videatur apponere. Sed cum tam multa vulgo ad hanc quæstionem & scribantur & disputentur, nec satis vera: non possumus & nos ut verum inveniamus, etiam non multa dicere & tractare. Regula est ex Licinii Rufini lib. 8. *Pupillus mutuam pecuniam accipiendo nequidem jure naturali obligatur, l. 59. D. de Oblig. & act.* Et ita in *l. 41. D. de Condict. indeb.* Neratius, *Quod pupillus sine Tutoris auctoritate stipulanti promiserit, solverit, repetitio est: quia nec natura debet.*

Contra vero in *l. 21. D. ad l. Falcid. Si pupillus cui sine tutore actore decem mutua data sunt, legatum a creditore meruerit sub hac conditione si decem quæ acceperit, hæredi reddiderit: una numeratione dicitur & implere conditionem, & liberari naturali obligatione*. Itemque in *l. 1. D. de Novat. in fin. Qualiscunque igitur obligatio sit quæ præcessit, novari verbis potest, dummodo sequens obligatio aut civiliter teneat, aut naturaliter; ut puta si pupillus sine tutoris auctoritate promiserit.*

Hanc dissidii speciem varie varii conciliant. At unum eundemque Cujacium vult Merillius ita varium esse, ut nec uno quidem loco consistat. Ait enim eum ad §. *Præterea 3. Inst. quibus modis toll. oblig.* primo dicere, obligationem pupilli nullam esse, ideſt, nec civilem nec naturalem: mox sine distinctione, pupillum naturaliter obligari. Textus Institutionum est de novatione, qui quidem respondet *dictæ legi 1. D. de Novat.* hisce verbis. *Nam interventu novæ personæ nova nascitur obligatio: & prima tollitur translata in posteriorem, adeo ut interdum licet posterior stipulatio inutilis sit, tamen prima novationis jure tollatur: veluti si id quod tu Titio debeas, a pupillo sine Tutoris auctoritate stipulatus fuerit, quo casu res amittitur, nam & prior debitor liberatur, & posterior obligatio nulla est.* Ad hæc postrema verba, Cujacius in prioribus notis aperte ait, *si pupillus factus sit locupletior, jure naturali eum obligari*. In posterioribus, an contrarium? Admove aurem! *Nulla* (inquit) *obligatio est quia non civilis*, & addit, *naturalem tamen esse ponendum est*. Qua igitur Merillius fiducia, scribit Cujacium dicere nullam nec civilem nec naturalem? Priore loco dixit naturalem esse pupilli obligationem, si locupletior esset factus, posteriore, naturalem esse fassus est: Qui utrobique naturalem agnovit obligationem, an is jure merito sibi contrarius esse dici potest? Justius paullo Merillius magistrum notasset, quod dixisse videretur pupillum non civiliter, sed naturaliter tantum fuisse obligatum, etiam locupletiorem factum: nisi quod *citata l. naturaliter 13. & l. seq. D. de Cond. indebit.* videatur Cujacius rem ad merum jus retulisse semota ratione Juris constituti, ideſt, constitutionis D. Pii in *l. 3. D. Commod.* Sed & aperte falsum est (quod dicere doleo) Cujacium *ad Tit. de verb. oblig.* scribere sine distinctione, pupillum naturaliter obligari: sic enim loquitur, *Itaque impubes mutuam pecuniam accipiendo, obligatur naturaliter æquitate & ratione naturali si ex ea factus sit locupletior*: An hoc est sine distinctione? Audio hæreticos male audire, etiam ante aliquot sæcula, quod scripturas proscinderent, ut frustulatim productis authoribus, causam ipsi suam authoritatibus tueri viderentur. Clemens Alexandrinus *lib. 7. Stromaton* Ἐκλεγόμενοι τὰ ἀμφιβόλως εἰρημένα εἰς τὰ ἰδίας μετάγοντι δόξας, ὀλίγας σποράδην ἀπανθιζόμενοι φωνάς qua iniquissima conditione, nec leges civiles uti nos patiuntur in judicando, & discernendo. At Merillium non piget etiam in accusando!

Ergo in quæstione proposita una perpetuaque fuit Cujacii sententia, pupillum sine tutoris auctoritate ante Rescriptum D. Pii, non aliter obligari, vel naturaliter, quam si locupletior factus esset: post Rescriptum, etiam civiliter.

Merillius autem non veretur (contra fidem initio pactam) Cujacium deserere, & ignotorum magis opinionem probare. Alii, inquit, aliam distinctionem afferunt, pupillum pubertati proximum naturaliter obligari, licet locupletior factus non sit, sed remotum a pubertate, non aliter, quam si locupletior factus sit; & hanc, inquit, distinctionem magis probarem.

Ego vero & authoritare carere puto ejusmodi distinctionem, nec satis idonea ratione subnixam: carere dico auctoritate, quia in delictis tantum & criminibus, nec in omnibus, hanc distinctionem induxere juris auctores: ut cum Gajus dixit *pupillum, qui proximus pubertati sit, capacem esse furandi, & injuriæ faciendæ, l. 111. D. de Reg. jur.*. Et Ulpianus, *Actionem vi bonorum raptorum in impuberem non dari, qui doli capax non sit, l. 2. §. vi bonorum 19. D. Vi bonorum rapt.* Ratione etiam caret. Nam in negotiis civilibus atque adeo in commerciis exercendis, jus certum esse oportuit, & notas personas quibus certis ex causis commercio interdictum esset; cujusmodi sunt prodigi, furiosi, & his plerumque haud absimiles impuberes: ne in singulis speciebus adhibenda causæ cognitio esset, an pupillus intellectum rei habuisset, satiusque fuit certum tempus constituere, quo possent homines sese adstringere secundum

Source : BIU Cujas

dum æquitatem ſaltem naturalem, quod viderentur jam rerum non eſſe ignari, ut certa ætas definita eſt qua majores quaſi impleto virili vigore haberentur, *l.* 1. *D. de Min.* & certa, qua homines, completa pueritia in publicum procederent, *l.* 1. §. 3. *D. de Poſtulando*. Contra in delictis, quia nec paſſim nec propalam, ſed raro & clanculum & in invitos perpetrantur, inquirendum merito fuit an ea perſona quæ deliquiſſe diceretur, ejus ætatis eſſet in quam dolus malus caderet, imo & illud nonnunquam, an locupletior ex dolo facta eſſet, ut eſt in *l. Heredibus* 13. *D. de Dolo*. puta ſi dolum pupillus commiſiſſe diceretur in depoſito, *l.* 1. §. *in pupillum* 15. *D. Depoſiti*.

At (inquit Merillius) pupillus pubertati proximus jam aliquem intellectum habere creditur & conſenſum ſuum in negotiis accommodare poteſt. §. *ſed quod diximus* 10. *Inſtit. de inutil. ſtipul.* Hoc placet: ſed ne in ipſa Juris principia impingamus, placet; etiam animadvertere loqui Juſtinianum de iis pupillis qui tutorum auctoritate freti ſunt, ubi de iiſdem obligandis agitur. Nec mihi reponat hoc ita eſſe in obligatione civili: nam & ego reſcribam fruſtra igitur adduci Juſtinianum: & denique de obligatione naturali idem proditum eſſe, *d. l.* 59. *D. de Oblig. & act. & d. l.* 41. *D. de Condict. indeb.* Nec iterum dicat Merillius, *d. l.* 41. Neratii eſſe, qui ex Proculejanis fuit, quaſi aliter in hac quæſtione Proculejani, aliter Sabiniani definierint: enimvero ſupereſt *d. lex* 59. *D. de oblig. & act.* Licinii Rufini libro 8. Regularum juris, quarum Proculejani non ita boni obſervatores, Sabiniani e contra, vel te docente, Merilli, *lib.* 1. *obſerv. cap.* 3. 1. ſi tibi credimus.

Equidem ſcio (& quis ignorat) aliter Sabinianos aliter Proculejanos pubertatem æſtimaſſe: verum licet Caſſiani & Sabiniani pubertatem ex habitu corporis æſtimaverint, non ſequitur in omnibus cauſis eam definitionem eos ſecutos eſſe: maxime vero in obligationibus, quarum ratio ſpectat æqualiter maſculos & fœminas: At pubertatem non pariter in utroque ſexu æſtimabant. Nam inverecundum Caſſiani exiſtimabant, in mulieribus habitudinem corporis inſpicere. *Inſtit. Quib. mod. tutel. finitur*: & impletis duodecim annis omnimodo puberes eas judicabant, *l. ult. Cod. Quando tutores vel curatores eſſe deſinant*. In virginibus quippe nubilis ætas habitum commonſtrat. Tertul. *de vel. virg. cap.* XI. *Ex quo ſe intelligere ceperint, & ſenſum naturæ intrare, & de virginis ſenſu exire, & pati novum illud quod alterius ætatis eſt, poſt conteſtatam ſanguine maturitatem*. Græcis idem verbum παιδίσκη pubertatem & puberem fœminam ſignificat. Et Euſtath. ad *Iliad.* N. *fol.* 962. ubi recenſet ἡλικίας ἀνθρωπίνης βαθμῶν ὀνόματα βρέφος, παιδίον, παιδίσκος. Tertio gradu locat παιδίσκον, ὁ (addit) τῆς ἐχομένης ἡλικίας. unde Cyprianus in carmine *Sodom.*

Sunt intus natæ bijuges mihi, nubilis ætas,
Virginitas in flore tumet, jam dedita meſſi,
Digna cupido viris.

Quæ duodecim complevit annos, hæc viro matura intelligitur: Virg. *lib.* 7. *Æneid. v.* 53.

Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.

Quaſi diceret, jam matura eſt viro, quia annos pubertatis implevit. Unde & Ovidius *lib.* 14. *Metamorph. v.* 335.

Hæc ubi nubilibus primum maturuit annis.

Eſt enim ἐν ἡλικίᾳ ut ait Thucydides, ſcilicet ἐν ἡλικίᾳ τῆς ἀκμῆς ut Galenus ſcribit *lib.* 1. *ad Glauc.* vel ut vice verſa S. Joannes Chryſoſt. *Homilia* 43. in Geneſim ἐν αὐτῇ τῇ ἀκμῇ τῆς ἡλικίας ubi & eleganter addit λαμπούσῃ τῇ ὥρᾳ.

In hoc argumento (ſi quod ſentiam dicere mihi liceat) dicam & poſt Reſcriptum D. Pii, ut & ante illud, naturalem aliquam eſſe obligationem pupilli ſine tutore promittentis vel accipientis, etiamſi locupletior non efficiatur: proindeque nec ſufficere diſtinctionem Cujacii, an locupletior pupillus &c. Et cum juſtis rationibus Merillianam diſtinctionem improbaverim, neceſſario aliud inveniendum & aſſumendum, ſine quo legum capita nonnulla adeo futura ſunt adverſa, ut contra religionem omnem, ea vel nobiliore ſui parte qua lædant, decurtare cogamur, quod minus conſulte alii feciſſe videntur.

Statuo igitur, quoties pupillus mutuam pecuniam ſine tutoris auctoritate accepit ex qua non ſit factus locupletior, factum illud & naturalem numerationem conſiderandam eſſe dupliciter: vel ex cauſa præſenti, vel ex cauſa quæ futura eſt. Ex cauſa præſenti, dico nullam ne naturalem quidem obligationem eſſe, quandiu pupillus in ea ætate eſt: ex cauſa vero quæ futura eſt, dico naturalem obligationem eſſe veluti in ſpe, quam ſcilicet poſſit aliquando excitare factum aliquod, nimirum ſolutio quæ poſtea fiat a pupillo pubere facto: ut non ſit diſſimilis ejuſmodi obligatio a quocumque fructu vel partu qui ſit in matre vel ſemente. Quod ſubtiliter admodum Papinianus demonſtrat, *l. Cum illud* 25. §. 1. *D. quando dies legator. ced. Heres meus*, inquit, *Titio dato quod mihi Sejus debet: ſi Sejus pupillus ſine tutoris auctoritate nummos accepiſſet nec locupletior factus eſſet, & petitor ad præſens debitum verba retulit, quia nihil ejus debet, nullius momenti legatum erit, quod ſi verbo debiti naturalem obligationem & futuram ſolutionem cogitavit, interim nihil Titius petet, quaſi tacite conditio inſerta ſit: non ſecus ac ſi ita dixiſſet, Titio dato quod pupillus ſolverit vel ſi legaſſet quod ex Arethuſa natum erit, vel fructus qui in illo fundo naſcentur*. Species eſt, Mævius Sejo pupillo pecuniam ſine tutoris auctoritate crediderat, quam pupillus ſtatim vel ludo, vel qua alia ratione perdiderat: Idem Mævius teſtamento ſuo, Titio per damnationem legavit quod ei Sejus deberet. Quæritur an valeat legatum? Papinianus diſtinguendum ait, qua mente & cogitatione teſtator damnaverit hæredem, ut daret Titio, quod Sejus deberet: ut ſiquidem ad præſens debitum verba retulerit, inutile ſit legatum: nota hæc verba (*ad præſens debitum*) Rationem reddit, *quia*, inquit, *nihil debet*: (ex eo intellige, non eſſe igitur pupillum locupletiorem factum) contra, ſi verbo *debiti* naturalem obligationem & futuram ſolutionem cogitavit, valere legatum, quaſi ſub conditione relictum: id eſt, ex eventu, ſi ſcilicet Sejus ſolvat, ut tunc petere poſſit legatarius. Ex qua procul dubio ſpecie manifeſtum eſt, non legis venuſtatem tantum, ſed omnem penitus quæſtionem tolli, ſi ponamus quomodo vult Cujacius, locupletiorem pupillum eſſe factum. Et certe ſi locupletior pupillus factus erat, quare non ſtatim valuit legatum? quæ dubitandi ratio in *hac lege* fuit? An illa

Source : BIU Cujas

illa Merillii, quod pupillus pubertati proximus non esset? Minime sane: nam hac ratione ex postfacto legatum non convaluisset. Vera igitur ratio dubitandi fuit illa, quod ut spectato tempore pupillaris ætatis nulla interim fuit pupilli obligatio, ita nec legatum: spectato vero tempore solutionis, & eventu rei, ut fuit aliqua obligatio quæ non caruit effectu, ita & validum sit legatum ejusdem obligationis, inducta comparatione legati ita relicti, Titio dato quod pupillus solverit, & quod ex Arethusa natum erit, ut in prudenti fuerit legatum, *l. videamus* 27. *D. de Liberat. leg.* ubi Triphoninus, *Nunquid ergo*, inquit, *in pendenti sit an legatarius fuerit, perinde atque si qua alia causa spem legati dubiam faceret?* Licet igitur purum legatum esse videatur, tamen pendet ex conditione pupillaris obligationis, quæ si existat ut committit (si ita loqui licet) obligationem: ita commissam transfert in legatum, arg. *legis quoties* 14. §. 1. *D. de Novat.*

Et sane quemadmodum id quod est, potest ex conditione desinere, quasi omnino non fuerit, ut apparet in lege commissoria, *l.* 1. *D. de Lege commiss.* quidni & id quod non est, possit ex eventu ita esse, quasi jam olim ita fuerit? Nonne mutuum quod initio nullum est creditis puta alienis nummis, consumtione postea fit mutuum? *l.* 13. *D. de Reb. cred.*, & dos profectitia quæ non erat ab initio, ex eventu nonne fit profectitia? *l. pater filiæ* 81. *D. de Jure dot.*

Atque his bellissime congruit *lex Stichum* 95. §. *aditio* 2. *D. de Solut.* cum ait aditionem hæreditatis pro solutione cedere creditori adeunti hæreditatem pupilli, cui sine tutoris auctoritate crediderat: qui si ejusdem pupilli hæreditatem restituere rogatus sit, solidum quod sibi debetur retinere posse dicitur; cum tamen dubitaretur an amplius quam quanto locupletior pupillus factus esset, retinere hæres idemque creditor posset: cum eatenus videretur consistere obligatio naturalis ipso jure, vel etiam civilis ex rescripto D. Pii. unde apparet in textu rectissime legi *in solidum* ibi *non enim quanto locupletior pupillus factus est, consequetur, sed in solidum*. Verum decisionis ratio est, quod in hac specie creditor sibi solvisse videtur ex voluntate debitoris sui, & secum pensasse quod sibi debetur: æquissima est compensationis ratio, qua plerumque compensantur, & retinentur quæ peti non possunt, *l. si quid possessor* 31. §. 1. *D. de Petit. hæred.* Sed & æquum est hæredi aditionem pro solutione cedere, dum facile creditur testatorem ei solvere & reponere voluisse, cum ei quali quali obligatione teneretur. Eo etiam pertinet *lex si ejus* 64. *in pr. D. ad Senatusconsl. Treb.*, quæ docet fideicommissarium non repetere quod solvit ex obligatione naturali pupilli, cujus hæreditas fideicommissaria ei restituta est, cum tamen pupillo sine tutore creditum esset: translata scilicet in fideicommissarium naturali obligatione, quæ ipsa solutione, nascendi quodammodo & desinendi causam nacta est, quomodo legatum aliquando perimitur, tunc cum vires accipit, & ut ita dicam incipit ut desinat, *l. si fundum* 81. §. *cum statuliber* 9. *D. de Leg.* 1. & ususfructus aliquo casu cum moritur nascitur, *l. sicut* 3. §. *idem Papinianus* 2. *D. Quibus modis usufr.*

DISPUNCTIO XXI.

An condictio furtiva adversus hæredem furis transeat in solidum; An pro parte quæ ad eum pervenit?

Quæstio hæc pertinet ad interpretationem *legis* 9. *D. de Condict. furt.* in qua Ulpianus ita, *In condictione furtiva, non pro parte quæ pervenit, sed in solidum tenemur, dum soli hæredes sumus: pro parte autem hæres, pro ea parte qua hæres est, tenetur.* Thesis est secundum verba *legis*, Hæredem furis etiamsi ad eum nihil pervenerit, in solidum teneri si conveniatur furtiva condictione. Si plures sint hæredes, pro portionibus hæreditariis.

Ludunt in hac quoque Thesi nostrates quotidie Justinianei; nec fugit eos quod Cujacius de ea, aliique & veteres & recentiores habent. Itaque sciunt furem triplici actione teneri: pœnali scilicet in duplum vel quadruplum æstimationis rei furtivæ, secundum distinctionem furti manifesti & nec manifesti; quæ quidem actio tota ad pœnam est, & adversus furem ut furem competit; Deinde condictione furtiva: quæ licet pœnalis non est, sed rei persecutoria, in furem tamen ut furem datur, & maxime in odium furis comparata est, qua veluti per deridiculum, adversus eum intenditur, si paret eum dare oportere id quod certum est eum dare non posse, cum dominus non sit; quo genere videntur juris regulæ adversus eum contemni, qui jus gentium inter homines constitutum turpissime violavit. Postremo rei vindicatione: sed hac non teneri ut furem, sed ut possessorem. Quod autem ad furis hæredem attinet, teneri quidem eum ut furis hæredem condictione furtiva (si paret eum dare oportere quod defunctus furto abstulit.) Unde quæstio, An teneatur in solidum si solus est: an quatenus tantum ad eum pervenit?

Quid tandem Cujacius de ea quæstione? certum nihil, si credamus Merillio, qui facit eum ubique variantem. Nec enim tantum objicit ex postumis operibus commentarium *legis* 38. *D. de Reg. juris*, sed ipsas quoque observationes, hoc est Magistri ἀποτελέσματα. Immerito sane! *Libro* enim 7. *cap.* 37. (quod pene totum hic habet Merillius) de quæstione nil statuit ac decernit Cujacius: Tentat ac deliberat tantum. Verba ejus sunt (quæ pauca) cur non simul cum cæteris collegerit Accusator? in promtu causa est; vaframentum prodidissent. *Quid est igitur quod ait d. l.* 9. *In condictionibus ex causa furtiva, non pro parte quæ pervenit, sed in solidum tenemur, dum soli hæredes sumus? hic sane ad tempus subsistere libet. Libro* autem 13. *cap.* 37. aperte sententiam suam exprimit, & ait, Non dari in hæredem condictionem rerum furtivarum vel rerum amotarum, nisi lis fuerit contestata cum defuncto, vel rem hæres ipse contrectet. Quam distinctionem attulit & ad *l.* 5. *D. Rerum amot.* XI. quæst. Pap. & secundum eam distinctionem verisimile est edisseruisse Cujacium ad *l.* 38. *D. de Reg. juris*. Itaque tribus hisce locis cum idem sentiat & doceat: *dicto* autem *lib.* 7. observat, nihil omnino definiat? quid est cur variationis postuletur?

Source : BIU Cujas

Merillius cenſet condictionem furtivam in hæredem dari in ſolidum, ſine ulla diſtinctione, ideſt, ſive lis conteſtata ſit, ſive non ſit: ſive ſolidum quod furto ſubtractum eſt ad hæredem pervenerit, ſive ſolidum non pervenit: In quo mihi quidem cum Merillio convenit; at in cæteris, non æque. Non in eo ſane quod nove admodum explicat illud *in ſolidum*, quaſi dubitatio fuerit in *d. l. 9.* an condictio furtiva adverſus furis hæredem dari debeat in ſolidum pro parte hæreditaria, vel tantum pro parte quæ ad eum pervenit. Sed & (quod non cogitavit Merillius) rationem ſententiæ noſtræ, adeoque deciſionis *dict. legis 9.* omnino demonſtrandam eſſe putavi. Denique alia ratione occurrendum eſſe argumentis Cujacianis quam quomodo Merillius occurrit, exiſtimo.

Species igitur *d. l. 9.* duos caſus habet: primus eſt in uno ſoloque hærede, alter in duobus pluribuſve. Finge Titius centum nummos, aut rem dignam centum Mævio ſubripuit. Eidem Titio hæres extitit ſolus, & ex illa ſumma, aut ex re illa furtiva quinque tantum ad me pervenerunt, aut etiam nihil. Quæritur an Mævio agenti mecum furtiva condictione, tenear in quinque duntaxat, an vero in ſolidam ſummam centum nummorum? Satis æquum videbatur, & juri conſentaneum ut in quinque tantum tenerer, quod hactenus tantum videretur eſſe apud me ex turpi lucro quod ſolet hæredibus extorqueri. *l. in hæredem 5. D. de Cal.*, & ut ait Pomponius *Sicuti pœna ex delicto defuncti hæres teneri non debet: ita nec lucrum facere, ſi quid ex ea re ad eum pervenit*, *l. 38. D. de Reg. juris*. Æque Ulpian. *Toties*, inquit, *in hæredem damus de eo quod ad eum pervenit, quoties ex dolo defuncti convenitur &c. l. 44. eod.* Lex tamen ait in ſolidum me teneri: cujus rei ratio reddenda eſt ea niſi fallor quam mox ſubjiciam. Finge rurſus, Titio furi non ſolus ego, ſed etiam ſecundus & tertius hæredes extiterunt: ſumma illa pro portionibus hæreditariis ad nos pervenit, vel etiam non integra illa, ſed longe minor, aut etiam nihil omnino ad me, licet ad cohæredes meos aliquid pervenerit: quatenus tenebimur? Plana lex eſt. Pro ea parte qua hæredes extitimus. Ergo non pro parte quæ *pervenit*: nam etſi nihil pervenerit, nihilominus tamen tenebimur.

In proponenda autem ratione dubitandi, Merillius, *Non abſque dubitatione eſt*, inquit, *an condictio furtiva adverſus hæredem furis dari debeat in ſolidum pro parte quæ ad eum pervenit*. Quæ doctrina hæc? ἐξοτερικὴ, an ἀκροαματικὴ quæ tibi duntaxat, aut iis quibus arcana revelas tua, cognobilis ſit? ξύνετος μόνοις τοῖς ἑαυτῦ ἀκούσασιν. Nam & cum tu duriuſculum videri poſſe prævideris hoc tuum dictum, mihi tale (nequid aliud dicam) viſum eſt. Nec utare in hoc, *l. Ad ea* 157. alias eſt, *l. 197. §. 2. D. de Reg. jur.* quæ cum ait, *In contractibus ſucceſſores ex dolo eorum quibus ſucceſſerunt, non tantum in id quod ad eos pervenit, verum etiam in ſolidum tenentur: hoc eſt unuſquiſque pro ea parte qua hæres eſt*; non id ſentit quod tu ſcribis; ſed opponit ſolidum, ei quod pervenit; & ne putet quis ſingulos hæredes in ſolidum teneri, explicatius ait ſingulos teneri pro parte qua hæredes ſunt; quaſi diceret omnes quidem ſimul hæredes in ſolidum teneri, quia omnes loco unius ſunt, id eſt, quaſi unus & ſolus hæres, ita tamen ut non omnes uno judicio, & collective conveniantur, ſed ſinguli ſeorſim pro partibus hæreditariis, juxta regulam juris antiqui, *l. 1. Cod. ſi cert. pet.*

Porro deciſionis ratio in *d. l. 9. D. Condict. furt.* (quæ & ipſa ratio eſt opinionis, ac interpretationis noſtræ) hæc eſt, Quod ipſa contrectatione rei alienæ fur ſe obligat dum ſe conſtituit in mora; adeo ut nec litis conteſtatio neceſſaria ſit, nec conventio, quæ plerumque pro litis conteſtatione eſt *l. Conſtitutionibus 33. D. de Oblig. & act.* Ut litis conteſtatio eſt pro contractu, ita ipſa contrectatio pro litis conteſtatione, adeoque pro contractu eſt, *leg. ult. D. de Condict. furt.* Triphoninus, *Quia*, inquit, *videtur qui primo invito domino rem contrectaverit, ſemper in reſtituenda ea quam nec debuit auferre, moram facere*. Nam & ubi ex contractu & rei perſecutione dolus deſcendit, hæres tenetur in ſolidum: *l. ſi hominem 7. §. datur 1. D. Depoſit. Condictio rei furtivæ quia rei habet perſecutionem, hæredem quoque furis obligat, l. 7. §. 2. D. de Cond. furt.* Hac ita conſtituta ratione, argumentis Cujacii & aliorum reſpondeamus.

Primum tale eſt, ſimilis eſt actio rerum amotarum furtivæ condictioni, utraque enim eſt ex delicto, hoc eſt originem habet ex delicto, utraque rei perſecutionem continet: At rerum amotarum actio in hæredem non datur in ſolidum, ſed in id tantum quod ad hæredem pervenit. Ergo nec furtiva condictio. Ad hoc reſpondet Merillius, non eſſe idem delictum furtum facere, & rem amovere; levius coerceri uxorem. Non ego ita; nam etſi levius coerceatur uxor, idem tamen delictum eſt rem amovere & furari: Triphoninus, *Nam veritate*, inquit, *furtum fit, etſi levius coercetur mulier, l. pen. D. Rerum amotarum*. Fatebor itaque & in actione rerum amotarum hæredem, ſi unus eſt, in ſolidum teneri; & *ad l. illam ultimam. Cod. rerum amot.* dicam illa verba *ſucceſſores teneri in quantum ad eos pervenit* ſignificare pro partibus hæreditariis.

Secundum argumentum ſumitur ex *l. 6. §. item hæres 4. D. Rerum amot.* Ubi dicitur, *hæredem mulieris ex cauſa rerum amotarum teneri, ſicut condictionis nomine ex cauſa furtiva*. Ad quam Merillius reſpondet, verbum (*ſicut*) denotare tantum ſimilitudinem in eo, ut utraque actio in hæredem detur. Verum dico hoc argumentum a primo non differre, ſed niti eodem medio; Nam ita debet aſſumtio procedere? Atqui rerum amotarum actio non datur in ſolidum, ſed quatenus pervenit ex *d. leg. ult. Cod. Rerum amot.* Quæ aſſumtio neganda, & ad illa verba *d. legis ult. in quantum ad eos pervenit*, adhibenda ſuperior illa interpretatio.

Tertium argumentum ejuſmodi eſt. Patris (ut ex filii contractu teneatur actione de peculio) eadem per omnia eſt quæ hæredis cauſa: At pater non tenetur in ſolidum peculium, ſi condictione furtiva conveniatur, *l. Licet 3. §. Ex furtiva cauſa 12. D. de Pecul.* Ergo neque hæres. Merillius ita huic argumento occurrit; Pater, inquit, non ſuccedit in jus univerſum filii, nec in odium filii. Dico ego furtivam condictionem, nec in ſolidum peculium, nec in partem peculii dari, ſed ex bono & æquo in id quo locupletior factus ſit pater. Nec obſtat *lex pen. D. de Condict. furtiva.* cum

ait,

Source : BIU Cujas

ait, *ex persona filiæ quæ res amovit, dandam in patrem condictionem in peculium :* hoc enim ita accipiendum, patri condicendum esse id quod ad eum pervenit, ut *l. 4. eod. tit.* quod & contingeret si filius filiave familias peculium non haberet. Nec est quod urgeas & forte argumenteris ita. Si ipsa contrectatio pro litis contestatione est, sequi patrem statim mortuo filio qui furtum fecit, teneri de peculio, cum certum sit ex delicto filiifamilias transferri judicium in patrem, ut pater de peculio teneatur post litem cum filio contestatam, *l. 57. D. de judiciis*. Respondebo enim & satisfaciam apposita distinctione, si quid in rem patris versum sit, ex eadem ipsa *l. 57.* in verbis *de peculio & quod in rem versum est* ; verba *de peculio* pertinent ad causas contractuum, hæc autem *& quod in rem versum est*, ad causas delictorum simul & contractuum ex quibus aliquid ad patrem pervenit. Et ita procedit *d. lex. Tam ex contractibus*, inquit, *quam ex delictis, in filiumfamilias competit actio : sed mortuo filio post litis contestationem, transfertur judicium in patrem, duntaxat de peculio, & quod in rem ejus versum est.*

Postremum argumentum deductum est ex *leg. Si tutor 9. §. ult.* juncta *l. 10. D. de Tutel. & rationibus distrahendis*. Ubi condictio furtiva dicitur extingui morte furis. Ergo non datur in hæredem. Ita formanda consequentia; non quomodo Merillius, qui ita scribit. *Igitur adversus hæredem furis condictio non datur, nisi quatenus ad eum pervenit*. Et ad Entimema respondendum; non pertinere ad quæstionem, quæ non est ejusmodi an hæres furis teneatur, sed an teneatur in solidum, vel pro parte quæ ad eum pervenit. Itaque deducentur adversarii ad onus conversionis argumenti, ut argumententur a negatione substantiæ ad negationem accidentis. Sed hanc methodum aspernatur forte Merillius, dum parvi facit logicam artem, quam tamen qui negligit, quomodo cæteras intelligit artes?

Age vero, rerum aliorum satagamus, & dicamus. Qui omnino condictione non tenetur, is neque in solidum, neque pro parte hæreditaria, neque quatenus ad eum pervenit tenetur. At hæres furis omnino non tenetur condictione furtiva, quia morte furis interire dicitur, *d. l. 9. in fin. & l. 10. D. de Tutel. & ration. distrab.* Ulpianus, *Cæteræ actiones, præter tutelæ, adversus tutorem competunt, & si adhuc tutelam administrat. veluti furti, damni, injuriæ, condictio*. Paulus, *Sed non dantur pupillo, dum tutor tutelam gerit : quamvis enim morte tutoris intereant, tamen pupillus cum hærede ejus actionem habet : quia sibi solvere debuit*. Ergo neque in solidum &c.

Ad hoc respondit jam pridem Antonius Faber *lib. 4. Conjecturar. cap. 1.* quod dicitur *interire eas actiones*, non ad omnes, sed ad pœnales tantum referendum : quod subtilitatis nonnihil habere videtur. Longe tamen melius Merillius, cum dixit in *illis legibus* non esse intelligendum condictionem furtivam generaliter morte furis interire, sed tantum cum tutor res pupillares subripuit, hoc est, singulariter id dictum esse de tutore. Et hactenus quidem recte. At dum rem & se ipsum interpretatur, non ita feliciter : veluti cum addit & durante tutela mortuus fuerit tutor. Idem enim est & si finita tutela mortuus fuerit. Deinde ubi subjicit. *Ita quidem condictio morte furis interit, quia pupillus durante tutela, adversus tutorem condictione non potuit experiri facile*, superfluum illud *facile*. Deinde. *Sed pupillus adversus hæredem tutoris his actionibus experiri potest, lege 10. eodem titulo de tutel. & ration. distrahendis*. omnino male. Neque *dicta lex 10.* hoc habet, his actionibus experiri posse pupillum contra hæredem tutoris: his actionibus, idest, furti, damni, injuriæ, & condictione furtiva : sed ait Jurisconsultus *quamvis enim morte tutoris intereant, tamen pupillus cum hærede ejus actionem habet*. Adverte Merilli ! non dicit actiones habet, sed actionem : Quam autem actionem? tutelæ scilicet: nimirum in quam omnis culpa ac negligentia omnisque ratio administrationis venit, ideoque additur, *quia sibi solvere debuit*. Tutor enim, idemque debitor ex supradictis causis sibi solvere, & in rationes suas inferre debuit se duplum a se ex causa furti accepisse, & ita de aliis, *l. quoties 9. D. de Administrat. tutor.* Quoties uberior est actio tutelæ, & utilior ipsi pupillo, toties actionum conversio fit in actionem tutelæ, *l. Divortio 35. §. ult. D. de Neg. gest.*. Et in eo notanda differentia actionis tutelæ, & actionis negotiorum gestorum. Scævola, *Diversumque est in tutore debitore, quia ibi interfuit, ex priore obligatione solvi ut deberetur ex tutelæ actione*.

DISPUNCTIO XXII.

An cum res petitur condictione triticaria ; æstimatio fieri debeat ex tempore litis contestatæ, vel ex tempore rei judicatæ?

HÆc quæstio magnæ, & arduæ cogitationis indiget, cum propter varios multiplicesque locos, quos uno veluti intuitu ob oculos habere debet qui volet eam definire, tum ob varias Interpretum de eadem quæstione opiniones.

Doctrina Merillii est, si merx petita sit, æstimationem fieri ex tempore litis contestatæ, *l. vinum 22. D. de Reb. cred.* Si res alia, puta fundus, vestis, servus, quanti res fuit a tempore moræ ad tempus condemnationis, *l. penult. D. de Condict. tritic.* Moram autem in strictis judiciis lite contestata committi.

Cujacii vero doctrina hæc est ad *l. 97. D. de Verb. oblig.* (ubi generalirer de æstimatione facienda edisserit.) In judiciis bonæ fidei, spectari tempus rei judicatæ, *l. 3. §. in hac 2. D. Commodati*. eo quod, judex in bonæ fidei judiciis non adstringitur formulæ, actor enim petit quod judex æstimaverit ex fide bona dari oportere, & ideo totum refertur ad rem judicatam. In strictis autem judiciis, petitionis tempus spectari, *d. l. vinum 22. D. de Reb. cred.*, quia judex in actionibus strictis adstringitur formulæ, petitur scilicet res, uti nunc est. In utrisque autem judiciis censet excipiendum esse casum moræ. Ut in bonæ fidei judiciis si venditor in tradendo vino moram fecerit, reducendam esse æstimationem vini ad tempus moræ, nisi e contra emtor ipse moram fecerit, *l. 3. in fin. & l. si sterilis 21. §. Cum per venditorem 3. D. de Act. emti*. Et in strictis judiciis si de-

Source : BIU Cujas

ſi debitor etiam ante litem conteſtatam moram fecerit, ut hoc caſu condemnetur utro tempore res pluris fuerit, vel quo moram fecerit, vel quo res judicata eſt, & ita accipiendam eſſe *l. pen. D. de Condict. tritic.* Et ſpeciem quæ ponitur in *fine ejuſdem legis*, pertinere ad totam legem. Idemque confirmare *legem In re furtiva* 8. §. 1. *l. Ex argento* 13. *D. de Condict. furt. & l. pen. D. Rerum amot.*

At, inquit Merillius, aliter docuit Cujacius *tractatu* 3. *ad Africanum*, in *l. Mercis* 207. *D. de Verb. ſig.* Quare dicis *aliter*, Merilli? Tu qui integriore fide quam alias, verba Cujacii ad *d. l.* 207. retuliſti, nonne & hæc retuliſti? *Sed permanere melius eſt in his quæ diximus*, *l.* 59. *D. Verb. oblig.* Porro qui permanet in eo quod ante dixit, an is viri boni arbitratu variare dicendus eſt?

Ut quæ ſanior ſit & textibus ipſis magis conveniens ac conſentiens doctrina; ſimulque & verum aptius cognoſci, ac diſcerni poſſit, eoſdem ipſos contextus ponere in conſpectu conſilium cœpi.

TEXTUS *legis* 22. *D. de Reb. cred.*

Vinum quod mutuum datum erat, per Judicem petitum eſt. Quæſitum eſt, cujus temporis æſtimatio fieret; utrum cum datum eſſet, an cum litem conteſtatus fuiſſet, an cum res judicaretur. Sabinus reſpondit, ſi dictum eſſet quo tempore redderetur, quanti tunc fuiſſet: ſi non, quanti tunc, cum petitum eſſet.

Petere per judicem, adeoque proprie dicitur non qui in jus vocat, aut ſatis accipit judicio ſiſtendi cauſa, ſed qui judicio petit, & ideo non committitur ſtipulatio *amplius non peti*, niſi in judicio petitum ſit, *l. amplius* 15. *D. Rem ratam haberi*. Cum res in judicio petitur, reus judicium ſuſcipere dicitur dum ſe liti offert, & adverſarium actori opponit: ex quo litis conteſtatio eſt, & quidam quaſi contractus inter actorem & reum celebratur: hinc eſt lis, & judicium, & negotii certamen, *l. ult. Cod. de plus petit. l.* 25. §. 8. *D. de Ædil. Edicto*. Hæc verba igitur in *d. l.* 22. *tunc cum petitum eſſet*, ſignificant æſtimationem fieri ex tempore litis conteſtatæ, ut & *l. ult. D. de Condict. tritic. & l.* 28. *D. de Novat.* ex quibus ſimul efficitur tempus litis conteſtatæ ſpectari in facienda æſtimatione rei petitæ. Atque in eo fere conſentiunt, Merillius, & Cujacius. Sed in eo diſſentiunt, quod Merillius non diſtinguit inter judicia bonæ fidei, & ſtricti juris, Cujacius vero diſtinguit, dum ait in judiciis bonæ fidei ſpectari tempus rei judicatæ, niſi mora interceſſerit. Diſſentiunt & in eo quod ille diſtinguat merces ab aliis rebus, Magiſter autem non diſtinguat, ſed perpenſa, & excuſſa omni dubitatione, generaliter id verum cenſet in omnibus rebus propter illa verba *legis ult. D. de Condict. tritic. Quod de cæteris rebus juris eſt*. Sublata itaque differentia mercium, & rerum cæterarum, neceſſario veniendum eſt ad quæſtionem facti. An mora facta ſit vel non: ut ſi facta mora non ſit in ſtrictis judiciis ſpectetur litis conteſtatæ tempus, ſi facta ſit, ſpectetur id tempus quo res plurimi fuit; quod Merillius non capit.

TEXTUS *legis* 3. *ſive penult. D. de Cond. Tritic.*

In hac actione, ſi quæratur res quæ petita eſt, cujus temporis æſtimationem recipiat: verius eſt

A *quod Servius ait, condemnationis tempus ſpectandum eſt. Si vero deſierit eſſe in rebus humanis, mortis tempus, ſed ἐν πλάτει ſecundum Celſum erit ſpectandum. Non enim debet noviſſimum vitæ tempus æſtimari, ne ad exiguum pretium æſtimatio redigatur in ſervo forte mortifere vulnerato. In utroque autem, ſi poſt moram deterior res facta ſit, Marcellus ſcribit libro viceſimo, habendam æſtimationem quanto deterior res facta ſit: & ideo ſi quis poſt moram ſervum elu-*
ſcatum dederit, nec liberari eum. Quare ad tempus moræ, in his erit reducenda æſtimatio.

TEXTUS ait, *res* puta fundus, veſtis, ſervus, Deinde *quæ petita eſt*, in jure ſcilicet ad ſellam
B Prætoris, quæ propria eſt acceptio verbi *petere*, ut ante diximus: ſed & idem obtinet, ſi res ante quoquo modo petita ſit, rite facta interpellatione, ut ex mora debitoris creſcat æſtimatio ad tempus rei judicatæ. Eſt enim in *hac l. pen.* Zeugma ab inferioribus: quo ſpectant ea verba *condemnationis tempus, ſi poſt moram deterior res facta ſit*. Elegantiſſime Cujacius, propter moram, inquit, debitoris, condictio triticaria redigitur ad condictionem actionis bonæ fidei, ut inſpiciatur tempus rei judicatæ, ſi eo tempore pluris res fuit. Mora ſecundum Merillium in ſtrictis judiciis lite demum conteſtata committitur. Quid fiet igitur ſi ante litem conteſtatam deterior res facta ſit poſt diem
C obligationis? nonne ipſe diei lapſus moram facit? *l.* 59. *l. Ad diem* 77. *D. de Verb. oblig. leg. magnam* 12. *Cod. de cont. ſtip.* Græci dicunt ὁ ὑφ' ἡμέραν ὀφείλων ἑαυτὸν ὑπομιμνήσκειν ὀφείλει. Harmenop. *lib.* 3. *Epitom.* Quid ſi antequam jure ageret creditor, debitori rite condixit ut ſolveret, eumque interpellavit? An non interpellatio debitorem conſtituit in mora? *l.* 32. *D. de Uſur.* Imo vero & ante litem conteſtatam mora committitur. *Si actionem habeam ad id conſequendum quod meum non fuit, veluti ex ſtipulatu, fructus non conſequar etiamſi mora facta ſit: quod ſi acceptum eſt judicium, tunc Sabinus & Caſſius ex æquitate fructus quo-*
que præſtandos putant. Ita loquitur Ulpianus in
D *l. videamus* 38. §. 7. *D. de Uſur.* moram fieri ait ante acceptum judicium, quod eſt ante litem conteſtatam, & in actione ſtricta, ut ex ſtipulatu. Imo, & difficile eſſe Papinianus ait, *ut mora non præcedente perveniatur ad judicem*, *l.* 3. *in pr. D. eodem tit.* Hæc verba *mortis tempus*, ſic accipe, ſi eo tempore pluris res fuit.

TEXTUS *legis ult. D. de Condict. tritic.*

Si merx aliqua, quæ certo die dari debebat, petita ſit: veluti vinum, oleum, frumentum; tanti litem æſtimandam Caſſius ait, quanti fuiſſet eo die, quo dari debuit. Si de die nihil con-
venit, quanti tunc cum judicium acciperetur. Idemque juris in loco eſſe, ut primum æſtimatio
E *ſumatur ejus loci quo dare debuit: ſi de loco nihil convenit, is locus ſpectetur, quo peteretur. Quod de cæteris rebus juris eſt.*

Poſtroma hæc verba *quod de cæteris rebus juris eſt* non favent Merillio, diſtinguenti inter merces & res alias. Eſt vero ſententia hujus *legis ult.* ſimillima *legi vinum* 22. *D. de Rebus cred.* & in utraque ponendum, moram factam non fuiſſe a debitore, ut recte ſervavit Odofredus. Alias ubi mora interceſſit, id obtinet quod eſt in *d. l. pen. D. de Condition. tritic.* Nec obſtat quod dicitur

certio-

Source : BIU Cujas

certiorem esse moram ex lite contestata ; hoc enim dicitur de eo qui nullam litigandi causam habuit. Cæterum ut mora omnis in facto est, ita si quis justam causam litigandi, & ad judicium provocandi habuit, in mora esse dici non debet. Qui judicium accipere paratus est, non videtur facere moram, *l.* 24. *D. de Usur. l.* 63. *D. de Reg. jur.* ratio litigandi justa potest esse aliqua, *leg. qui solidum* 78. §. 2. *D. de Leg.* 2.

TEXTUS *Legis In re furtiva* 8. §. 1. *D. de Condict. furt.*

§. *Si ex causa furtiva res condicatur, cujus temporis æstimatio fiat, quæritur. Placet tamen id tempus spectandum, quo res unquam plurimi fuit, maxime cum deteriorem rem factam, fur dando non liberatur: semper enim moram fur facere videtur.*

TEXTUS *legis Ex argento* 13. *D. eod. tit. de Condict. furt.*

Ex argento subrepto pocula facta condici posse Fulcinius ait. Ergo in condictione poculorum, etiam celaturæ æstimatio fiet, quæ impensa furis facta est, quemadmodum si infans subreptus adoleverit, æstimatio fit adolescentis, quamvis cura, & sumtibus furis creverit.

TEXTUS *legis pen. D. de Act. Rerum amot.*

Rerum amotarum æstimatio ad tempus quo amotæ sunt referri debet, nam veritate furtum fit, etsi levius coërcetur mulier: quare nec a bonæ fidei possessore res amotæ usucapiuntur. Sed si pluris factæ non restituuntur, crescit æstimatio, ut in condictione furtiva rei.

Suffragantur tres illi textus magno magistro Cujacio: quibus scilicet adprobat exceptionem regulæ strictorum judiciorum. Regula est in strictis judiciis æstimationem esse faciendam ex tempore litis contestatæ. Exceptio est, nisi mora facta sit, ut apparet in fure cujus mora etiam antequam conveniatur semper intelligitur, & consideratur. Cui tamen obloqui videtur, *l.* 2. §. *quæsitum* 3. *D. de Privatis delictis*. qui sic habet.

TEXTUS *legis* 2. §. *quæsitum* 3. *D. de Privatis delictis.*

Quæsitum est si condictus fuerit ex causa furtiva an nihilo minus lege Aquilia agi possit, & scripsit Pomponius posse: quia alterius est æstimationis legis Aquiliæ actio, alterius condictio ex causa furtiva. Namque Aquilia eam æstimationem complectitur quanti eo anno plurimi fuit: condictio autem ex causa furtiva non egreditur retrorsum judicii accipiendi tempus. Ex his postremis verbis objiciat quis neque furem propter suam moram teneri quanti plurimi res fuerit ante judicium acceptum. Sed respondendum est, hoc dici per comparationem actionis legis Aquiliæ, quæ sui natura æstimationem facit quanti plurimi res fuit, in anno retroacto : cum furtiva condictio sui natura æstimationem rei non trahat retro : vel (quod ex Græcis refert Cujacius ad *d. l.* 59. *D. de Verb. oblig.*) sensus *d.* §. *quæsitum* 3. procedit si post furtum æstimatio rei furtivæ mutata non sit.

Merillius ait aliam esse rationem condictionis furtivæ, aliam triticariæ: illa, inquit, rem dari & quasi nostra semper fuerit, fit æstimatio quanti plurimi unquam fuit, hac vero intendimus rem dari, quæ nostra non est, neque ipsam rem, sed æstimationem quæ spectatur tempore condemnationis. Respondeo condictionem furtivam vel esse corporis, vel æstimationis. Cum autem fur æstimationem debet, ab alio quocunque debitore non est distinguendus, qui debeat æstimationem rei post moram peremtæ : triticaria agimus perinde ex causa furtiva, atque ex alia, *l.* 1. *D. de Condict. tritic.* Non furibus tantum, sed quibuscunque debitoribus, mora sua nocet. Hoc singulare est in furibus ; quod cum cæteri debitores plerumque excusari possint, puta si parati sint judicium accipere, *l. si quis solutioni* 24. *D. de Usur.* fures nunquam ea ratione excusentur, *l. ult. D. de Condict. furt.*

TEXTUS *Legis* 3. §. *In hac* 2. *D. Commodati.*

§. *In hac actione sicut in cæteris bonæ fidei judiciis, similiter in litem jurabitur, & rei judicandæ tempus quanti res sit observatur, quamvis in strictis, litis contestatæ tempus spectetur.*

Hic textus apertissime confirmat distinctionem Cujacii inter judicia bonæ fidei, & stricti juris, quam spernit Merillius.

TEXTUS *Legis Ratio* 3. §. 3. & 4. *D. de act. emti.*

§. 3. *Si per venditorem vini mora fuerit quominus traderet, condemnari eum oportet utro tempore pluris vinum fuit, vel quo venit, vel quo lis in condemnationem deducitur. Item quo loco pluris fuit, vel quo venit, vel quo agatur.*

§. 4. *Quod si per emtorem mora fuisset, æstimari oportet pretium quod sit cum agatur, & quo loco minoris sit. Mora autem videtur esse, si nulla difficultas venditorem impediat quominus traderet, præsertim si omni tempore paratus fuit tradere.* Ex *hac l.* probatur moram cuique suam nocere, & propter moram debitoris æstimationem crescere ut condemnetur utro tempore pluris res fuit.

TEXTUS *Legis Hominem* 37. *D. Mandati.*

Hominem certum pro te dari fidejussi, & solvi. Cum mandati agatur, æstimatio ejus ad id potius tempus quo solutus sit, non quo agatur, referri debet. Et ideo etiam si mortuus fuerit, nihilominus utilis ea actio est. Aliter in stipulatione servatur : nam tunc id tempus spectatur quo agitur, nisi forte aut per promissorem steterit quominus sua die solveret, aut per creditorem quominus acciperet, neutri enim frustratio sua prodesse debet.

Hæc lex docet in actione stricti juris, scilicet in actione ex stipulatu, spectari tempus quo agitur, *l. vinum* 22. *D. de Reb. cred. & l. ult. D. de Cond. tritic. & l.* 28. *D. de Novat.* Nisi per promissorem steterit, idest, nisi mora a promissore facta sit, quasi diceret propter moram debitoris crescere æstimationem, secundum sententiam *legis pen. D. de Condict. tritic.*

Quærit Merillius cur propter moram commissam ante litem contestatam, fieret æstimatio tempore condemnationis ? Respondeo propter moram rei meliorem fieri conditionem creditoris, ut usque ad condemnationem, quanti plurimi res fuit a prima mora reus damnetur : non ut præcise æstimatio fiat ex tempore sententiæ, sed quanti plurimi res fuerit usque ad sententiam. An fabulam capit qui talia quærit ? οὐδὲ παρὸτης ἀτραπὸν ζητεῖ. Justior ne est altera Merillii instantia, cur non etiam mora facta post litem contestatam, æstimatio fiat tempore condemnationis ? nonne homine petito fieri potest ut post litem contestatam pluris fiat, quia in egregium evaserit pantomimum?

Quare

Source : BIU Cujas

Quare non hoc caſu æſtimatio ejus fiat ex tempore ſententiæ, quo tempore dignior, ideſt, pretioſior fuit? Liceat exaggerare.

Quare mora facta ante litem conteſtatam, producitur æſtimatio ad tempus ſententiæ, mora vero facta per litis conteſtationem, non producitur? Denique quare certiori moræ non damus quod concedimus incertiori? Quis hoc negat (Merilli), quod poſcis? Quis inficiatur quod ais? Neque vero aliter exponitur *d. lex pen. D. de Condict. tritic.* Quod enim dicitur in ſtrictis judiciis ſpectari tempus litis conteſtatæ niſi mora admiſſa ſit, prolixius de mora præcedente litis conteſtationem explicatur, quia caſus ille dubitabilior: cæterum & idem ſentiendum eſt de certiore mora, ſi per eam, & poſt eam res debita melior deteriorve facta ſit, ut ejus æſtimatio fiat quanti plurimi fuit a mora uſque ad ſententiam. Neque hoc ſubruit diſtinctionem judiciorum bonæ fidei & ſtricti juris, ſtat enim ea diſtinctio, nititurque propriis formulis cujuſque judicii citra omnem rationem exceptionum, quæ utrique diſtinctionis membro applicantur, prout ex ſcholiis ad ſingulas leges datis ſatis intelligi poteſt.

TEXTUS *Legis* 207. *D. de Verb. ſignif.* quæ eſt arx ſeptorum omnium Merillii ὁ ἐστὶν ἀκρόπολις τῶν περιβόλων πάντων αὐτῶ.

Mercis appellatione homines non contineri, Mela ait, & ob eam rem mangones non mercatores, ſed venalicjarios appellari ait, & recte.

Ex *hac lege* tentaverat Cujacius *tract.* 3. *ad Africanum* differentiam conſtituere inter merces & alias res, quæ petuntur triticaria condictione, ut in mercibus fieret æſtimatio ex tempore litis conteſtatæ, in aliis quanti plurimi fuiſſent a mora ad ſententiam; quod præſumeretur creditor mercem petere, quo tempore pluris eſſet, non vero res alias, quarum certa æſtimatio eſt. Tentaverat, inquam, Cujacius, at non probaverat. Idcircoque ſcripſerat (quod ſupra monuimus) permanere ſe in iis quæ ſtatuerat ad *l.* 59. *D. de Verb. oblig.* Sed hoc ramentum, quod fulgoris habeat aliquid, ſeu auri trimmam pro ſolido auro curioſe colligit Merillius. Eſto enim *lex* dicat, mercis appellatione hominem non contineri; nil tamen habet aut ne perſtringit quidem de differentia æſtimationis mercis, & rerum cæterarum in condictione triticaria æſtimandarum. Imo vero ideo hoc lex docet, cum ob rationem commercii de eo dubitaretur. Et verius eſt, *d. l.* 207. ut & cæteras *tituli de verb. ſig.* pertinere ad voluntates teſtantium, & contrahentium exaudiendas, & verba quoque Edictorum interpretanda. Ut ſi quis legaverit merces ſuas, non videatur legaſſe ſervos, quia ſervi non veniunt appellatione mercis (niſi contraria voluntas evidens ſit). Nam ſi mercis loco teſtator qui venalitiariam exercebat, ſervos haberet, ut illico diſtraheret, ut *l. ſuos* 73. §. 4. *D. de Leg.* 3. quæſtio facti, ideſt, voluntatis erit, an legatis mercibus, & ſervos quos venales haberet relinquere voluit. Quod & in contrahenda ſocietate fingi poteſt, ſi ad merces emendas, vendendaſque coierint ſocii. Denique & hoc locum habet in Edicto de tributoria actione, in quo tributoria proponitur actio contra dominum ſervi, qui ſciente domino negotiatus eſt in merce peculiari. *Mercis nomine*, inquit Ulpianus, *merito adjicitur: ne omnis negotiatio cum eo facta tributoriam inducat.*

Admittamus & hoc, eum qui mercem petit, cujus eſt varia & incerta æſtimatio, eo tempore eam petere, quo putet maximi pretii eſſe: quidni liceat id fingere & in aliis rebus, maxime in ſervis, in quibus & pro ætatis mutatione, & temporum varia ratione pretia ſubinde mutantur? Nam ab ætate, arte, ſexu, aliiſque cauſis, varia erant pretia, eaque ingentia: ut neceſſe fuerit ea Juſtinianum definire, *l.* 1. §. *Ne autem* 5. *Cod. de communi ſervo manumiſſo, & l. ult. Cod. communia de legat.* Quod Domitianus jam ſuo ævo fecerat. Svetonius *in Domitiano cap.* 7. *Caſtrari mares vetuit, ſpadonum, qui reſidui apud mangones erant, pretia moderatus eſt.* Si certa eſt hominum, ideſt, mancipiorum æſtimatio (ut ſibi fingit Merillius) ut quid actor cum hominem petit condictione triticaria, non ſibi perſuadet tanti nunc eſſe, quanti unquam futurus eſt? Quod ſi putat fore futurum ut majoris ſit pretii tunc cum res judicabitur, ut quid dicitur certam ejus eſſe æſtimationem? Cum hæc igitur mera opinione agitentur, quis non videt longe certiorem eſſe Cujacii definitionem illam, & ex authenticis juris locis depromtam diſtinctionem judiciorum bonæ fidei & ſtricti juris, & petitionis ante moram & poſt moram?

DISPUNCTIO XXIII.

An fidejuſſor ſimpliciter acceptus, in omnem cauſam fidejuſſiſſe cenſendus ſit?

AD hanc quæſtionem Merillius, quaſi ex Cujacio, Verius (inquit) exiſtimo, fidejuſſorem qui ſimpliciter acceptus eſt, teneri tantum in principalem obligationem, non etiam in acceſſiones principalis obligationis, niſi id expreſſum fuerit ut teneretur.

Ex ſequentibus perſpicuum fiet Merillium prorſus alienum eſſe ab eo cui putat adhærere: magnumque noſtrum Cujacium hanc quæſtionem alia Minerva expediviſſe, reſque verbaque juris altius calluiſſe, cum vir prudentiſſimus ſcripſit, non jure quidem obligationis fidejuſſorem teneri qui ſimpliciter in omnem cauſam acceptus eſt, ſed officio judicis condemnari debere: quæ conſtans ejus fuit doctrina in *l.* 91. *D. de Verb. obligat.* & ubique: a qua non defecit, aut uſquam deflexit: ut fruſtra ei objiciatur quaſi in *l. Centum Capuæ* 8. *D. de Eo quod certo loco.* aliud docuerit, quod dixerit fidejuſſorem qui alicujus actionis aut negotii nomine intercedit, in omnem cauſam intercedere. Verba Cujacii ad *d. l.* 91. *in* §. *Nunc videamus* 4. hæc ſunt. *Culpa fidejuſſoris non nocet reo: e contrario culpa rei fidejuſſori nocet. Nam fidejuſſor quantum ad eam rem attinet, quæ in obligationem deducta eſt, accedit in omnem cauſam quæ reum principalem tenet, etiamſi ſimpliciter acceptus ſit, non tamen creſcit obligatio fidejuſſoris ex mora rei, niſi nominatim in quamlibet cauſam accipiatur.* Verba autem commentarii ad *d. l. Centum Capuæ* 8. ſunt; *Quicumque actionis, aut negotii alicujus nomine intercedit, in omnem cauſam intercedere intelligitur, niſi taxationem certam fidejuſſioni appoſuerit. Et his conſequenter*

in

in ſpecie propoſita, ſi fidejuſſor qui interceſſit nomine actionis arbitrariæ, conveniatur alio loco actione arbitraria, damnabitur in id quod intereſt actoris, propter moram rei: ſicut & reus ipſe ſi conveniretur. Quæ vero ſunt anterides in his locis, aut pugnantia ſecum? Hæc ſcilicet invicem opponit Merillius, ex uno loco. *Damnabitur in id quod intereſt actoris propter moram rei:* Ex alio loco, *Non tamen creſcet obligatio fidejuſſoris.* Viciſti Merilli, triumpha.

Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum,
Cretatumque bovem.

Verum audi monitorem: hominem te eſſe ſcito. Et diſcito tandem, hæc verba invicem non pugnare. Damnabitur enim fidejuſſor non jure obligationis, ſed officio judicis. Nam & ipſe reus dum propter moram ſuam condemnatur, puta in uſuras in bonæ fidei judiciis, vel in id quod intereſt in actionibus arbitrariis, non jure obligationis condemnatur, ſed officio judicis, *d. l. Centum Capuæ 8. & l. ult. D. de eo quod certo loco, l. quæro 54. in pr. D. locati.*

In *d. l. Centum Capuæ* 8. hoc oſtendit Africanus per comparationem obligationis uſurarum, in qua duæ ſunt ſtipulationes, una ſortis, & altera uſurarum: at in ſpecie *d. legis Centum Capuæ* 8. una tantum eſt obligatio pecuniæ, ſcilicet ſimpliciter creditæ, in cujus conſequentiam ſi quæ utilitas æſtimanda ſit, judicis arbitrio committitur. In ſtipulatione uſurarum cui acceſſit fidejuſſor, ideo tenetur jure obligationis, quia ſtipulatio in uſuras nominatim obligationem adſtrinxit. In promiſſione pecuniæ, ideo jure obligationis non tenetur neque reus debendi, neque fidejuſſor, ad utilitatem, ſive ad id quod intereſt ſtipulatoris, quia non eſt hoc in ſtipulationem deductum, & non niſi ex poſt facto venit, & in executionem ejuſdem ſtipulationis, ex officio ſive arbitrio judicis. Et hoc non ſurdis clare ſonat, *d. l. Centum Capuæ* 8. hiſce verbis, *Centum Capuæ dari ſtipulatus fidejuſſorem accepiſti; ea pecunia ab eo ſimiliter ut ab ipſo promiſſore peti debebit. Id eſt ut ſi alibi quam Capuæ petatur, arbitraria actione agi debeat, liſque tanti æſtimetur, quanti ejus vel actoris interfuerit, eam ſummam Capuæ potius quam alibi ſolvi. Nec oportebit quod forte per reum ſteterit quominus tota centum Capuæ ſolverentur, obligationem fidejuſſoris augeri. Neque enim hæc cauſa recte comparabitur obligationi uſurarum: ibi enim duæ ſtipulationes ſunt, hic autem una pecuniæ creditæ eſt, circa cujus executionem, æſtimationis ratio arbitrio judicis committitur. Ejuſque differentiæ manifeſtiſſimum argumentum eſſe puto, quod ſi poſt moram factam pars pecuniæ ſoluta ſit, & reliquum petatur, officium judicis tale eſſe debeat, ut æſtimet quanti actoris interſit, eam dumtaxat ſummam quæ petetur, Capuæ ſolutam eſſe.* Ultima hæc etiam verba *Ejuſque differentiæ &c.* liquido probant id quod intereſt ſtipulatoris, ob non ſolutam Capuæ pecuniam, non eſſe in obligatione; alias enim jure actionis etiam poſt ſolutam partem pecuniæ, peteretur: quod tantum abeſt ut ita ſit, quinimo docet Africanus officium judicis eſſe, ut tantum id æſtimet habita ratione partis non ſolutæ. Sed Merillius hæc confundit, & pro eodem habet eſſe in obligatione, & venire officio judicis: & ita magna cum fiducia proponit quæſtionem quaſi ſimpliciter quærat Africanus in *hac l. 8.* An ut augetur obligatio rei principalis propter moram, ita fidejuſſoris obligatio augeatur? cum ita proponi debeat, *an adverſus fidejuſſorem perinde arbitraria agi debeat, ac contra reum: & lis pariter æſtimari debeat, ideſt, quanti ejus vel actoris interſit?* vel ita, ut Cujacius proponit, An fidejuſſor ſe obligaverit in id quod creditoris intererat, aut poterat intereſſe. Et dum ſibi in hujus erroris præcipitio non cavet, audet variationes adſcribere magno Cujacio, qui clamat quod non exaudit Merillius. Multum intereſſe, utrum aliquid ſit in obligatione, an in officio, ſive arbitrio judicis: non quodcunque eſt in arbitrio judicis, & continuo eſſe in obligatione, *l. non quidquid 40. D. de Judic.* Quid de tali Accuſatore dicemus? *Eſt tanti per iſta. Ire caſuro*, Seneca *quare bonis viris* &c. Equidem ſcio Bartolum omnino, *obligationis* verbo, putare comprehendi etiam id quod intereſt, ſive id quod judicis officio accedere poteſt. Sed æque ſcio Cujacium noſtrum, *Hoc ſtultum eſſe*, prædicare: tantum abeſt ut id ſcripſerit aut ſenſerit, quod ei perperam objicitur.

Sed ad quæſtionem Tituli hujuſce capitis redeamus. Ea eſt, *An fidejuſſor ſimpliciter acceptus, in omnem cauſam fidejuſſiſſe videatur?* Merillius ait non videri fidejuſſiſſe in omnem cauſam, ſed teneri tantum in principalem obligationem: non etiam in acceſſiones principalis obligationis. Ego præciſe dico, in omnem cauſam fidejuſſiſſe: non ut jure obligationis teneatur in id quod accedere poteſt per moram rei, ſed ut officio & arbitrio judicis condemnetur in id quod creditoris interſit. Et ita intelligenda eſt *lex Centum 8. D. de Eo quod certo loco, & lex Quæro 54. D. Locati*, & in eam ſententiam magnus Magiſter eas leges laudavit, ad *d. l. 91. D. de Verb. obligat.* quas falſo putat Merillius eum adducere ut probet fidejuſſorem non teneri in omnem cauſam. Quid vero apertius & expreſſius dici poteſt, quam quod in *d. l. Quæro* 54. Paulus ait. *Si in omnem cauſam conductionis etiam fidejuſſor ſe obligavit, eum quoque exemplo coloni tardius illatarum per moram coloni penſionum, præſtare debere uſuras.* Quid eſt *exemplo coloni*, niſi ut in *d. l. Centum Capuæ 8. ſimiliter ut ipſe reus?* Et rationem dubitandi manifeſtat Paulus, nec decidendi rationem omittit. Rationem dubitandi, his verbis, *Uſuræ enim in bonæ fidei judiciis, etſi non tam ex obligatione proficiſcantur, quam ex officio judicis applicentur.* Rationem autem decidendi, iſtis. *Tamen cum fidejuſſor in omnem cauſam ſe applicuit, quantum illum condemnari ex bona fide oportebit &c.* Ita fidejuſſor qui in omnem cauſam emti fidejuſſit, in uſuras ex mora debitoris tenetur, *l. Initio 5. Cod. de pactis inter emtorem.*

Dicat forte Merillius aliud eſſe, ſimpliciter fidejubere, aliud in omnem cauſam. Dicat etiam forte, & ubi ſcriptum invenitur fidejuſſorem in omnem cauſam teneri, intelligendum nominatim & expreſſe ſe in omnem cauſam obligaſſe. At non eſt ita: Nam & in ſpecie *d. l. Centum Capuæ 8.* ſive ponamus ſtatim initio principalis obligationis interveniſſe fidejuſſorem, ut ponit Merillius, ſive ex poſt facto, mora jam a reo principali commiſſa,

Source : BIU Cujas

miſſa, ut Cujacius, (& ſane nihil intereſt utrum ponas quidquid ſubtiliter diſtinxerit Azo) Africanus non ait fidejuſſorem in omnem cauſam nominatim interceſſiſſe : neque hoc fingere poteſt Merillius, qui ex reſponſu ſuo tenetur fateri fidejuſſorem teneri tantum in principalem obligationem, (cujus contrarium evidentiſſime demonſtratum eſt.) Itaque dicendum eſt eum , qui ſimpliciter fidejubet, intelligi in omnem cauſam fidejubere : & (ex vi argumenti ad hominem) fidejuſſorem in ſpecie *d. l. Centum Capuæ* 8. ſimpliciter interceſſiſſe. Et hoc eſt quod Cujacius docet illis verbis ſuperius relatis . *Quicunque actionis , aut negotii alicujus nomine intercedit &c.* Probatur & arg. *legis* 7. *D. pro Socio*. ubi dicitur Coiri ſocietatem & ſimpliciter poſſe , & ſi non fuerit diſtinctum , videri eſſe contractam univerſorum bonorum : ſcilicet ſimplex & indefinita locutio generalis eſſe intelligitur, *l.* 26. *D. de Servit. ruſtic. præd.*

DISPUNCTIO XXIV.

An cum colono partiario ſit locatio , vel ſocietas ?

MErillius, Locatio eſt, inquit, cum certa quantitas fructuum datur , aut certa ponderatio . Cujacius , itidem : ſed addit *Locatio eſt ſi animus contrahendæ locationis fuit* . Recte ſane : nam ſocietas contrahitur re , verbis , & conſenſu, *l.* 4. *D. pro Socio*. In contractibus, an ii ſint qui videntur , inſpiciendum eſt quid actum ſit , ut ſi ſocietatem partes coire voluerint , & res patiatur, ſit ſocietas , ſi affectionem ſocietatis habuerint, *l.* 31. *D. pro Socio*. Eo ſpectat *lex* 37. *& lex* 44. *eod.* Ubi Ulpianus *Si margarita*, inquit, *tibi vendenda dedero , ut ſi ea decem vendidiſſes , redderes mihi decem , ſi pluris , quod excedit , tu haberes : mihi videtur , ſi animo contrahendæ ſocietatis id actum ſit , pro ſocio eſſe actionem* . Si vero locationem contrahere voluerim , & res quoque patiatur, ſit locatio, & ita de cæteris : vel ſi incertum ſit quod magis negotium contrahentes inire voluerint, vel quid adjectum ſit, quod excedat naturam , & proprios terminos nominatæ cujuſque conventionis, res tranſit ad cauſam incerti & innominati contractus, *l.* 1. §. 1. *l.* 5. §. *pen. l.* 6. *l.* 13. *& l. Apud Labeonem* 20. *D. de Præſcript. verbis.* quibus addere liceat *l.* 1. *D. de æſtimatoria act.* Et ita ſi convenerit inter eos qui fundum communem habebant ; ut alternis annis fructum perciperent , licet dubitatum ſit an eſſet locatio , quia id agi potuit inter partes : quia tamen res non patitur, eo quod certa merces definita non eſt, neque in nummis , neque in modo & quantitate fructuum, magis viſum eſt innominatum eſſe contractum , *l. ſi convenerit* 23. *D. Communi div.*

Cujacium porro ſcribit Merillius, uno loco, nimirum in *l.* 5. *Cod. de Locato* , velle conductores dici , qui nummis colunt ; adeoque partiarios colonos, qui partem fructuum pro penſione fundi domino inferunt , non eſſe conductores : alio vero loco, ideſt , ad *l.* 35. *D. Locati*. ſcribere , mercedem locationis conſiſtere poſſe in alia quantitate, quam in pecunia. Quod eſt dicere partiarios colonos eſſe conductores . Ergo uno loco dixit conductores ; alio negavit .

Quid ſi idem utrobique Cujacius , & quidem apertiſſime ? Quale tandem hoc facinus videbitur? Et vero Cujacius hæc habet , quæ ſatis probe refert Merillius ex *commentario tract.* 3. *ad Africanum* , ideſt, ad *d. l.* 35. *D. Locati* . *In locatione conductione , dico etiam in alia quantitate mercedem conſiſtere poſſe : veluti menſura aut pondere : ac proinde cum colono partiario contrahi locationem & conductionem , ſi contrahendæ locationis animus fuerit : ac præſertim ſi de certa fructuum quantitate , veluti modiis, vel amphoris tot , quotannis inferendis convenerit &c.*

Ex recitatione vero ad *l.* 5. *Cod. de Locato*. Hæc, *Sunt coloni partiarii , l. ſi merces* 25. §. *vis major* 6. *D. eod. tit. Hi non videntur proprie eſſe conductores . Qui nummis colit , eſt conductor : partiarii non videntur eſſe conductores , id eſt , qui partem fructuum conferunt domino, & nihil præterea, aliam partem pro cultura ſibi reſervant. Hoc genere ſocietas contrahitur potius , quam locatio , l. Cum duobus* 52. §. 2. *D. pro Socio*.

Quæ refert quidem Merillius ; ſed an ſatis probe ; ſed an tarditas, an celeritas calami, an conſilium ſcribentis , reliqua omiſerit ? judicet quiſquis ſequentia (quæ ſunt ejuſdem Cujacii eodem loco ,) putabit haud relatu neceſſaria fuiſſe ei, qui accuſationi ſuæ magis , quam Cujacii famæ ac veritati ſtudebat . *Et ſane locationem eſſe dicendum eſt , ſi animus contrahendæ locationis fuit , & ideo eſſe actionem ex locato & conducto , licet lucra & damna communicentur. Nam locatio non tantum contrahitur certo pecuniæ numero , ſed etiam rerum , quæ menſura & pondere conſtant. Idque probat lex* 21. *hic , &c.* Hæc ſi agnoſces Merilli bona fide te omiſiſſe , ſimul & fatebere non aliud Cujacium docuiſſe in *d. l.* 5. quam tute dicis & nos fatemur ſcripſiſſe eum in *d. l.* 35. *D. Locati.*

Ex his vero quis non videt certam ubique , & conſtantem fuiſſe opinionem Cujacio, (omnino diſtinguendum eſſe , quid agere voluerint , aut non voluerint contrahentes .) Et ita noſtri Auctores ſæpiſſime. Ita denique Græci diſtinguunt, in æſtimando permutationis contractu, an contrahentibus omnino fuerit animus permutationis faciendæ , vel potius contrahendæ emtionis. Non ſufficit , inquiunt, ut res pro re tradita ſit , puta veſtis pro ſervo : ſed hoc inſuper quærendum , an qui veſtem dedit eam vendere, & qui ſervum dedit , an veſtem emere vellet : an vero nec ab initio de venditione cogitarint , ſed res permutare voluerint . ἢ μήτε αὐτοὶ ἐξ ἀρχῆς οὐδὲ εἰς ἔννοιαν πράσεως ἦλθον . Synopſ. Baſilic. *lib.* 20. *tit.* 3.

De quæſtione ; quia vere convenimus , tractare quid attinet ? cum nec quidnam novi , ideſt , boni præter Cujacii diſtinctionem adferri poſſit. Niſi quod eſt aliquid in doctrina Merilliana, quod diſpunctiunculam effugere non debet. Et primo quod ait Merillius probari ex *l.* 8. *Cod. de Pactis* . Si pecus non ſit communicatum, & convenerit inter dominum & paſtorem , ut fœtus communis eſſet, vel certis partibus divideretur, eſſe contractum innominatum : probatur id quidem utcunque , ſed non magis quam contractum eſſe ſocietatis, quem ſane præ ſe fert ejuſmodi conventio , argumento

d. le-

Source : BIU Cujas

d. legis 52. §. 2. *verſ. Si in coëunda. D. pro Socio.* Nam ſi convenerit inter dominum & paſtorem ut paſtor certis annis pecus paſceret, poſt quod tempus grex venderetur, pretiumque divideretur; non ambigitur ſocietatem eſſe, *l. Si tibi areæ.* (alias eſt *lex* 13. §. *Si tibi areæ* 1.) *D. de Præſcript. verb.* Scilicet, putat Merillius non eſſe ſocietatem, niſi res illico communicentur: Et id quidem eſſe poteſt, fierique crebro videmus. Sed non ideo minus ſocietas erit ſi convenerit de ſolis fœtibus communicandis. Nam & eſt ſocietas rerum acquirendarum, ut quæſtuum *l.* 7. *D. pro Socio*, vel unius duntaxat rei emendæ, *l. Cum duobus* 52. *in pr. eod. tit.* contrahitur ſocietas ἐπὶ τέλει, καὶ ἐφ' ἑνὶ πράγματι. Et hoc ſatis perſuadere potuit auctoritas magni Cujacii, cæterorumque pene omnium interpretum, qui fruſtra quæſiſſe videntur de lemmate huic præfixo capiti, *An cum colono partiario contracta cenſeatur locatio*, adeoque addubitaſſe, an ſit ſocietas: hoc enim poſito Merilliano fundamento, ceſſat omnis quæſtio & dubitatio: cum certum ſit in locatione, dominium non communicari. Itaque illud novum eſt quod commiſcitur Merillius in ſpecie *d. legis* 52. §. 2. *verſ. Si in coëunda. D. pro Socio*, agrum communicatum fuiſſe inter dominum & politorem. *Lex* ait, *Si in coëunda ſocietate, artem operamve pollicitus eſt alter; veluti cum pecus in commune paſcendum, aut agrum politori damus in commune quærendis fructibus: nimirum ibi etiam culpa præſtanda eſt, pretium enim operæ artis eſt velamentum.* In ſpecie *hujus legis*, de fructibus communicandis convenit. Datus eſt quidem ager quærendis fructibus in commune, non ipſe ager in commune: manſit ager domini, ſocietas fructuum coita eſt ut ſex partes, puta politor haberet, unam dominus ut fit cum cenſuariis. Qui modus adeo æquus cenſetur, ut alius omnis damnetur μορτίτης μέρος, δεμάτια ς'. χωροδότης μέρος. δεμάτιον ἕν. ὁ δὲ ἐκτὸς τούτων μεριζόμενος θεοκατάρατος. Sic puto legendum in *legibus Georgicis tit.* 1. δεμάτια ς'. non ut vulgo, δεμάτια θ'. Nam Euſtathio *Odyſſ. T. fol.* 185. ἡ μόρτη, τὸ ἕκτον μέρος τῶν καρπῶν, ἡ ἐδίδατο τοῖς ἐκτιμορίοις. Heſychius autem ἐκτιμορίας, ſeu ἐκτιμόρας eos dicit (ex etymo,) qui ſex partibus terram colunt οἱ ἕκτω μέρει τὴν γῆν γεωργοῦντες. Veteres coloni parte decima ſativa prædia colebant; arboribus conſita, parte quinta conducebant, ſaltus vero, definito pretio in pecorum capita ut eſt apud Appianum *lib.* 1. *belli civilis.* Et licet in *legibus Georgicis* juſta partitio, fuerit ſexta, invenias tamen, & aliis, & in iiſdem. Ergo cum partiario colono locatio conductio contracta videri poteſt, ſi hoc actum eſt: ſin contra actum eſt, ut fructuum ſocietas contraheretur, ſocietas dicenda eſt.

DISPUNCTIO XXV.

An pacta quæ adjiciunt, vel detrahunt in *l. pacta* 72. *D. de contrab. emt.* intelligi debeant de adminiculis, vel de ſubſtantia emtionis?

PApinianus ait, *Pacta conventa, quæ poſtea facta detrahunt aliquid emtioni, contineri contractu videntur: quæ vero adjiciunt, credimus hoc non ineſſe: quod locum habet in iis quæ adminicula ſunt emtionis, veluti ne cautio duplæ præſtetur, aut ut cum fidejuſſore cautio duplæ præſtetur. Sed quo caſu agente emtore non valet pactum, idem vires habebit jure exceptionis agente venditore. An idem dici poſſit aucto poſtea, vel deminuto pretio, non immerito quæſitum eſt: quoniam emtionis ſubſtantia conſiſtit ex pretio.* Paulus notat, *Si omnibus integris manentibus, de augendo vel minuendo pretio rurſum convenit, receſſum a priore contractu, & nova emtio interceſſiſſe videtur.*

Sit hæc ad quæſtionem propoſitam brevis, nec minus certa reſponſio. Detrahunt ea pacta, quæ diſtrahunt & mutant naturam jam contractæ emtionis, puta aucto vel imminuto pretio: adjiciunt quæ quid præter naturam, & ſubſtantiam ingerunt, veluti ſi de adminiculis, hoc eſt, de cautione aliquid conveniat, ſine quo ſtare poterat emtio venditio.

Tres ſpecies ad *d. l.* 72. ut certum ejus uſum, germanumque intellectum habeamus, neceſſario ponendæ ſunt. *Prima* eſt, Convenit mihi tecum ut prædium meum tibi emtum eſſet 20. poſtea cum pœniteret me tam exiguo pretio illud vendidiſſe, nec inexorabilis eſſes, convenit rebus integris ut tibi emtum eſſet 30. Quæſitum eſt an poſſem ex hoc novo pacto velut ex priore conventione agere? Et an tu quoque agere poſſes, cujus maxime intererat, propter commoda quæ emtorem ſequuntur ex die emtionis: In quo proclivior Papinianus eſſe videtur. At pactum ex intervallo adjectum (quæ fuit dubitationis ratio) ad agendum non valet: Reſpondendum eſt, id quidem regulariter verum eſſe. Sed hoc pactum cum detrahat ex emtione, & eam immutet, (quandoquidem fiat de ſubſtantia emtionis,) videri contineri contractu: quaſi ab initio non viginti, ſed triginta, prædium meum veniſſet. In totum abiri poteſt ab emtione communi conſenſu: ergo & in parte, ut hoc caſu non reſcindatur, ſed potius reformetur contractus. Et hæc fuit ſententia Papiniani, quam Paulus non probaſſe videtur.

Altera ſpecies eſt, vendidi tibi fundum; de cautione a me præſtanda, nihil dictum: verebar ne me urgeres ad repromittendum, quod jure poteras; Emtori duplam promitti a venditore oportet, non ut ſatisdetur, ſed repromittatur, *l.* 37. *D. de Evictionib.* Tu vero hoc onus mihi ſponte remiſiſti. Poſtea cum te convenirem de pretio actione ſcilicet ex vendito; Tu contra actione ex emto petiiſti, ut de dupla evictionis nomine repromitterem. Quæſitum eſt, an ipſo jure tutus eſſem: an vero mihi neceſſe eſſet exceptionem allegare, atque ita actionem tuam elidere. Reſpondit Papinianus, mihi omnino hoc caſu neceſſariam eſſe exceptionem. Videri poterat hoc pactum quod interceſſerat de non repromittendo, ipſo jure tollere actionem! At Papinianus ait, tale pactum non ineſſe, quia de adminiculis tantum, non etiam de ſubſtantia emtionis eſſet; proindeque opus eſſe exceptione, adeo ut niſi vigilem mihi allegando & probando ejuſmodi exceptionem, futurum ſit ut me condemnes ad repromittendum.

Tertia ſpecies eſt ejuſmodi. Poſt venditum a me fundum, ex intervallo cum emtore convenit,

Source : BIU Cujas

ut ei de dupla evictionis nomine caverem datis fidejuſſoribus. Quæritur an poſſit emtor ex tali pacto agere? Negat Papinianus. At in prima ſpecie, datur ex pacto actio. Quidni & ex hoc, cum ad emtionem factum ſit, & ad eam omnino pertineat? Verum hoc ideo eſt, quod ejuſmodi pactum extra naturam & ſubſtantiam emtionis venditionis eſt, non quale illud prioris ſpeciei, quod erat ex ſubſtantia. In hac noviſſima ſpecie, pactum nihil detrahit emtioni, quia non mutat, aut reformat emtionem, ſed adjicit aliquid ei emtioni quæ per ſe conſiſtere poteſt ſine adminiculo tali, utpote contenta re & pretio quibus ſolis perficitur, & conſtat ſtatim atque in utroque conſenſum eſt. Verum addit Papinianus, aliquo caſu non futurum ſine effectu tale pactum, agenti verbi gratia me venditore ad pretium; ut ſcilicet eo caſu emtor recte recuſet pretii ſolutionem, ſi non ego ſatisdem ſecundum pactionis fidem. Ita interpretor illa verba, *ſed quo caſu agente emtore non valet pactum, idem vires habebit jure exceptionis*. Papinianus ait, *agente venditore*, ſcilicet actione venditi ad pretium conſequendum, ut ei objiciatur exceptio doli hoc modo. Niſi dolo malo facias, qui fidem conventionis a me impleri deſideras quam ipſe non ſervas. Itaque non valebit pactum jure actionis, ſed valebit jure exceptionis.

Hæc paulo aliter quam Cujacius, qui verba illa *agente venditore* accipit de venditore excipiente, & defendente ſe contra emtorem agentem: quia ſcilicet & reus in excipiendo agere dicitur: quod etſi verum eſt, id tamen fingere hoc caſu nullo modo neceſſe eſt. Equidem exiſtimo in interpretandis Juriſconſultorum reſponſis, ſpectare nos debere quid uſus ferat, & quid verſetur in ipſis rerum argumentis: ut quemadmodum illi, ita & nos ad quotidianum uſum diſputationes legitimas referamus.

Superioribus autem ſpeciebus propoſitis redit Papinianus ad primam, de qua fatetur dubitatum eſſe, *non immerito*, inquit, *quæſitum eſt*: & ſubjicit, *quoniam emtionis ſubſtantia conſiſtit ex pretio*. quae verba dubitationis rationem continent, ſecundum quæ Paulus exiſtimavit tale pactum non ineſſe, ſed novam emtionem efficere. Itaque ſubjicitur Pauli nota: *receſſum*, inquit, *a priori contractu, & nova emtio interceſſiſſe videtur*. Quam notam ita exaudire debemus, ut in dubio hoc, quid actum ſit inter partes, ſtatuat Paulus receſſum videri a priori emtione: cæterum ſi alia mens contrahentium fuerit, credendum a Papiniano non diſſenſiſſe Paulum. Nam & ita idem Paulus in *l. Si unus* 27. §. 3. *D. De Pact. Quid ſi*, inquit, *non ut totum contractum tolleret, pactum conventum interceſſerit, ſed ut imminuerit, poſterius pactum poteſt renovare primum contractum*. Et ita quoque ſenſit Ulpianus *l.* 7. §. *adeo* 6. *D. Eod. tit.* his verbis, *Si igitur in totum poteſt, cur non & pars ejus pactione mutari poteſt?* Quos tamen locos Merillius in ſuam ſententiam profert.

Ex eadem vero *l.* 7. §. 5. (quando eam inſedimus) æque ac ex *d. l.* 72. *D. de Contrab. emt.* perſpicuum eſt pacta quæ detrahunt, eſſe ex natura & ſubſtantia emtionis: nam ea ſola ex intervallo facta valent ad agendum; non ea quæ ſunt de adminiculis. *Si poſt emtionem*, inquit Ulpianus, *ex intervallo, aliquid extra naturam contractus convenit ob hanc cauſam agi non poſſe*. Et infra §. 6. *Adeo autem bonæ fidei judiciis exceptiones poſtea factæ quæ ex eodem ſunt contractu* (puta de re & pretio) *inſunt, ut conſtet re nondum ſecuta poſſe abiri a tota emtione.* Ex his locis patet idem eſſe ex natura, & ex contractu. In quo natura & ſubſtantia emtionis? Quid eſt ex contractu emtionis præter conſenſum de re & pretio? De his autem tantum, non etiam de aliis quibuſcumque, pactum ex intervallo factum valet ad agendum. Nunc apta *l.* 72. *Pacta*, inquit, *conventa, quæ poſtea facta detrahunt aliquid emtioni, contineri contractu videntur*. Nonne igitur eadem ſunt pacta ex natura, & ex ſubſtantia ſive ex contractu, atque pacta quæ detrahunt? quod & *eadem lex* paulo poſt confirmat nimis.

Merillius nequit ſibi perſuadere pacta detrahentia eſſe de ſubſtantia. Perſuadeat vero ſibi pacta adjicientia non eſſe ex contractu, facile intelliget ex diverſo, detrahentia ex contractu & ſubſtantia eſſe. Qui patitur ſibi quid adjici ſine quo vitam jam antea tolerabat, hoc adjici ſibi & adminiculum eſſe ſentiet quidem: & ſi quis eidem veſtem, qua neceſſario ſe contegebat eripiat: intelliget profecto quod ſuum erat ſibi auferri ac detrahi. Tertullianus *de veland. Virg. cap.* 30. *O Sacrilegæ manus quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt*. Nec vero aliud docuit Cujacius ad *d. l.* 72. *D. de contrab. emt.* 10. *quæſt. Pap. & Obſerv. lib.* 10. *cap.* 24. *& lib.* 14. *cap.* 28. Ubi omnibus quæ in contrarium objiciuntur ſatisfeciſſe videtur. At ſubtile quiddam, velut obiter tentavit *lib.* 2. *Obſervat. cap.* 15. quem tamen locum Merillius non integrum citavit, ex quo videri poſſit detrahentia pacta dixiſſe ea eſſe, quæ ſint de adminiculis. Sed animadvertendum Cujacium ibi, non ſimpliciter loqui de pactis ex intervallo factis de non cavendo, vel de ſatisdando: ſed de iis loqui quatenus de iiſdem initio contrahendæ emtionis convenerat: quæ ſi poſtea ex intervallo mutentur, dixit (fateor) detrahere ea vel adjicere: ſed quo ſenſu, quave ratione? attende eam ſi placet Merilli: quia contractu continebantur, ut jam ita ex contractu eſſent: quam in rem potuit Cujacius aſſertorem vocare Pomponium in *l. Sed Celſus* 6. §. *ult. D. de Contrab. emt.* Ubi ille ita. *Conditio*, inquit, *quæ initio contractus dicta eſt, poſtea alia pactione immutari poteſt, ſicuti etiam abiri tota emtione poteſt, ſi nondum impleta ſunt, quæ utrinque præſtari debuerunt*.

Jam vero, quod contra videtur idem Cujacius habere ad *d. l.* 72. *in recitationibus ad titulum de contrab. emt.* debuit potius Merillius male deſcriptam ab ignavis ſtudioſis recitationem ſupplere vel emendare, quam carpere. Et in eo quod ibi hæc verba *agente venditore* Cujacius interpretatus eſt excipiente venditore, licet alia mihi magis arrideat interpretatio, ut ſuperius notavi: hanc tamen etiam recipi poſſe non inficior, nec variare mihi videor, dum hæc dico: nec Cujacium utroque dicto magis variaſſe exiſtimo. Faceſſat igitur hoc ἐπίλογον Merillianum, magis admitterem pacta detrahentia & adjicientia fieri circa adminicula, non circa ſubſtantiam contractus. Faceſſat & ſumma, præcipuaque ejus ratiocinatio, cum ait aucto vel imminuto pretio, fieri novum contractum, proindeque pactum de mutatione pretii non ineſſe prio-

ri

ri contractui *eaque ipsa ratione Paulum hic notare Papinianum*. Si notavit: (quod non simpliciter dicendum est, ut observavi ex *l.* 27. §. 3. *D. de Pactis*.) ergo secundum te Merilli Papinianus aliud, & aliud Paulus in hac quæstione constituit. Ergo si secundum sententiam Pauli, pactum de mutatione pretii, id est, pactum circa substantiam emtionis non inest; sequitur secundum Papiniani sententiam inesse: atque ideo secundum integram ejusdem Papiniani doctrinam, pacta quæ detrahunt, esse ea quæ de pretio aucto vel imminuto, adeoque de substantia emtionis facta sunt, secundum ejus verba, *contineri contractu videntur*.

DISPUNCTIO XXVI.

Periculum rei venditæ nec traditæ, an sit emtoris aut venditoris?

OMne commodum rei venditæ, necdum traditæ, statim post perfectam emtionem ad emtorem pertinere, & omne periculum quoque, si sine dolo vel culpa venditoris res perierit, deteriorve facta fuerit, cum Græci, tum Latini auctores tradunt, & interpretes plerique fere omnes (uno excepto Cujacio) docent. Probatur hæc definitio, *l.* 1. *& toto tit. Cod. de Peric. & com. rei vend. l.* 7. *& l.* 8. *D. eod. Synopf. Basilicon libro* 19. Perfectam autem emtionem dicimus, non tantum si res vendita tradita sit, & pretium solutum, quo casu & perfecta & impleta est: sed & si tradita non sit. Ita Justinianus palam: & ita legendum prorsus apud Harmenopulum *lib.* 3. *tit.* 3. *numero* 1. ubi vulgo οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ κἂν ὁ ἕτερος τούτων &c. (qui error nec a translatore, nec a scholiaste Græco videtur animadversus) pro quo, quis mihi neget legendum κἂν μὴ sive κἀὶ εἰ μὴ, ut patet ex *numero* 14. ubi thesis nostræ partem habet, post perfectam venditionem periculum ad emtorem pertinere, hoc nominatim expresso etsi res tradita non sit αἰ κὴ τὰ μάλιστα μήπω τὸ πρᾶγμα παραδίδοται. Perfecta est inquam statim atque de re & pretio convenit, cum id quod venit apparet quid, quale, quantumque sit & pure venit, *d. l.* 8. *D. de Peric.* In hoc convenimus ego & Merillius. In eo dissentimus, variasse Cujacium in hac quæstione: ille ait, ipse nego. Dissentimus & in modo diluendarum Cujacii rationum, & ejusdem responsionum ad auctoritates sententiæ nostræ.

Illi autem definitioni aperte videtur obloqui Africanus in *l. Si fundus* 33. *D. Locati*. Ubi publicato fundo, qui locatus vel venditus fuerat, statuit publicationis casum ad locatorem & venditorem pertinere, in tantum ut si mercedem ille, vel hic pretium acceperit, restituere teneatur. *Si fundus*, inquit, *quem mihi locaveris publicatus sit, teneri te actione ex conducto ut mihi frui liceat, quamvis per te non stet, quominus id præstes: quemadmodum si insulam ædificandam locasses, & solum corruisset, nihilominus tenereris. Nam etsi vendideris mihi fundum, isque prius quam vacuus traderetur publicatus fuerit, tenearis ex emto. Quod hactenus verum erit, ut pretium restituas, ejus scilicet temporis quo fruitus non fuerim, nec ultra actione ex conducto præstare cogeris. Nam etsi colonus tuus fundo frui a te, aut ab eo prohibetur, quem prohibere ne id faciat, possis: tantum ei præstabis, quanti ejus interfuerit frui, in quo lucrum etiam ejus continebitur. Sin vero ab eo interpellabitur, quem tu prohibere propter vim majorem aut potentiam ejus non poteris, nihil amplius ei quam mercedem remittere aut reddere debebis*. Publicationis casus periculi genus quoddam est, publicatus enim fundus amittitur & perit, non ut desinat ejus esse in rerum natura, sed ut desinat ejus esse cujus erat, & præstari posse iis quibus debebatur: quo modo non minore damno adficiuntur ii, quorum intererat fundum publicatum non esse, quam si chasmate periisset.

Motus hoc argumento loco & exemplo Cujacius non dubitavit scribere ad *d. l.* 33. ex ea lege intelligi, post perfectam venditionem periculum non respicere ad emtorem. Ad regulam vero sive definitionem illam tot locis inculcatam, & repetitam, Periculum pertinere ad emtorem, quod est rem perire emtori. Respondet perire quidem emtori, non pretium, quod emtori putat esse salvum semper, ut non compellatur illud solvere, vel si solverit, ut repetat. Quam in rem laudat *l. quod si neque* 14. *D. de Peric.* in qua, lectis venditis nec traditis, sed ab Ædile confractis, periculum dicitur esse venditoris. Et confirmari ait *l. ult. D. de Condict. causa data*. in qua pecuniæ repetitio est ab eo qui pecuniam dedit ut Stichus ei daretur, quem dicit esse casum in permutatione, ad exemplum emtionis. Respondet autem *legi Lucius* 11. *D. de Evict.* cujus sententia est, emtoris hæredes non recte recusare reliquum pretium, eo prætextu quod jussu principis fundus venditus partim distractus, partim veteranis assignatus esset: respondet, inquam, illi legi, traditum jam tempore publicationis fundum emtori fuisse; regulam autem esse de periculo contingente ante rei venditæ traditionem; Quod verissimum est. Ad §. *Cum autem* 3. *Inst. de Emtione*. In quo, ut ille ait; perspicue traditur re peremta ante traditionem, emtorem compelli pretium solvere, respondet in *Institut.* tradi summas & stricti juris regulas, nihil vero tale proponi in *Digestis*, in quibus æquitas diligentius inspicitur.

Verum idem Cujacius (si modo verus est Merillius) *in recitationibus* ad *Tit. Cod. de Act. emt.* ait post perfectam venditionem, emtorem omne periculum sustinere etiam ante traditionem! Quæ manifestissima contradictio est.

Salva pace Merillii Antecessoris dixero, contradictionem nullam, aut variationis umbram esse, si semel posita de quacunque re, opinione vel sententia nostra, contrariam postea sententiam proferamus velut vulgi, aut certi cujusdam Interpretis, hoc nominatim prædicto, vulgi, aut illius interpretis opinionem esse. Hoc autem præstitit magnus Magister illo qui objicitur loco. Quod ut probe ac sincere exaudiatur, assumendum est (quod facile annuent qui morem docendi præstantissimi viri tenent) uno ductu, una ut ita dicam saliva; & una recitatione, Cujacium expediviisse ambos illos Titulos *de Periculo*, & *de Act. emti.* Exordio autem recitationis præmonuisse difficillimam esse quæstionem: & quasi per otium ei non licuisset accuratiore studio ac diligentia rem dispicere, interea se vulgi sententiam tradere, Verba

Source : BIU Cujas

ſunt ejus. *Primo oſtenditur ad quem pertineat commodum vel incommodum rei venditæ, ad emtorem vel venditorem: quæ quæſtio eſt difficillima: de ea tamen id vulgo traditur, &c.* Quis bonus, ideſt, erga Cujacium benignus non intelligat, quidquid deinceps de quæſtione ediſſeruit ad vulgi opinionem referendum?

Ad reſponſiones & rationes Cujacii nunc veniamus! & primo quidem quod Cujacius dixit non ſibi officere *legem Lucius* 11. *D. de Evictionib.* jam ſupra bona fide agnovimus ſpeciem *d. legis Lucius* 11. eſſe de re publicata poſt traditionem.

Ad id quod dixit, rem perire emptori, quatenus res ei abeſt, ſed revera perire venditori, quia pretium ſalvum manet emtori. Dico (nam & hic ſilet Merillius) ſingulare eſſe in caſu publicationis, reddi pretium emtori vel ab eo non exigi, cum in cæteris cauſis & ſpeciebus exigi poſſit, ut probatur collatis locis Digeſtorum cum §. *Cum autem* 3. *Inſt. de Emt.* ut mox videbimus. Et quidem ad *d.* §. (in quo ut Cujacius ipſe fatetur) perſpicue traditur, re peremta ante traditionem, compelli emtorem pretium ſolvere. Cujacius reſpondet in *Inſtitutionibus*, tradi ſummas & ſtricti juris regulas; contra quam in *libris Digeſtorum* fiat. An hoc verum? Merillius prætermittit. Dico, & in *Digeſtis* idipſum paſſim tradi atque edoceri. In *l. Si in emtione* 34. §. *pen. D. de Contrab. emt.* Paulus ait, *Si emtio ita facta fuerit, eſt mihi emtus Stichus aut Pamphilus: in poteſtate eſt venditoris, quem velit dare, ſicut in ſtipulationibus: ſed uno mortuo, qui ſupereſt dandus eſt, & ideo prioris periculum ad venditorem, poſterioris ad emtorem reſpicit: ſed etſi pariter deceſſerunt, pretium debetur: unus enim utique periculo emtoris vixit.* Ulpianus in *l. Julianus* 13. §. 22. *D. de Act. emt.* docet ex vendito actionem eſſe ad ſumtus repetendos qui facti ſint a venditore in curationem ægri ſervi, vel etiam in funus ejuſdem *ante traditionem mortui*, quod ita intelligendum eſt, ut nec pretium, quod forte prærogatum ſit, repetatur, vel ut ſi non ſit ſolutum, exigi poſſit. *Mortuo homine, perinde habenda eſt venditio, ac ſi traditus fuiſſet: utpote cum venditor liberetur, & emtori homo pereat. Quare niſi juſta conventio intervenerit, actiones ex emto vendito manebunt.* inquit Julianus, *l.* 5. §. *ult. D. de Reſcind. vend.* Ad hæc verba *niſi juſta conventio, &c.* Accurſius apponit hoc exemplum, ut ſi donandi animo venditor emtori remittat pretium.

Sed quid dicemus ad *l. ſi fundus* 33. ſupra deſcriptam quæ quidem ſola eſt arx Cujacianæ (ut ita dicam) hæreſeos.

Merillius, *Non movet quod in hac l.* 33. *venditor emptori pretium reſtituere tenetur, publicato fundo ante traditionem, cum authoritate principis publicatus fuerit. Venditor publicatus veluti vi quadam majore prohibetur ne fundum poſſit tradere: ideo tenetur pretium fundi reſtituere.* Non eſt hoc ut mihi videtur reſpondere; ſed legem ipſam crudam ac indigeſtam proponere. Et vero Africanus comparat fundi publicationem periculo concuſſi ædificii. *Quemadmodum*, inquit, *ſi inſulam ædificandam locaſſes & ſolum corruiſſet, nihilominus teneberis.* Et hoc periculum dicitur in *l. Marcius* 59. *eod. tit. locati.* Dico igitur hoc periculum publicationis ſpectare venditorem utpote adhuc poſſeſſorem fundi venditi tempore publicationis: quia talia damna cum propter belli leges prædia victis a victoribus aufferuntur, poſſeſſoribus accidunt quaſi pœnæ loco, quod ſe ſuaque ſtatim non dediderint. Dixi poſſeſſoribus hæc accidere damna, quibus & honoris loco nonnunquam agri ſui vel pars aliqua relinquebatur, unde dubitandi non inſubtilis ratio in *l.* 15. §. *Item ſi forte* 2. *D. de Rei vindic.* ut omittam Siculi Flacci locum, qui in omnium ore eſt. Stricto quidem jure venditor emtori ad id quod ejus intererat teneri videbatur, cum ejus calamitatis cauſa & ex ſuo tempore originem ſumpſiſſet, & in eum adhuc poſſeſſorem ejuſdem calamitatis caſus incidiſſet. Æquitas tamen fecit, quia ſine dolo & culpa venditor fundum illum vendiderat, ut ad reſtitutionem pretii duntaxat teneretur.

DISPUNCTIO XXVII.

Onere vehendo conducto prærogata vectura, nec ſecuta vectione; An ſit actio ex locato; An actio ex promutuo?

ULpianus in *l. Ex conducto* 15. §. *Item cum quidam* 6. *D. locati*, ſic habet. *Item cum quidam nave amiſſa vecturam quam promutua acceperat repeteretur* (ideſt, urgeretur per repetitionem pecuniæ) *reſcriptum eſt ab Antonino Auguſto, non immerito Procuratorem Cæſaris ab eo vecturam repetere: cum munere vehendi functus non ſit, quod in omnibus perſonis ſimiliter obſervandum eſt.* Ait Textus *repetere*, ſed quo genere actionis, non aperit. Æque ſimpliciter Harmenopulus *lib.* 2. *tit.* 2. §. *ult. num.* 21. τοῦ πλοίου ναυαγήσαντος, ὁ ναύκληρος ἀποδίδωσι τὰ ναῦλα ἃ περ ἔλαβεν ἐν προχειρίᾳ, ὡς μὴ μετακομίσας.

Cujacius *lib.* 3. *Obſerv. cap.* 1. & rurſus *lib.* 8. *cap.* 34. ſcripſit locum eſſe *condictioni ex promutuo*. ideſt, condictioni indebiti; Indebiti ſolutionem promutuum eſſe, ſi ea ſolvantur quorum datione in creditum itur: & indebitum eſſe ſi ſolvero pecuniam quam nondum debeo, nec poſtea debere cœpi, ut in *d. l.* 15. §. *Item cum quidam* 6. At (inquit Merillius) aliter idem Cujacius *in recitationibus Cod. ad Tit. de locato*, in *l.* 5. ibi enim dixit nautam, qui merces vehendas ſuſceperit, & mercedem promutuam ſeu prorogatam acceperit, *teneri ex locato.*

Neque ſi hoc dixerit Cujacius *d. l.* 5. actionem eſſe ex locato, variaſſe dicendus eſt: & multo minus variator audiendus, ſi adjecerit ea quæ Merillius in repetitione ſive expoſitione ſua reticet, ea ſcilicet verba, *& fidem fallat.* verba Cujacii ſunt. *Si qui conduxit frumentum vehendum accepta pecunia in anteceſſum, ſive promutuo, fidem fallat; tenetur ex locato.* Ab hoc loco ordiamur! Hic non ſimpliciter Cujacius dixit actionem eſſe ex locato, ſed ita, ſi conductor fidem fallat. At Merillius arte logica nova hypotheticam & complexam propoſitionem quaſi ſimplicem habet, & pro cathegorica: nec mendacium arbitratur ſi a ſenſu compoſito ad ſimplicem, ſive diviſum argumentetur, quod nulli docti ferent, & Aphrodiſſæus & Javellus riderent. Ergo ita intelligendus

Source : BIU Cujas

ligendus sincere Cujacius, ut cum dixerit in redemtorem sive conductorem esse actionem locati, id senserit non simpliciter, sed hoc casu, si fidem fefellisset, ut *l. Si hi* 14. *Cod. de Locato*.

Sed (qui alter & primus est casus) etsi simpliciter Cujacius sive diversis locis sive uno eodemque loco dixisset, locum esse actioni locati, atque etiam condictionis: non ideo profecto contraria dixisse putandus est. Quasi vero ex eodem facto, negotio & causa multiplex sæpe non oriatur actio? Deposituro apud te vestem mandasti, ut apud libertum tuum deponeret, quis negat depositi actionem esse? sed cur non sit & mandati? *l.* 1. §. 14. *D. Depos.* Si Medicus servum imperite secuerit, Proculus ait, vel ex locato, vel ex l. Aquilia competere actionem, *l.* 7. *in fin. D. ad l. Aquil.* Qui tabulas apud se depositas delevit, quot actionibus subjicitur? *l.* 42. *eod. tit.* Nec mihi dicas non concurrere nominatas actiones cum condictione! Nam ut nominatæ plures invicem, ita & cum condictione concurrere possunt. *Exceptio jurisjurandi, non tantum si ea actione quis utatur, cujus nomine exegit jusjurandum, opponi debet: sed etiam, si alia: si modo eadem quæstio in hoc judicium deducatur; forte si ob actionem mandati, negotiorum gestorum, societatis, cæteraque similia, jusjurandum exactum sit, deinde ex iis causis certum condicatur: quia per alteram actionem altera quoque consumitur.* Ita Ulpian. *l. In duobus* 28. §. 4. *D. de Jurejur.* & rursus idem in *l. de eadem re* 5. *D. de Except. rei judic. De eadem re*, inquit, *agere videtur, & qui non eadem actione agat qua ab initio agebat, sed etiam si alia experiatur, de eadem tamen re: ut puta si quis mandati acturus cum ei adversarius judicio sistendi causa promisisset, propter eandem rem agat negotiorum gestorum, vel condicat &c.*

Vere itaque Cujacius dixit (si modo dixit) ideſt dicere potuit in redemtorem sive conductorem oneris vehendi utraque actione agi posse vel condictione, vel actione ex locato. Consultissime vero docuit condictioni locum esse posse, si conductor, sine dolo & culpa esset: quod Jurisconsultus in *d. l. Ex conducto* 15. *d.* §. *Item cum quidam 6.* innuere videtur, cum repetendi verbo non semel usus est, quo verbo condictionem ob rem significari etiam videmus passim in *Tit. de Condict. causa dat.* & condictionem indebiti, passim quoque *Tit. de Condict. indeb.* Et vero quare non esset condictioni locus, cum & fulloni ad repetendum pretium vestimentorum a se amissorum, quæ postea dominus inveniisset, non tantum ex conducto agere liceat, quod citra dubitationem est, sed condictio etiam non denegetur, quasi sine causa pretium quod dedisset, solvisse videatur? *l. Si fullo* 2. *D. de Condict. sine causa*. Nam etsi negotium inesse videatur cum datur ut quid sequatur, non tamen minus ex æquo & bono condictio est, *l. damus* 52. *in fin. l. In summa* 65. §. 4. *& l. pen. D. de Condict. indeb.*

Ait Merillius, Condictione indebiti si ageretur, vectura repeteretur; nec haberetur ratio ejus quod nauta oneris vehendi causa in navem instruendam impendisset. Metus hic inanis; posita enim doli exceptione nauta quidquid impenderit, servare poterit.

Ecce enim fluxis & infirmis rationibus problema Cujacianum Merillius hic impugnavit. Dicet forte, An tu advena nove, melioribus potes? Minimo labore. Enimvero etsi non prorsus abnuam condictioni sine causa in specie *d. legis Ex conducto* 15. *d.* §. *Item cum quidam 6.* locum esse posse. Nego tamen in ea locum esse condictioni indebiti. At concurrunt sæpenumero! Non semper, non necessario, denique numquam, si jus non sinat: scilicet ubicunque per errorem quid datum est, concurrant licet. At ubi non intercessit error, indebiti condictio non est. Ita idem Ulpianus eodem ipso loco, ideſt, libro 32. ad Edictum unde est *d. lex Ex conducto* 15. docet. *l. Sed addes* 19. §. 6. *D. Locati conducti*. Audiamus eum. *Si quis cum in annum habitationem conduxisset, pensionem totius anni dederit: deinde insula post sex menses ruerit, vel incendio consumta sit, pensionem residui temporis rectissime Mela scripsit ex conducto actione repetiturum, non quasi indebitum condicturum: non enim per errorem dedit plus, sed ut sibi in causam conductionis proficeret &c.*

DISPUNCTIO XXVIII.

An necesse sit in permutatione dominium transferri: vel sufficiat rem tradi, ut in venditione.

Illeamus tantisper de Cujacio & de Merillio, dum quid rei sit ex sententia nostra edisseramus. Certum est discretos esse contractus propria quadam differentia, & esse igitur unicuique suam naturam, cui si dettrahatur adjectione ejus quod ad alium pertineat, aliud negotium fit quam quod agi videbatur: ut ecce, si rem meam utendam tibi do gratuito, commodatum est: si non gratuito, locatio conductio. §. *Item is cui* 2. *in fin. Instit. Quibus modis re contrah. oblig.* vestimenta servanda balneatori dedi, si nullam mercedem accepit, depositum est; si accepit, locatio, *l.* 1. §. 8. *D. Depositi*. Pecuniam tibi commendavi, quid aliud est commendare quam deponere? Depositi natura est ut res commendata custodiatur sine mercede, restituaturque ipsa, non alia. Quod si convenerit ut tu mihi tantundem redderes, egreditur ea res notissimos terminos depositi, transit igitur in mutuum, *l. Lucius* 24. *D. Depositi*. Idem de mandato & de societate, *l. si tibi rem vendendam* 13. *D. de Præscr. verb.* Plerique contractus cognationem & affinitatem multam habent, & tantam interdum similitudinem, ut similes pro iisdem incautus accipiat, cum tamen nullum simile sit idem: itaque discerni debent sua quique natura, quæ ipsa differentiam propriam constituit, vel potius ipsa differentia speciem facit, quod Porphyrius significat, cum ait differentiam esse priorem specie ἡ μὲν διαφορὰ πρότερα τῶ κατ' αὐτὴν εἰδους.

Tanta vero est inter emtionem, venditionem, & permutationem similitudo, ut dubitatum sit an unum idemque essent, an diversa: & Sabiniani quidem emtum dicebant quod esset permutatum. Nimirum emtio origine fuit permutatio, cum esset omne commercium in permutatione, dum quod aliis affatim erat & supererat, aliis deerat aut propter cupiditatem & libidinem expetebatur: ut de Tartessianis & Phœnicibus scribit Aristoteles libro *de mirabilib. Auscult.* Phœnicum primos cum Tartessum navigassent, pro oleo aliaque nautica vili

Source : BIU Cujas

vili merce tantam argenti vim exportaſſe, ut armamenta navium pleraque, & ipſas etiam anchoras argenteas facere cogerentur. τοὺς πρώτους τῶν Φοινίκων ἐπὶ Ταρτησσὸν πλεύσαντας λέγεται τοσοῦτον ἀργύριον ἀντιφορτίσασθαι ἔλαιον ἢ ἄλλον ναυτικὸν ῥῶπον &c. vulgo legitur ῥύπον, Sed ῥῶπον melius. Nam Euſtathius *Iliad.*N. *fol.*927. (Ubi docet unde ῥωπηΐα) ῥῶπον etiam definit? ῥῶπος, inquit, λεπτὸς καὶ ἀτελὴς φορτὸς. Inde ῥωποπῶλις quem vernacule dicimus *petit mercier*. Sordidæ mercis negotiator. ut ait Quintil. *lib.*1. *cap.* 12. Locum autem illum Ariſtotelis videtur reſpexiſſe M. Tullius *lib.* 3. *de Repub. Phœnices*, inquit, *primi mercaturis & mercibus ſuis avaritiam, & magnificentiam, & inexplebiles cupiditates omnium rerum exportaverunt in Græciam*. Sed ex quo cuſus eſt numus quo æqualitate quantitatis difficultati permutationum occurreretur, datio pecuniæ pro merce appellata eſt emtio venditio, & cœpit diſtingui emtor a venditore qui in permutatione dignoſci non poterat: nec ultra merx utrumque fuit, ſed alterum pretium, alterum merx: denique placuit permutationem rerum non eſſe emtionem, *l.* 5. *D. de Præſcr. verb.* Adeoque apud omnes gentes obtinuit, ut ſine nummis non eſset venditio, utque ſolo conſenſu emtio venditio perficeretur, ſuaſque ſingulares notas atque præſtationes haberet, quæ omnia Paulus ediſſerit, *l.* 1. *D. de Contrab. emt. & l.* 1. *D. de Rer. perm.*

Exinde duo ſecuta ſunt. Primum eſt, ut emtio venditio vicerit utilitate ſua ac prope ſupplantaverit permutationem, rebus ita dictantibus ut facilius ad vendendum quis invitetur oblata ſibi pecunia, quam ad permutandum, oblata forte re aliqua minime neceſsaria, *d. l.* 1. *D. de Contrab. emt.* Alterum eſt, ut emtor omnimodo & neceſſario pro pretio rei emtæ nummos ſuos, non alienos venditori dare teneatur, hoc eſt, dominium tranſferre, non etiam venditor dominium rei venditæ: quod tamen originis ratio æque videbatur poſcere in venditore, atque in emtore; cum permutationes olim, (ut etiamnum hodie) non niſi inter dominos, re utrinque data fierent. Sed ratio fecit ut aliud in venditore, aliud in emtore ſervaretur. Qui pretium debet, rem certam, *ideſt*, certum corpus non debet, ſed quantitatem quam undecunque corradere poteſt, *l. Quidam* 36. *D. de Leg.* 1. vendat pecora, mancipia, margarita, diſtrahat ſuppellectilem, vel res ſoli, conficiet pecuniam: ita facile ei eſt ſuam pecuniam, ſuoſque nummos dare, & utique igitur dare debet, ut venditor ſtatim quæ ſibi neceſſaria ſunt comparet. At qui rem certam vendidit, certæ rei debitor factus eſt, certique corporis quod ſemel tantum eſt, nec functionem recipit in genere ſuo, ideoque tradendum eſt ipſum non aliud pro eo, tradendum, inquam, licet alienum, ut ideo excuſetur venditor ſi dominium non transferat quod non habet. Vix venditor ſervat pecuniam, ſed pretium rei venditæ ſtatim erogat: emtor autem rem ſervat, vel ut tantiſper pluris vendat: ideoque viſum eſt, & omnium conſenſu receptum, ut emtor teneretur pretium dare venditori, ita loquuntur noſtri, ut *l.* 31. §. 8. *D. de Ædilitio Edicto*. Horat. *lib.* 2. *epiſt.* 2. *v.* 16.

Da nummos, excepta nihil te ſi fuga lædat.

quod non eſt receptum in venditore, obſtante rei difficultate, ſed hoc tantum receptum, ut emtori rem traderet, præſtaretque habere ei licere, ex quo uſu rem ſuam facere poſſet ex bona fide, utque idem venditor ſine dolo ſit, & evictionem præſtet, *d. l.* 1. *D. de Rerum perm. l. ex emto* 11. §. 1. *D. de Act. emti*. & aliis vulgatiſſ. locis.

At permutatio manſit in ſua natura: ſoli olim domini res ſuas permutabant, erat permutatio rerum propriarum non alienarum, eſt & hodie ejuſmodi: vendendi & emendi neceſſitas maxima eſt, permutandi non tanta vel forte nulla. Itaque ut res aliena vendatur recipi poteſt, ut permutetur, non item. Et ut diſputationem hanc ad noſtros tandem deducam: aperte Paulus Pedium dixiſſe refert, *alienam rem dantem nullam contrahere permutationem*, *d. l.* 1. §. 3. *D. de Rerum perm.* Quid eſt *permutare?* Nihil aliud certe quam hoc agere, ut res noſtræ dominio mutentur; ut mea tua, & tua retro mea fiat: quod probatur facile hoc modo. In tractatu totius ob rem dati, qui his articulis continetur do ut des; do ut facias, facio ut des, facio ut facias: certum eſt dare, ſignificare dominium transferre, *leg. ult. D. de Condict. cauſa data*. *l. Naturalis* 5. *D. de Præſcr. verb.* ut in aliis ſpeciebus puta ſtipulatione dandi, *l. ſi ita* 25. *D. de Contrab. emt.* & in formula condictionis (ſi paret adverſarium dare oportere) §. *ſic itaque diſcretis* 14. *Inſt. de Act.* ubi Theophilus δοῦναι γάρ ἐστὶ τὸ ποιῆσαι δεσπότῃ: & cum dicimus emtorem dare pretium debere, *d. l.* 31. §. 8. *D. de Ædil. Edict.* Atqui permutatio ut notum eſt, pertinet ad tractatum ob rem dati, nimirum ad primum articulum, do ut des, *d. l.* 5. §. 1. *D. Præſcr. verb.* Ergo in permutatione transfertur dominium.

Hoc confirmari poteſt, *l. ſcribit* 34. *in pr. verſic. Quod ſi aurum. D. de Auro*. ubi talis ſpecies habetur. Aurum ſuum omne teſtator legavit uxori, ideſt, aurum quod ejuſdem teſtatoris eſſet mortis tempore, Idem teſtator aurifici aurum dederat, ut vaſculum ſibi faceret, non quidem ex eodem auro, ſed ex alia auri maſſa quæ penes ipſum aurifabrum erat: mortuo teſtatore quæſitum eſt, an illud aurum quod teſtator aurifici dederat, cederet legato mulieris? Pomponius demonſtrat non cedere hac ratione, quia id aurum non eſſet teſtatoris cum moreretur jam factum artificis genere quodam permutationis, *quippe*, inquit, *quaſi permutationem feciſſe videtur*. Quod eo proculdubio dictum eſt, quod certum ſit permutatione dominium transferri.

Merillius autem in contraria eſt opinione: & contra expreſſa Pedii verba ſcribit cum hic nunc, tum olim in *ſuis Obſervationibus* rei alienæ permutationem eſſe. In permutatione, inquit, neuter tenetur rem facere accipientis, quia utrumque eſt merx, uterque venditor eſſe intelligitur: rurſus ille. In permutatione ſufficit rem tradi, res tradita initium obligationi præbet. Ad authoritatem Pedii ſi aves ſcire quid reſpondeat, verba ejus ſunt, *Licet rei alienæ permutatio non contrahatur, non tamen ſequitur dominium transferri debere, ſufficit in permutatione rem propriam dari dominio in bonis vel poſſeſſionis, licet propria non ſit dominio Juris Civilis: ſatis eſt ad contrahendam permutationem, ſi res quoquomodo propria detur, dummodo non detur aliena. Bonæ fidei poſſeſſor permutationem contrahit, quia rem ſuam dat.*

Ad

Ad *l. scribit* 34. *D. de Auro*. respondet, ut in venditione dominium transfertur si venditor sit dominus, ita in permutatione.

Deus bone! quantas nugas quanto molimine? Cum Pedius dixit *alienam rem dantem nullam contrahere permutationem*, alienam intellexit quæ non esset in dominio dantis, quod est juris gentium, vel juris Quiritium: duplex hoc genus dominii in usu juris solum attenditur, ut cum dicimus rei vindicationem competere domino, *l. in rem* 23. *D. de Rei vindic.* bonæ fidei possessor perpetuo separatur a domino, *d. tit. de Rei vind. toto tit. de publiciana. toto tit. de usurp. & usucap.* & passim: ut quid cavillamur? Qui rem alienam emit, alius est a domino, *l. ult. D. de Præcario*. Quæ alicujus res est, alterius non est, *l. si inter me* 15. *D. de Except. rei judicatæ*. Ubinam scriptum, aut usquam relatum bonæ fidei possessorem dici, rem suam tradere quæ ipsa aliena sit, aut eandem ipsam alienam non esse: *Si dominium in fundo quis habuit, id tradendo transfert, si non habuit, nihil transfert*, inquit Ulpianus, *l. Traditio* 20. *in pr. D. de Acquir. rer. dom.* Et Modestinus *l.* 52. *eod. tit. Rem in bonis nostris habere* intelligimur, *quoties possidentes exceptionem, aut amittentes ad recuperandam eam, actionem habemus.*

Finge, Titius rem suam, idest, jure gentium, vel civili suam effectam Sejo permutationis causa dedit. Sejus e contra, rem a se bona fide emtam Titio tradidit, vel etiam non tradidit, cum de ea tradenda convenisset. An est contracta permutatio? Utique contracta est. Ratio est, quia cœpit permutatio a datione, *l. 1. D. de Rerum permutat.* An poterit Titius agere præscriptis verbis ad id quod interest rem a Sejo datam non esse? Et utique agere poterit, *l.* 4. *Cod. de Rerum permut. & l. antepen. Cod. de Evict.* Quid igitur si Titius rem non suam Sejo tradiderit? an agere contra Sejum poterit? Et sequitur a contrario & secundum Pedii sententiam, non posse: quia quæ incipere poterat obligatio sive permutationis contractus a datione, non cœpit; quod omnino necessarium fuit. Quod autem Merillius adfert ad argumentum deductum ex *d. l. Scribit* 34. Levissima est conjectura: quasi Pomponius non potius de jure responderit quam de facto, ut illa verba *permutationem feciſſe videri defunctum* omnino jus contineant ut hæc *quasi societatis jure*, in *l.* 25. §. 6. *D. Locati*, naturam societatis designant.

Negotium forte Merillio faceſſit quod ait *d. l.* 1. *D. de Rerum permut. In permutatione, si utrumque quod traditur pretium est, utriusque rem fieri oportere, si merx, neutrius.* Possit enim ita argumentari. Non utrumque quidem pretium, sed utrumque in permutatione merx est. Ergo in permutatione, translatio dominii necessaria non est. Verum quis non intelligit, quod superius dictum est, eo dictum esse ut doceatur permutationem non esse venditionem, & illud dictum, spectato eo quod in venditione est, non spectato eo quod in permutatione sit.

Rursus dicat Merillius. Re aliena tradita, saltem est actio ut res reddatur, si alius ex sua parte non det, quod dare eum convenit. Respondeo esse condictionem: non præscriptis verbis actionem quasi ex permutatione. Ex bono & æquo repetitio datur, *d. l.* 1. *D. de Rerum perm. l.* 5. §. 1. *D. de Præscript. verb. l. In summa* 64. §. *quo ob rem* 4. *D. de Condict. indeb.*

Jam quod ad Cujacium attinet, si momentum aliquod contra eum facit quod ex ejus Posthumis operibus profertur; videri possit id pene sensisse aliquando, quod hodie Merillius; permutationem scilicet non desiderare dominii translationem. Nam in eo Pedii dicto, *alienam rem dantem nullam contrahere permutationem*, adlaborasse quidem videtur, lib. 33. ad Edictum Pauli, in explicanda *l.* 1. *D. de Rerum perm.* Sed non tam colluctatio quam certaminis finis intuendus est: porro ita concludit. *Proinde sic statuamus, re aliena ab alterutro data, claudicare permutationem ex parte ejus qui dedit rem alienam*. Quod alienissimum est a sententia Merilliana. Nec aliud idem Cujacius *lib.* 23. *Observ. cap.* 28. ubi ita habet. *Proinde re aliena ab alterutro data, claudicat permutatio; quod sæpe evenit & in aliis negotiis. Et cum unus rem suam dedit & fecit accipientis, si alter ei quoque vicissim rem suam dare occupavit, vel agere præscriptis verbis quasi ex permutatione quanti interest*. Quæ si integra Merillius retulisset causam suam prodidissent. Nunc credam Attico testi.

DISPUNCTIO XXIX.

Præscriptis verbis actio unde dicta?

PRofecto Cujacius, in notanda originatione actionis præscriptis verbis, non variavit: & ei solum potest variasse videri, qui nec sequitur eum, nec assequitur. Ille ergo ad §. 1. *Instit. de location. Præscriptis*, inquit, *verbis dicitur quod detur ex præscripto conventionum, vel proinde uti convenerit, si conventio scripta non sit, l.* 1. §. *Si quis servum* 9. *D. Depositi. l. Si dominus* 8. *D. de Præscr. verb. Est igitur præscriptis verbis τῶν προγεγραμμένων συμφώνων actio. Sic enim ab Constantino nuncupata est lib.* 11. *Epitom. tit.* 13. Hæc ille ibi. Sed forte obscurum hoc est, hoc enim est dicere secundum quod conventione præscriptum est, vel narrata conventione, narrato facto ut idem alibi, *tract.* 1. *ad Africanum*, sive ad *l.* 24. *D. de Præscript. verb.* narrata conventione, scilicet ut ea conventione præscriptum quid est: quod Gallice dicimus; *Il faut exposer le fait & les propres termes du marché ou de la convention*. quia præscriptis verbis actio ex conventionibus datur. Si non igitur præscribuntur conventionum verba, nec consequenter appellabitur præscriptis verbis, sed in factum simpliciter.

Videamus an aliud Cujacius voluerit ad *l.* 7. *D. de Pactis*, quam ei ob objicit Merillius. Ibi improbat Cujacius expositionem eorum qui simpliciter præscriptis verbis actionem appellatam volunt, quod ejus actionis verba rei gestæ explicationem contineant. *Hac enim*, inquit, *ratione in factum civilis accommodata legi aquiliæ, imo omnes in factum actiones præscriptis verbis appellabuntur quod admittendum non est. Sed* (objicit Merillius) *aliter in recitationibus ad titulum de præscriptis verb.* Mox hæc profert quasi ex Cujacio: *Et notandum, hanc ideo vocari præscriptis verbis, quod rei gestæ narrationem contineat. Dicitur*

Source : BIU Cujas

citur etiam in factum, quaſi in factum compoſita. Næ ſi ego tale facinus; audiam libenter.

Vappa lippus, & in tenui farragine mendax.

Enimvero reddenda eſt negatio, unde detracta eſt illo loco: Ubi legitur ex typis Lutetianis: *Et notandum hanc ideo non vocari præſcriptis verbis, quod rei geſtæ narrationem contineat.* Et legendum omnino ita, præcedentia volunt. *Dicitur* (ait Cujacius) *præſcriptis verbis, quia datur ex præſcripto contrahentium, cæteræ actiones dantur a Prætore conceptis verbis; quod ſi ſcripto caret contractus, datur actio ex rudi & ſimplici eorum qui contraxerunt conventione.* Et iterum addit, *hæc enim actio non datur niſi ex contractu.*

Si dolo vacuus Accuſator eſt! non ſane culpa. Lapſus eſt forte quod videret ſcriptum a Magiſtro, non vocari hanc actionem præſcriptis verbis, quod rei geſtæ narrationem contineret. Sed quis in jure ſapit, nec intelligit hoc exaudiendum eſſe, ut non ſimpliciter ex rei geſtæ narratione appelletur præſcriptis verbis, ſed propter verba conventionis? Denique ut rem teneamus, præſcriptis verbis actio eſt, quia ſecundum verba conventionis datur, & numquam non ex conventione; cum in factum actio detur etiam ubi conventio nulla.

DISPUNCTIO XXX.

Actio in factum utilis ex l. Aquilia; an civilis, an Prætoria ſit.

Actionum inſtituendarum diligens obſervatio apud Romanos fuit ſemper, ut inepta actione & negotio quod proponeretur minus congrua ageretur fruſtra: qui mos ab antiquis Pontificibus duravit per varia Reipub. tempora, nec deſtitit ſub Imperatoribus Theodoſio & Valentiniano, formulis agendi etiam ſublatis, *l. 2. Cod. de Formulis.* Placuit hoc & Chriſtianis Pontificibus, *cap. Examinata 15. extra. de Judiciis.* nec Gallicis, ut ſat ſcio, tribunalibus diſplicuit. Cauſa vero tam religioſi delectus non alia fuit, quam veritatis explicandæ ſtudium, cujus in judiciis potiſſimam rationem eſſe debere intelligebant. Qua de cauſa & jurisjurandi formulas ut liquido & ex animi ſententia juraretur, accommodari præcipiebant, *l. 8. §. jubetur 5. D. Qui ſatisdare cogantur.* ut curioſius ſacramentum præſtarent ut ait *lex. ult. Cod. de fide inſtrument.* & cautiones etiam certis verbis concipi, ne promiſſores deciperentur ut *l. Cum res 47. §. 2. in fin. D. de Legat. 1.*

Eo referendus uſus actionum quas in factum appellavere. Nam cum plerique nec tamen omnes contractus certam habeant naturam, qua hominum negotia & geſta concluduntur, & leges quoque certos caſus habeant, quibus delicta cenſentur, & æſtimantur, nec tamen omnes caſus comprehendunt: ut certis contractibus, ita & certis delictis & actionibus, quæ ex iis competunt, certa nomina dederunt ex quibus ſatis intelligeretur quid rei eſſet: incertis vero & negotiis & factis ſive admiſſis, generalem actionem, & eidem actioni generalem appellationem impoſuerunt, in factum ſcilicet, in qua proponenda factum omni ex parte narraretur, adeo ut, ſi factum conventione aliqua ſive ſcripta ſive non ſcripta contineretur, verba conventionis proponerentur, unde præſcriptis verbis in factum actio: de qua *ſuperiore capite*. ſin res & factum ad conventionem non pertineret, aut in certam delicti ſpeciem non caderet, in factum actio conciperetur. Et quod ad delicta attinet, ne res exemplis careat, quatuor hæc privata delicta, furtum, rapina, damnum, & injuria, legibus vindicantur certa civili actione ad ſingula comparata, uno quoque eorum certa definitione concluſo, ut certa ex cauſa certoque facto intelligatur factum furtum, damnum &c. & ita certa ſit actio ex omnibus: extra illam cauſam, non ſit. Lex certa eſt ex certis atque expreſſis verbis: & certa inde actio in certo caſu competit, certiſque perſonis, & contra certas perſonas datur. Quis fur dicatur & quid ſit furtum, furti definitio palam facit: fac furem inter furandum fregiſſe aut rupiſſe quid, quod non furandi cauſa contrectaverit, erit ne furti actio? non erit, *l. Si quid fur 22. D. de Furtis.* erit ex l. Aquilia, *l. 27. §. 5. D. ad l. Aquil.* Qui pecus fugavit dolo malo ut a ſociis interciperetur, furti tenetur: ſi ſine dolo & per laſciviam id fecit, & pecus inciderit in fures, non tenebitur furti, ſed in factum actio in eum danda erit, *l. In furti 50. §. ult. D. de Furt.* Lege Aquilia tenetur qui ſervum vel pecus alienum occidit: occidere quidem dicitur vulgo, qui cauſam mortis quolibet modo præbet; ſed in l. Aquilia, occidere dicitur qui adhibita vi & manu ſua occidit, a cædendo deducta appellatione, *l. ita vulneratus 51. D. ad l. Aquil.* Itaque occidere proprie eſt corpore ſuo corpus vita privare: & l. Aquilia proprie tenetur qui corpore ſuo vivum corpus peremit, aut alias corpore ſuo alieno corpori nocuit. Quid igitur ſi non corpore ſuo, ſed aliter? puta ſi incluſum pecus fame mori coëgit, aut ita fugavit ut præcipitaretur: an tenetur ipſa l. Aquilia? verba enim legis Aquiliæ ad hunc caſum non pertinent. At ſaltem hic caſus a ſententia leg. Aquiliæ non abhorret: paulum enim abeſt, quin corpore ſuo nocuerit, qui corpori alieno facto ſuo nocuerit; qui cauſam mortis præbuerit, *l. 7. §. Celſus 6. & l. Item ſi obſtetrix 9. D. Eod. tit.* Ita eſt, proindeque etſi directa & propria hoc caſu actio non competat, utilis tamen, ex ſententia Legis & quaſi ex l. Aquilia dabitur, *§. ult. Inſt. de l. Aquil. l. Nam & præcipitata 51. D. de Furt.* ad exemplum Legis Aquiliæ, quia ſimilis caſus eſt, *l. Boves 53. D. ad l. Aquil.* Et utilis hæc actio in factum eſt: nam cum directa non ſit, ideſt, proprio caſu Legis non competat, actorem oportet enarrare quo modo, quave ratione adverſarius damnum dederit; & hæc actio in factum utilis appellatur, ſeu in factum accommodata Legi Aquiliæ, *l. Quia 11. D. de Præſcr. verb.* In hac utili actione perinde atque in directa, nocitum eſt corpori alieno, ſed diverſo modo. Datur tertius caſus in explicatione Legis Aquiliæ quo licet nec corpore: nec corpori alieno nocitum ſit, eſt tamen actio propter damnum quod ex facto alicujus contigerit, puta ſi miſericordiæ cauſa ſervum meum vinctum quis ſolverit, qui fugam mox arripuerit: hoc factum neque furtum eſt, *l. 7. §. 7. D. de Dolo.* neque ſimile eſt ſuperioribus duobus caſibus ad Legem Aquiliam vel ejus ſententiam pertinentibus; reſtat igitur ut ipſius facti ratione

Source : BIU Cujas

tione ad eam actionem veniatur quæ dolo proxima est, quæ dicitur in factum, prætoria scilicet, proxima actioni de dolo. §. *ult. Inst. de l. Aquil.* cujusmodi dari solet a Prætore in subsidium, *l.* 7. §. 2. *D. de Pactis*.

His ita constitutis, quæritur an utilis illa in factum actio quæ secundo casu datur, civilis sit, an Prætoria? Merillius Prætoriam dicit: Cujacius ubique docuit esse civilem; & adeo infirmum & male fidum accusationis suæ nactus est adversarium, ut titubet in proponenda delatione, *Cujacius* inquit, *in notis prioribus, civilem dici debere existimat. Idem tamen ad Titulum de pactis l.* 7. *in pr. ait principium legis Qui servandarum* 14. *D. de præscr. verbis, accipiendum de actione in factum Prætoria. Et quidem si intelligit actionem in factum utilem quæ datur exemplo legis Aquiliæ, eam Prætoriam esse existimat*. Quæ isthæc accusatio, *Si Cujacius intelligit?* Quid si non intelligit? Ergo nulla variatio. Si hominem Titius occidit, reus est Titius legis Corneliæ de Sicariis: si non occidit, tutus est eo judicio.

Sed ad quæstionem veniamus, *An in factum utilis actio ex l. Aquilia civilis sit, an Prætoria;* Probo civilem esse. Utilis in factum actio accommodata legi Aquiliæ vel alii legi, distinguitur ab actione in factum Prætoria; ergo Prætoria non est. Probatur antecedens ex ordine actionum omnium qui talis esse noscitur, ut primum locum obtineant civiles nominatæ, secundum locum civiles innominatæ, quæ in factum civiles dicuntur, (quarum aliæ præscriptis verbis sunt, scilicet quæ ex conventionibus dantur, aliæ simpliciter in factum appellantur, non etiam præscriptis verbis, ut *superiore capite* ex Magistro dictum est) tertium Prætoriæ directæ & utiles ex Prætorum Edictis comparatæ, ideſt, tam ex verbis quam ex eorum sententia; quartum actio de dolo; quintum denique in factum Prætoria generalis ex decreto, secundum ea quæ magister docuit ad *l.* 7. *D. de Pactis*, & ad *Tit. de præscriptis verbis in fine primæ prælectionis*. Ex hac serie & ordine quem nemo Jurisconsultus improbare potest, apparet utilem in factum actionem distingui a Prætoria. Neque hoc potest telum Merillius effugere, qui cum hic, tum in *Observationibus suis lib.* 3. *cap.* 26. duas in factum actiones reponat in tertio ordine actionum in factum (quarum quinque species constituit) utilem illam in secundo ordine locat, nec appellat Prætoriam: credo non alia ratione, quam quod sciat nullibi in jure Prætoriam vocari: Et ita cum novam disciplinam introducit, propria confunditur ratiocinatione.

Dicat forte Merillius se distinxisse, non ideo quia altera sit Prætoria, altera civilis: sed quia utilis accommodatur Legi, ex mente & sententia Legis; In factum vero Prætoria decernitur ex æquitate & causa cognita. Atquin hoc ipsum evincit utilem illam civilem esse: nam vel teste Merillio, actiones tum civiles, tum Prætoriæ, ita distinguuntur ex origine §. *sed istæ quidem* 3. *Inst. de actionib.* At quæ datur ex mente & sententia Legis, vere originem ex lege habet. Ergo civilis dici debet. *Verbum (ex Legibus) sic accipiendum, tam ex Legum sententia quam ex verbis, l. Nominis* 6. *D. de Verb. signif.* Sextus Cæcilius (qui fuit & scientia, & usu, & auctoritate illustris)

A Phavorino Philosopho dicebat appositè, sententiam Legum verbis & moribus comprehensam esse, Gell. *lib.* 20. *cap.* 1. ideſt, contineri verbis, & ipso usu qui optimus est interpres. Porro & illa optima interpretatio est, quæ non minus ex mente ducitur, quam ex verbis, *l.* 7. §. 8. *D. de Pact.* Triphoninus in *l. ult. D. Qui petant tutores. Credendum est eam matrem constitutione contineri, quæ a patre non legitime tutores datos, non postulavit decreto confirmari*. Nemo dicet ex Senatusconsulto Trebelliano non esse actionem etsi verba fideicommissi desint, si modo mens & sententia fideicommissum inducat, *l. Ubi parte* 19. §. *Te rogo* 1. *D. ad Senatusc. Trebell.* Certum est patronorum tutelam B & dici, & esse legitimam, *l.* 1. *D. de legitimis tut.* & tamen non ex verbis sed ex sententia tantum Legis inducta est, *l.* 3. *illo tit. de Legitim. tut. & tit. Inst. de Legit. patron. tut.*

Cum Prætor utiles actiones legibus aut testantium voluntatibus accommodat, vim & potestatem juris civilis exerit & hac maxime causa viva vox juris civilis dicitur jus honorarium, ut & ob alias causas in quibus supplet & interpretatur jus civile, *l.* 7. *l.* 8. *D. de Just. & jure*. secundum quod Prætor & Legis & testatoris voluntatem subsequitur, utiles actiones dando, ut *l. Pater* 10. §. *Si mortuo patre* 1. *D. de Captivis*. Prætor supplet actiones vel ex sententia, vel præter sententiam: si ex sententia, non tam inducit, quam ut ita dicam educit C atque exprimit, ut is qui excutit grana quæ spica continentur, speciem non facit novam, sed eam quæ erat detegit; ita cum utilem Prætor decernit actionem, eam actionem quæ quodam modo erat & continebatur lege vel constitutione, vel stipulatione, accommodat, deficiente directo judicio, *l.* 22. *D. de Constit. pec. l.* 49. *D. Fam. herciſc. & l.* 2. *D. de Præscr. verb.* cujus mox contextum subjiciam: sed præter legem quasdam actiones ex sua Jurisdictione comparatas Prætor habet, §. *Sed istæ* 3. *Inst. de Action.* Alias non sufficeret actionum numerus, *d. l.* 11. *D. de Præscript. verb. Cujus legis initium* (suggerente magno Magistro) de actione in fa- D ctum Prætoria intelligendum est: reliqua, de actione in factum civili. *Lex* ait, *Quia actionum non plenus numerus esset, ideo plerumque actiones in factum desiderantur. Sed & eas actiones quæ legibus proditæ sunt supplet Prætor in eo quod legi deest: quod facit in l. Aquilia reddendo actiones in factum accommodatas legi Aquiliæ: idque utilitas illius Legis exigit*.

Dicimus *hujus Legis initium* esse de actione in factum Prætoria quam subsidiariam æque & dolo proximam affirmamus. An idem dicendum *d. l.* 14. *eod. tit.* ubi, *Qui servandarum mercium suarum causa alienas in mare sine dolo projecit, in factum actione teneri dicitur?* Si Merillio credimus E non est idem dicendum. *Videtur*, inquit, *intelligendam esse actionem in factum quæ datur exemplo legis Aquiliæ*. At secundum præstantissimum magistrum, in factum Prætoria intelligenda. *In proposita*, inquit, *specie, erit in factum Prætoria, vel si dolo fecerit aut data opera ut alium fraudaret, tenebitur de dolo. Nam hæ duæ actiones concurrunt semper: in scientem datur de dolo, in ignorantem in factum Prætoria*. Hæc tenenda observatio, concurrere has actiones, quia ut plurimum actioni de dolo succedit, & subsidio est illa

Source : BIU Cujas

Prætoria in factum, *l. 2. de D. de Dolo.*

Præſentit Merillius ſibi adverſari exemplum actionis præſcriptis verbis, quæ ab origine & exemplo, in factum civilis appellatur; ſcilicet originem habet ex Jure Civili, ex interpretatione Prudentum qui cenſuerunt exemplo directarum actionum quæ ex certis & nominatis contractibus competunt, utiles dandas eſſe ex contractibus innominatis, qui affinitatem haberent & ſimilitudinem cum nominatis. Exemplum tale eſt, ut præſcriptis verbis actio quæ exemplo directæ actionis recepta eſt, dicitur in factum civilis; ita in factum utilis quæ datur exemplo directæ legis Aquiliæ, civilis dici debet. Huic exemplo non ratione, non authoritate aliqua certa, obviam ire, ſed ſola negatione ſatis eſſe putavit Merillius *hic & d. lib. 6. Obſerv. cap. 7. Non dicitur*, inquit, *ea actio civilis quod comparata ſit ad inſtar directæ actionis civilis: ſed quod originem habeat ex jure civili*. Mihi utique ac cæteris abunde eſt opponere magni Cujacii auctoritatem. Sic ille ad *l. 7. D. de Pactis. In factum civilis accommodata Legi Aquiliæ &c.* Et infra. *Civilis autem dicitur, non quod lege nominatim prodita ſit, ſed quia ad exemplum civilium actionum comparata eſt, ut actio præſcriptis verbis, &c.* Sed & hoc amplius dico originem, fatente Merillio, ex jure civili habent: ergo civiles cenſendæ ſunt. Merillius ait, utilis actio in factum, quam Prætor ſupplet ex ſententia legis Aquiliæ, eſt ex lege Aquilia, vel quaſi ex lege Aquilia, & tamen eſt Prætoria non civilis: mira doctrina! quæ epicœni generis actionem invenit cui attributa duplici origine, tandem certiorem adimit: quod portentum iſtuc? *ex lege eſt, eſt tamen Prætoria, non civilis*. Addit Merillius. *Licet Prætor aliquid faciat ex ſententia legis, non tamen id Juris civilis eſt, ut patet in bonorum poſſeſſione quæ dicitur Ex legibus*. Eſt incommoda actionum & bonorum poſſeſſionum comparatio: Bonorum poſſeſſiones Prætor ex ſua juriſdictione introduxit *princip. tituli Inſt. de Bon. poſſ.* Sunt hæ imperii & Juriſdictionis, *l. 3. D. de Juriſd.* quamvis quædam dicantur & videantur quodammodo originem ducere ex jure civili, argumento *l. 1. D. Unde cognati*: Et cum ex Legibus ac Senatuſconſultis dantur, non minus ſucceſſiones honorariæ ſunt. Cum enim novis legibus hæreditates ſimul & bonorum poſſeſſiones deferuntur, vere ac proprie hæreditates deferuntur legibus. Bonorum vero poſſeſſiones non proprie iiſdem legibus deferuntur, ſed ex Edicto competere demonſtrantur, ut jure honorario bonorum poſſeſſio detur, veluti ea parte Edicti, *Tum cui ex legibus*; Denique juſſum eſt ex legibus, forma & juriſdictio eſt ex Edicto, *l. Generaliter 3. D. Unde legitimi*. quomodo dicitur in *l. 3. §. ult. D. Ne vis fiat ei qui in poſſeſſionem &c.* Prætorem polliceri poſſeſſionem matri de cujus ſtatu dubitatur, *ex Epiſtola divi Adriani, ad exemplum præſumtionis Carboniani Edicti*. Non eſt idem in actionibus: nam aliæ civiles ſunt, aliæ Prætoriæ tum origine, tum auctoritate, *l. Actionum autem 25. §. ult. D. de Oblig. & act.* Non omne quod Prætor facit, permittit, aut exequitur, Prætorium dicendum eſt: alias quod eſt judiciale pignus Prætorium dici deberet, quod cum in cauſam judicati capiatur, capitur exequente Prætore ſententiam a judice a ſe dato dictam, *l. 15. in princ., & §. 2. in fin. ff. de re Re judic.*

Iterum Merillius, utilis, inquit, actio arbitraria de eo quod certo loco dari oportet, venit ex ſtipulatione, & tamen civilis non eſt, ſed Prætoria. Unde hoc probas Merilli? Ex §. *Si quis agens* 33. *Inſt. de Actionib.* fruſtra fuerit diligens, qui probationem ex eo quærat! nam quod ibi habetur, *Si quis tamen Epheſi petit, ideſt, eo loco petat quo ut ſibi detur ſtipulatus eſt, pura actione recte agit, idque etiam Prætor monſtrat*, non pertinet ad notandam originem actionis illius arbitrariæ, ſed ad ſollicitudinem Prætoris indicandam in obſervatione ſingulari circa eandem actionem, ſcilicet ut omiſſa ea actione, ex ſtipulatione poſſit agi pura intentione in loco quo dari creditor ſtipulatus ſit. Quid? An ubicunque aliquid monſtrat Prætor circa aliquam actionem, continuo dicat Merillius eam actionem eſſe prætoriam? Dicat igitur commodati actionem eſſe prætoriam, arg. *l. 1. D. Commodati*. Imo dicat omnes actiones prætorias eſſe. Nam ut eſt in *l. 1. D. de Rebus creditis. Multa ad contractus varios pertinentia ſub hoc titulo Prætor inſeruit*, & paulo poſt, *Ideo ſub hoc titulo Prætor & de commodato & de pignore edixit*. Iterum dicat Merillius.

—— *quærimur non apparere labores,*
Noſtros, & tenui diducta poëmata filo.

DISPUNCTIO XXXI.

An ſpecies *legis Si ſervus 21. D. de Evictionibus*, referenda ſit ad actionem ex emto, vel ad actionem ex ſtipulatione duplæ?

Textus *d. l. 21. in pr.* hic eſt. *Si ſervus venditus deceſſerit antequam evincatur, ſtipulatio non committitur, quia nemo evincat, ſed fatum humanæ ſortis: de dolo tamen poterit agi, ſi dolus interceſſerit.*

QUæſtionis eſt an hæc verba *de dolo tamen poterit agi, ſi dolus interceſſerit*. ad actionem ex emto; qua dolus vindicatur (qui omnibus bonæ fidei judiciis vindicatur) referenda ſint, an ad ſtipulationem duplæ ea parte, qua doli clauſulam continet: quaſi hæc verba exceptionem ejus quod ſimplicius dictum eſt, contineant.

Videri poſſit minus male nullibi quam hic collimaſſe Merillium. Quis enim non dicat variaſſe Cujacium, qui *lib. 3. Obſervationum cap. 37.* laudat Accurſium quod ea verba retulerit ad actionem ex emto, hiſce verbis *non male interpres refert ad actionem ex emto nomine doli*. Idem vero *tract. 6. ad Africanum ad l. 24. D. de Evict.* eadem verba referat ad doli clauſulam, quæ pars eſt ſtipulationis duplæ.

Dicam tamen neque hoc loco variaſſe Cujacium: non recte committere Merillium duos hoſce Cujacii locos. Nam quod ad primum attinet, velim bona fide hoc mihi concedi, Cujacium ibi non interpretari *l. Si ſervus 21.* ſed hoc agere tantum ut doceat fugitivam eſſe, *l. 1. C. de dolo*. quæ non ſit accipienda de doli actione prætoria, ſed de actione mandati, cui ut in cæteris bonæ fidei judiciis, de dolo actio ineſt, & in qua de fide rupta

Source : BIU Cujas

rupta agitur; hoc autem sciviſſe & præſenſiſſe Joannem Azonem & Accurſium cum agnoſcit & eo nomine eos collaudat, laudat & interpretem *d. l. Si ſervus* 21. qui hoc ipſum cum intelligeret, non male hæc verba (*de dolo*) retulerit ad actionem ex emto nomine doli. Laudat, inquam, in eo quod animadverterit actionem de dolo ineſſe judicio emti.

Jam *ad Africanum*, quid Cujacius habet, ut videatur de ſententia *dictæ legis*, *Si ſervus* 21. ſenſiſſe, & ſtatuiſſe? *Stipulationi de evictione*, inquit, *adjicitur doli clauſula*, & *hæc forte intelligitur*, *l. Si ſervus* 21. *in pr. D. de Evictionem*, quid hoc eſt, *forte?* vel eſt dubitantis (non eſt ſane definientis) vel eſt ſubindicantis aliquo caſu referri poſſe prædicta verba ad ſtipulationem duplæ. Quod ipſum ſi fieri poſſe demonſtravero, & honori præſtantiſſimi omnium Anteceſſorum magiſtri, & ipſi veritati nonnihil conſultum putabo.

Magni refert ſane diſtinguere actiones ab actionibus, & in cauſa emtionis venditionis ipſam actionem emti ab actione ex ſtipulatu de evictione: quod niſi faciamus, futurum ſit ut juris artem & diſciplinam conturbemus. Hoc patet in evictione partus & acceſſionum, de quibus perperam agitur ex ſtipulatione duplæ: recte omnino, actione ex emto, *l.* 8. & *l.* 48. *hoc tit. de Evict.* Patet & in rerum æſtimatione diverſis temporibus in his actionibus facienda, ut in actione ex emto fiat ex tempore evictionis; in ea minuitur æſtimatio, ſi res deterior eſt cum evincitur, *l. idque* 45. *D. de Act. emti.* In actione ex ſtipulatione duplæ, ſpectatur tempus venditionis, *l. Ex mille* 64. *hoc tit. de Evict.* An diſtinguendæ etiam hæ actiones ſunt in ſpecie *d. legis Si ſervus* 21. *eod. tit.* ſive dolus non interceſſit ex parte venditoris veluti ſi imprudens rem alienam mihi vendidit & tradidit: vel ſi e contra ſciens prudens vendidit? Finge, Titius ſervum alienum ſciens dolo malo inſcio mihi vendidit & tradidit, cavitque de evictione interpoſita ſtipulatione, mihi rem habere licere & hæredi meo neque evictum iri, aut duplum rite præſtari, dolumque malum abeſſe abſuturumque eſſe: non eſt mihi evictus Stichus, ſed fato ſuo periit: qua actione agam? Merillius putat ex emto actione me agere debere: & ita hæc verba *d. legis* 21. *D. de Evict. de dolo tamen poterit agi* refert ad actionem ex emto. Contra puto: nam hodie mea non intereſt ſervum qui mortuus eſt, fuiſſe vel non fuiſſe venditoris: bonæ fidei autem actioni locus non eſt niſi actoris interſit, *l.* 7. *D. de Servis export.* Si res extaret, quamvis nondum evicta, agerem utique, *l.* 30. *in fin. D. de Act. emti* pereunt actiones bonæ fidei & amittuntur morte & conſumtione rei quæ ſoluta eſt: non pereunt Ædilitiæ, *l. quod ſi nolit* 31. §. 6. & *l.* 38. §. 3. *D. de Ædilit. Edicto.* Paul. in *l. Si hominem* 47. *in fin. eod. tit. Poſt mortem autem hominis Ædilitiæ actiones manent.* Poſt manumiſſionem factam ab emtore, emti actionem durare Julianus exiſtimabat, quem Paulus Ulpiano contrarius ſequitur, *l. Titius* 43. *D. de Act. emti.* Manumiſſio mutat hominem, non perimit: at mors perimit. Itaque mortuo homine venditor ſecurus eſt, *l. Si quis* 26. *Cod. de Evict.* Expeditum eſt de actione emti. An agere potero ex ſtipulatione duplæ? Et verius eſt quidquid obmurmuret Merillius, me poſſe. ſtipulatio doli, ſtricti juris eſt: ſatis eſt ab initio venditorem dolo feciſſe ut ſemper intelligatur commiſſa, argumento illius ſtipulationis ſanum eſſe, fugitivum non eſſe, quæ ubi ſemel commiſſa eſt, nunquam amittitur, *l.* 16. §. 2. *D. de Evict.* Et vero conſequens eſt ſi non poſſum agere ex emto, me poſſe ex ſtipulatione doli, idque evincere illa verba *de dolo tamen poterit agi*, *ſi dolus interceſſerit*. Ex clauſula doli recte agam quia ſciens venditor me fefellit. Si Merillianus eſſem, objicerem forte, *l. Utique* 16. *D. de Rei vind.* ubi neceſſaria videtur litis conteſtatio: Imo & ſententia neceſſaria eſt, ut ſalva ſit emtori ſtipulatio evictionis contra venditorem. Sed reſpondeo ſeparandam eſſe ſtipulationem evictionis in clauſula doli, a cæteris ejus partibus. Si poſt litem proprietatis ſervi conteſtatam inter dominum & bonæ fidei poſſeſſorem, ſervus mortuus eſt, committitur ſtipulatio duplæ ſi ſententia ſecuta ſit qua judicatum ſit ſervum non eſſe poſſeſſoris, *d. l.* 16. At ubi dolus intervenit, nec judicium nec ſententia requiritur, *d. l. Si ſervus* 21. *D. de Evict.*

DISPUNCTIO XXXII.

De vera Interpretatione *legis* 3. *in princip. D. de Uſuris*. Et an ſententia pro interlocutione, vel pro re judicata, in ea intelligi debeat?

INter Opera poſtuma Cujacii, eximium illud eſt quod *ad Papinianum* ſcripſit, quod prioribus accedit: cætera omnia longe recedunt, maxime quæ primo Poſtumorum volumine congeſta ſunt, pleraque ex primis recitationibus Viri præſtantiſſimi, lacunis ſæpenumero & vaſtis hiatibus plena. At inter ea quis cenſeat Notas quæ hodie Cujacii nomine circunferuntur? Quis eas non ſpurias habet niſi Merillius, dum in eis quod carpere poſſit, gaudet ſe copioſe invenire? Faceſſant igitur illæ Notæ qua parte aliena manu (ut ſupra jam obſervavimus) compoſitæ ſunt. Faceſſat & quod ex eis Merillius *hocce capite* notat, quaſi ad *hanc l.* 3. *D. de Uſuris*. ſcripſerit Cujacius, ſententiam eſſe admonitionem & interlocutionem: quamvis (nequid diſſimulem) id ſumtum videatur ex commentario poſtumo ad *tit. de leg.* 1. *ad l. cum ſervus* 39. §. *fructus* 1. quo non eſt alius locus qui pluribus ſcateat mendis, ut vere negare poſſim Cujacii eſſe locum illum. Atque equidem nego. Nego denique ſibi contradicere magnum magiſtrum, aut quidquam deſiderari aut adjici poſſe iis quæ ad *hanc l.* 3. *ad Papinianum* enarravit. Itaque ſi quid ego nunc ſcribo, neceſſitate magis adſumti muneris, quam illuminandi ejus quod a tanto Viro demonſtratum eſt, facere me profiteor. Nec forte tamen ſtudioſo alicui inanis videbitur hic labor noſter qui (ut in fructibus aridis eſt,) conculcatione, hoc eſt, ſpeciei enucleatione & tractatione utilitatem aliquam oſtenſurus ſit.

Vulgo notum eſt judicatis olim dari ſolere tempus ad judicatum faciendum 30. ſcilicet dierum ex L. XII. Tab. Gellius *lib.* 20. *cap.* 1. poſtea fuit duum menſium, ad extremum quatuor, *l. ult. C. de uſuris rei judic.* quod tempus humanitatis gratia & veluti in ſubſidium judicatis conceſſum eſt, quo pecuniæ conquirendæ facultatem haberent, ne

Source : BIU Cujas

ſtatim res ſuas vili pretio diſtrahere cogerentur. Scholiaſtes Harmenop. *lib.* 1. *tit.* 4. *circa finem.* παντὶ καταδικαζομένῳ δίδωσιν ὁ νόμος πρὸς περιθάλψιν τετράμηνον, εἰς ἀνακωχὴν ἢ ἀνάρτησιν τῆς ἀπαιτήσεως. ὅταν διὰ τὸ τοιοῦτου καιρὸν φροντίσῃ, &c. Hoc tempus legitimum dicitur, quod immune fuit ab uſuris & fructibus dependendis *hac l.* 3. *in pr.* & §. 1. In *ea l.* Papinianus hoc inſinuat (quod ſumme notandum eſt) improbum litigatorem non gaudere hoc temporis laxamento, ſed nullo intermiſſo ſpatio fructus omnes ante & poſt ſententiam perceptos ac percipiendos reſtituere cogi. Textus eſt. *In fideicommiſſi perſecutione, cum poſt judicis ſententiam moram feciſſet hæres, juſſit Imperator Marcus Antoninus intermiſſo legitimo tempore quod condemnatis præſtatur, ut uſque ad ſententiam commoda fideicommiſſarius accipiat. Quod decretum ita accipi oportet, ſi ante judicis ſententiam mora non intervenit: tametſi non facile evenire poſſit ut mora non præcedente perveniatur ad judicem. Sed puta legis Falcidiæ rationem interveniſſe. Cæterum ſi antequam ad judicem perveniretur in mora hæres fuit: exinde fructuum præſtandorum neceſſitate adſtrictus, qua tandem ratione, quoniam & ſententia victus eſt, legitimi temporis ſpatio fructibus liberabitur, cum ea temporis intercapedo judicato dilationem dare, non lucrum adferre debeat?*

Species eſt, Teſtator hæredem rogavit ut Titio fundum Sejanum reſtitueret; nulla alia legata aut fideicommiſſa reliquit: neque ratio aut conjectura ulla fuit hæreditatem per legem Falcidiam imminutum iri. Mortuo teſtatore hæredem Titius interpellavit de ſolvendo fideicommiſſo, tandemque perduxit ad Prætorem fideicommiſarium, eumque condemnavit. Sed nec condemnatus hæres ſtatim fideicommiſsum reſtituit, imo ſivit elabi tempus judicatis conceſsum, dum ſibi plaudit interea fructus lucro ſuo cedere. Non pono, officio judicis, manu militari, coactum reſtituere, quia & ſi ſponte ſua, modo poſt menſem reſtituerit, eadem obtinent quæ hic Papinianus ediſserit. De fructibus mota quæſtio eſt: fideicommiſſario petente omnes, etiam eos quos intra menſem a ſententia, ideſt, a re judicata percepit hæres, aut percipere potuit, hærede contra connitente eos retinere, & obtendente decretum Marci Antonini in cauſa ſimilis fideicommiſſi interpoſitum, quo decreto juſſerat Imperator omnia quidem commoda fideicommiſſarium accipere uſque ad ſententiam, intermiſſo tamen legitimo tempore: Verum in hac ſpecie non putavit Papinianus illi decreto locum eſſe: itaque rem ita definiit, ut quandoquidem hæres in mora fuiſſet antequam ad judicium perveniretur, ex die ſcilicet interpellationis primæ, & exinde neceſſario adſtrictus fuiſſet fructibus omnibus exſolvendis, & deinde ſententia damnatus fuiſſet, nulla ratione liberari poſſet a præſtatione fructuum cum perceptorum, tum percipiendorum poſt ſententiam, etiam intra tempus illud legitimum: nimirum hoc ſpatium indulgeri judicatis. ideſt, iis quos ſententia judicavit & declaravit debitores, cum ante ſententiam non aperte conſtaret eos debitores eſſe, cum eſſet lis admodum dubia, ut juſtam rationem haberent ad judicium provocandi, quo caſu non intelliguntur debitores moram facere, *leg.* 24. *in pr. hoc tit.*

Ad hanc autem ſpeciem decretum Marci non pertinet: neque in ea opus fuit decreto ut peterentur fructus, quos certum eſt ex mora deberi. Paulus *lib.* 3. *Sententiarum tit.* 8. §. 4. *Ex mora*, inquit, *præſtandorum fideicommiſſorum vel legatorum fructus & uſuræ peti poſſunt. Mora autem fieri videtur cum poſtulanti non datur.* (inique ſcilicet hærede neque fatente neque ſolvente). Decretum eſt in alia ſpecie; quando videlicet in perſecutione fideicommiſſi mora facta non eſt ante ſententiam, hærede ex juſta cauſa detrectante ſolutionem integri fideicommiſſi, fideicommiſſario nolente partem puta dodrantem, qui offerebatur accipere, arg. *l. qui ſolidum* 78. *in pr. D. de Legat.* 2. hoc raro evenit, ſed tamen ut hic ait Papinianus evenire poteſt.

Hactenus ſunt facilia omnia, & in quæ fere conſentit Merillius: ſed ea concoquere non poteſt quæ ſequuntur, & quæ maxime ad *legem noſtram* pertinent, redolentque acumen Papiniani. Si ſententia dicta fuerit contra hæredem, nec de fructibus quidquam pronunciatum ſit, de iis ultra quæſtio moveri non poteſt. *l. judex* 55. & *l. ſeq. D. de Re jud.* Enimvero ſi poſt ſententiam & juſtitium illud hæres moram fecerit, ex decreto illo Marci Antonini, retrotrahitur ejus mora ad tempus quod fluxit ante ſententiam, ut videatur in mora fuiſſe ex lite conteſtata ad effectum tantum illum reſtituendorum fructuum, non etiam ut hæredi auferatur beneficium legitimi temporis quod ei jam quæſitum eſt. Unde apparet hic agi de fructibus qui percipi potuerunt ante ſententiam, non de fructibus percipiendis poſt ſententiam, quod cernere vix poterunt qui capere rationem oculis tantum poſſunt. Et Cujacius quidem noſter ita perpetuo docuit: nec aliter Accurſius. Aliter tamen Merillius (in eo a Magiſtro contra promiſſi fidem alienus) dum vult hæc verba *uſque ad ſententiam* accipienda a tempore factæ reſtitutionis ad ſententiam retro computando; quod primo intuitu videtur, ſed ex ſubtiliori Papiniani ſenſu ita non eſt. Nam fructus poſt ſententiam ab hærede perceptos utique Papinianus non ignoravit venire in actionem judicati: ſed de percipiendis ante ſententiam, ideſt, de non perceptis qui potuerant percipi tractare voluit & docere, propter inſignem moram debitoris, rationem eorum habendam eſſe: itaque illa verba *ut uſque ad ſententiam commoda fideicommiſſarius accipiat* hoc ſignificant, fructus omnes & omnem cauſam atque utilitatem fideicommiſſi a lite conteſtata uſque ad ſententiam, fideicommiſſarium accipere debere.

At, inquit Merillius, qua ratione mora poſt condemnationem tantum facta retrotraheretur ad tempus litis conteſtatæ? Reſpondeo, merito jure plecti hæredem, qui ſi ſine mora poſt menſem fideicommiſſum reſtituiſſet, fructibus reſtituendis de quibus agitur obnoxius non fuiſſet, hodie tandem male affecti erga teſtatorem animi argumentum exhibeat, ſeque indignum præbeat gratia & humanitate illa, ut exoneretur a præſtatione fructuum, quos indiligentia ſua non percepit, quos ſi diligens fuiſſet, percipere poterat: ut videatur etiam in mora fuiſſe ante ſententiam, qui poſt ſententiam tam perfide egit, ut teſtatori morem non gereret. Atque eam interpretationem confirmant verba §. 1. quæ omnino cohærent præcedentibus.

In

In his quoque judiciis, inquit Papinianus, *quæ non sunt arbitraria, nec bonæ fidei, post litem conteſtatam actori cauſa præſtanda in eum diem quo ſententia dicitur, certe poſt rem judicatam, tempus a fructibus dependendis immune eſt.*

DISPUNCTIO XXXIII.

An *lex Uſuræ* 34. *D. de Uſuris*. intelligi debeat de uſuris perceptis, quæ veniunt in reſtitutionem, vel de uſuris percipiendis, quæ veniunt ex mora.

ULpianus, *Uſuræ vicem fructuum obtinent, & merito non debent a fructibus ſeparari: & ita in legatis & fidecommiſſis, & in tutelæ actione, & in cæteris judiciis bonæ fidei ſervatur. Hoc idem igitur in cæteris obventionibus dicemus.*

Finge, Titio per legatum aut fideicommiſſum relictus eſt fundus, aut pecunia: quæritur an ut hæres poſt moram fructus reſtituere tenetur, ita & uſuras? Cujacius *in Paratit. Cod. ad tit. de uſuris & fructibus legatorum*. teneri dixit, & uſuras & fructus venire in legatis & fideicommiſſis ex mora, quam in rem uſus eſt, *d. l.* 34. *D. de Uſuris*. At idem Cujacius, inquit Merillius, *lib.* 18. *Obſerv. cap.* 3. uſus eſt *eadem l.* 34. in ſpecie petitionis hæreditatis, cum dixit poſſeſſorem hæreditatis poſt motam controverſiam inter eum & verum hæredem, teneri non tantum ad reſtitutionem fructuum prædiorum hæreditariorum, ſed etiam uſurarum ex pecunia hæreditaria perceptarum. Quid inde Merilli? Variavit (putas) qui aliam atque aliam eidem legi interpretationem adfinxit. Tu igitur productionem, imo aptationem ejuſdem ſententiæ ac legis in eodem ſenſu diverſis caſibus, variationem vocas? Male hoc te facere, facile eſt oſtendere. Quam vero interpretationem (quando eas diverſas conſtituis) amplecteris? *Hanc*, audio te, *poſteriorem interpretationem magis admittendam ſuadet inſcriptio hujus legis* 34. *quæ jungenda eſt cum l.* 27. *& l.* 29. *D. de Petit. hæred.* ex eodem lib. 15. Ulpiani ad Edictum. Quid ſuadeat, inſcriptio curioſius quæris! quid ipſe contextus perſuadeat, negligentius prætermittis; vere Thaleti illi philoſopho ſimilis qui ſideribus intentus nimis, dum ad pedes quid eſſet non attenderet, incautus cecidit.

Redeamus ad quæſtionem quæ ita proponitur An *lex* 34. *D. de Uſuris*. intelligi debeat de perceptis, an de percipiendis? Quale ænigma iſtud? Quare apertius quæſitum non eſt, an ſententia *d. legis* 34. pertineat ad petitionem hæreditatis, an potius ad actionem legatorum & fideicommiſſorum? ſcilicet ei qui putavit omnino pertinere ad petitionem hæreditatis non fuit ita proponenda quæſtio, ne textus ſtatim reclamaret, & dubitantem excæcaret propter hæc verba *& ita in legatis &c.* Quod igitur putaverit Cujacius ſententiam illam proprie pertinere ad Senatuſconſ. de petitione hæreditatis, non reprehenditur: quod autem dixerit, eandem ſententiam ac regulam etiam in actione legatorum, officium ſuum invenire, notatur. At *l.* ipſa 34. nominatim hoc habet? Quid igitur non accuſatur lex, inceſſitur Cujacius? Quid vero melius aut verius dici potuit eo quod Vir memoriſſimus dixit *in Paratitlis Cod. de uſur. & fructib. leg.* ubi docuit actionem legatorum ſimilem & diſſimilem eſſe actioni bonæ fidei: in eo ſimilem, quod uſuras, & fructus ex mora reciperet, in eo diſſimilem, quod actio bonæ fidei etiam ante moram fructus exigeret, *l. videamus* 38. §. *pen. D. de Uſur.* An hoc dixit, uſuras vicem fructuum obtinere in actione legatorum magis, quam in petitione hæreditatis? Non dixit. Quam immerito igitur arguitur.

Quid tandem ſi adprobem idem ipſum ſenſiſſe ac docuiſſe Cujacium *dicto Paratitlorum loco*, quod illo *Obſervat. lib.* 18. *cap.* 3.? An hoc ſine verecundia patietur & audiet Merillius? Verecunde tandem an inverecunde, viderit: interea ita ſe res habet. Cujacius *illo Obſerv. loco*, ſententiam *d. legis* 34. (quam proprie ad SCtum Adrianum de petitione hæreditatis pertinere agnoſcit) demonſtrat non eſſe per omnia veram, idque pluribus argumentis & exemplis oſtendit, quorum poſtremum ejuſmodi eſt, quod in judiciis bonæ fidei uſuræ veniant ex mora tantum, fructus autem, etiam ante moram. In *Paratitlis* hanc ipſam differentiam obſervat his verbis. *Quod ad uſuras attinet, actio legatorum vel in perſonam, vel in rem ſimilis eſt actioni bonæ fidei, quoniam uſuras recipit ex mora l.* 34. *de uſuris: quod ad fructus diſſimilis, quia bonæ fidei, ante moram recipit fructus*. Quæſo qui hoc dicit, an videtur exæquare fructus & uſuras?

Sane etſi ſine lege hoc dixiſſet Cujacius, in legatorum actione uſuras vicem fructuum obtinere; Et quiſquis hanc theſim ponat. *Extra petitionem hæreditatis, aliis etiam caſibus huic regulæ locum eſſe. Uſuras vicem fructuum obtinere!* Omnino non erraverit: quando certiſſimum eſt juris regulas ac ſententias, proprium licet ſibi caſum vindicent, ad plures tamen plerumque referri atque aptari. Itaque nil vetat dicere, uſurarum eſſe quaſi uſumfructum, quia vice fructuum ſunt. arg. *l.* 3. *D. de Uſufr. earum rer. quæ uſ. conſ.* Item illud, uſuras dotis eſſe ſi ante nuptias perceptæ ſint: ſi poſt nuptias, mariti: exemplo fructuum, quia uſuræ inſtar fructuum ſunt, *l.* 7. *in pr. & §.* 1. *l.* 47. *& l.* 77. *D. de Jure dot.* Denique & illud, filiam uſuras dotis conferre debere poſt moram, cum emancipatus frater fructus dotis conferat, *l. filius* 5. §. *filia.* 1. *D. de Dotis coll.* Viden igitur, quot caſibus extra petitionem hæreditatis, uſui ſit illa regula, uſuras vicem fructuum obtinere?

DISPUNCTIO XXXIV.

Concubinatus an ſit legitima ſeu juſta conjunctio.

CAptionem his verbis ſubeſſe quis non ſentiat, *legitima ſeu juſta conjunctio?* quaſi unum idemque hoc maxime loco ſit, legitimum & juſtum. Concubinatum Cujacius in *Paratitlis D. de Concubinis* dixit legitimam conjunctionem, concubinam imitari legitimam uxorem, & eſſe viceconjugem: liberos ex concubina natos non eſſe ſpurios ſed naturales, patrem eſſe ex concubinatu: concubinam non differre ab uxore niſi dignitate, *l. Item legato* 49. §. *pen. D. de Leg.* 3. At nuſquam dixit

dixit concubinatum esse justam conjunctionem, cum sciret vocem illam, justam, ad Nuptiarum jus pertinere: quamvis & naturales liberos juste procreatos dicere potuerit, nec immerito quis dicat, si cum vulgo quæsitis conferantur, *l.* 2. §. 1. *D. ad SCtum Tertyll.* Imo non esse conjunctionem justam, aperte idem Cujacius dixit.

At, inquit Merillius, in eo Cujacius variavit, cum ad *Novellam* 22. in secunda parte, concubinatum dixit non esse conjunctionem justam. Dico vero non ibi quidem, sed ad *Novellam* 18. hoc ita enunciasse, *Non est*, inquit, *justa conjunctio, ut matrimonium: concubina non est justa uxor.* Hoc ne vero variare est? Si dixit uno in loco, justam esse conjunctionem, alio, non esse justam; contraria dixit. At qui uno loco dixit non esse justam, alio esse legitimam: hunc nego aut erasse aut variasse.

Legitimum nomen conventiones habere dicuntur, quæ jure proditum nomen sortitæ sunt; At concubinatus per leges nomen assumsit, *l.* 3. *D. de Concubinis.* Quare igitur legitimus negabitur? Quare conjunctio concubinatus illegitima more Romano, & ante Christi leges censebitur?

Objicitur idem esse justum ac legitimum, *l.* 3. *D. Pro socio.* Sed *eadem lex* docet justum pro legitimo accipi ex interpretatione, sive ex mente loquentis. Cæterum ut justum aliquando comprehendit legitimum, ita & legitimum nonnunquam comprehendit justum, arg. *l. lege* 130. *D. de Verbor. signif.* sed hæc ita generaliter dicuntur, adeoque non ex propria significatione.

Ex nullo loco mihi probabis concubinatum non esse legitimam conjunctionem. Non ex *tit. de Nupt.* ubi nihil aliud vult Justinianus, quam non esse justam uxorem, imo nec uxorem, quæ non secundum juris regulas nupserit. Non dico quod Merillius, concubinam esse injustam uxorem, neque vero hoc ait *lex Si uxor* 13. §. 1. *D. de Adult.* Contubernales servorum uxores apud Columellam, & alibi invenias, eodem loquendi modo, quo servorum testamenta, quæ testamenta non sunt. Liberorum hominum concubinas uxores dici, nullum schema, in Jure Civili, (deficiente voto ac proposito individuæ consuetudinis) patitur: at in Sacris veteribus Paginis, omnis concubina uxor dicitur, quamvis non e contra omnis uxor concubina, ut observat D. Augustinus *quæst.* 90. *in Genes.* Et injusta noverca apud Virgil. *Ecloga* 3. *v.* 33.

Est mihi namque domi pater, est injusta noverca.

neque injustam uxorem, neque concubinam, salva Merillii pace, significat, sed sævum patrem, & non sævam tantum, sed & iniquam novercam, & infensam, & injustam, quippe quæ contra jus & fas privignum innocentem ad mortem odisset, quod est novercarum ingenium. Ovid. *lib.* 1. *Metam. v.* 147.

Lurida terribiles miscent aconita novercæ.

Solent perpungere, & instimulare parentes in liberos, ut eos exhæredent, *l.* 3. & 4. *D. de Inof.* quo nihil est injustius, unde & epitheto convenientissimo novercam μητρυιαν ἀτάθαλον vocavit Apollonius *lib.* 1. *Aragon.*

Denique quod objicitur, leges non feciſſe eam conjunctionem, sed eam duntaxat permisisse, facile contemnetur si attendamus legis virtutem esse, non tantum in impediendo, & puniendo, sed etiam in permittendo, *l.* 7. *D. de Legibus.* Itaque ambigendum non est concubinatum licitam esse conjunctionem, *l. pen. Cod. ad SCtum Orphit.* & quia per leges nomen assumsit, *l.* 3. *D. de Concub.* non dubitandum, eam legitimam dici.

DISPUNCTIO XXXV.

An pupillus ex dolo tutoris conveniri possit?

SEU

An indistincte verum sit, ex dolo tutoris pupillum non teneri?

IN *l.* 3. *D. Quando ex facto tutoris vel cur. minores agere vel conveniri possunt.* Papinianus ait. *Dolus tutorum puero neque nocere, neque prodesse debet. Quod autem vulgo dicitur, tutoris dolum pupillo non nocere, tunc verum est, cum ex illius fraude locupletior pupillus factus non est. Quare merito Sabinus, tributoria actione pupillum conveniendum ex dolo Tutoris existimavit. Quod in depositi quoque actione dicendum est, item hæreditatis petitione, si modo quod tutoris dolo desiit, pupilli rationibus illatum probetur.* Ulpianus in *l. Is qui in puteum* 11. §. 6. *D. Quod vi aut clam.* ait: *Si tutoris jussu, aut curatoris factum sit, cum placeat quod Cassius probat ex dolo tutoris pupillum non teneri, &c.*

Duplex a Merillio notatur in hac quæstione Cujacii variatio. Quod primo distinxerit, An tutor solvendo esset, necne: ut si solvendo esset, pupillus teneretur, si non esset, non teneretur, idque ad *l.* 13. §. 7. *D. Act. emti.* Post vero in *l.* 198. *D. de Reg. jur.* hac distinctione usus sit, si tutor in contractu dolum admiserit, ut pupillus omnimodo teneatur, si extra contractum, ita demum, si tutor solvendo sit. Ad *Papinianum* autem, hoc est in *d. l.* 3. *D. Quando ex facto tut.* rejecta distinctione omni, ex dolo tutoris pupillum nullo modo teneri dixerit; quod sequitur Merillius.

De hac quæstione quid juris auctores, dein quid Cujacius tradiderit, videndum. Et extat, omnes Jureconsultos in hoc consensisse, ut ex dolo tutoris vel curatoris minores non tenerentur; Vulgaris fuit traditio, *tutoris dolum pupillo non nocere.* Quid est non nocere? An ut non teneatur pupillus? ut nulla ob tutoris dolum actione conveniatur? Nam teneri, est actione teneri, *l. Pomponius* 9. *D. de Neg. gest.* ut & e contra, non teneri, est actioni obnoxium non esse, *l. Age* 3. *Cod. de transact.* Alias tamen dici potest non teneri, qui ipso quidem jure tenetur, sed effectu non tenetur, vel quia actio denegatur ut in suo hærede abstinente se, *l. Necessariis* 57. *D. de Acq. vel amitt. hæred.* vel datur quidem actio, sed ordinis causa tantum, ut alia subinde ab eo quo cum agitur instituatur actio, ut ejus indemnitati consulatur: ut si dicamus pupillum ex dolo tutoris conveniri ut ipse contra tutorem agat, aut ut actiones quas contra tutorem habet cedat; quæ fuit sententia, & ad vulgarem illam regulam interpretatio Aristonis, & Pomponii, *l. ult. D. de Administr. tut. l.* 1. *D. Quando ex facto tut.* Dubitari

ri non immerito poteſt, an Ulpianus qui Pomponium ſæpenumero refert, ſequiturque, eum hac in re ſequutus ſit. Nam in *l. ſumma* 21. §. *Si dolo* 1. *D. de Pecul.* pupillum admittit, ſi ſolvendo tutor ſit, præſtare quidquid ex dolo tutoris ad eum pervenit, & *ita* inquit, *Pomponius lib.* 8. *Epiſt. ſcribit*. Idem in *l.* 1. §. *hoc Edicto* 6. *D. Ne vis fiat ei*, &c. At in *l. Sed ſi* 3. §. 1. *D. de Tributoria act.* partim adſentire, partim diſſentire Pomponio videtur, dum ita ſcribit, *Si ſervus pupilli vel furioſi ſciente tutore vel curatore in merce peculiari negotietur, dolum quidem tutoris vel curatoris nocere pupillo vel furioſo non debere puto, nec tamen lucroſum eſſe debere: & ideò hactenus eum ex dolo tutoris tributoria teneri ſi quid ad eum pervenerit. Idem & in furioſo puto: quamvis Pomponius libro* 8. *Epiſtolarum ſi ſolvendo tutor ſit, ex dolo ejus pupillum teneri ſcripſit. Et ſane hactenus tenebitur ut actionem quam contra tutorem habet, præſtet*. Ex quibus appareret diverſum a Pomponio Ulpianum eſſe in eo, quod pupillo locupletiori facto regreſſum non dat adverſus tutorem, quod non tractaverat Pomponius: eo vero caſu quo locupletior non ſit factus, Pomponio adhæret ut hactenus teneatur ut præſtet actiones. Papinianus autem hoc unum attendiſſe videtur, ſi pupillus ex dolo tutoris locupletior factus ſit vel non, quod & Sabino viſum eſt, *d. l.* 3. *D. Quando ex facto tut.* idque ipſum Jabolenus ex Caſſio tradidit, *l. Neque* 198. *D. de Reg. juris*. *Neque*, inquit, *in interdicto, neque in cæteris cauſis pupillo nocere oportet dolum tutoris, ſive ſolvendo eſt, ſive non eſt*. Niſi quis dicat & apud Papinianum & apud Jabolenum tacite hoc exaudiendum eſſe, ut pupillus ſaltem actiones ſi quas habet cedere teneatur, quod Ulpianus non ignarus ſententiæ Papiniani non dubitavit concedere, *d. l. Sed ſi* 3. §. 1. *D. de Tribut. act.* Sed non ita forte ſupplere quis poſſit in *l. Julianus* 13. §. 7. *D. de Act. emti.* Imo tacitam illam interpretationem cedendarum a pupillo actionum videtur impedire Ulpiani ratio, *quia nec transfertur in pupillum poſt pubertatem hoc quod dolo tutorum factum eſt*. Niſi iterum dicat quis, non transferri actiones in pupillum ex dolo tutorum cum effectu, jure tamen transferri: ut pupillus convenire poſſit, de eo quod ad eum pervenit omnimodo, de cætero hactenus, ut actionibus ſuis cedat. Secundum quæ, neque a Papiniano Ulpianus, neque ambo ab Ariſtone & Pomponio diſſentire videbuntur: vel niſi dicat translationem actionum a tutore in pupillum non fieri, ſi nihil ex tutoris dolo ad eundem pupillum pervenerit: & ita ponendum in *d. l. Julianus* 13. §. 7. *D. de Act. emti.* ut & in ſpecie *legis* 4. *D. de Tabul. exhib.* quæ ratio eſt optima.

Rurſus Ulpianus ſubdiſtinctionem hanc ſervaſſe videtur, an dolus ex contractu tutoris deſcenderit. De qua diſtinctione commodius infra videbimus. Nunc ad Cujacium veniamus.

In recitationibus ad *tit. de Act. emti.* ad *l. Julianus* 13. §. 7. diſtinguit Cujacius, an tutor ſolvendo ſit vel non, ut ſi ſolvendo ſit, teneatur pupillus, quia quod ſolvit ſervare poſſit: ſi non ſit ſolvendo, hactenus teneatur ut præſtet actiones. At (inquit Merillius) aliam diſtinctionem affert *ad tit. de reg. jur. in l.* 198. ut ſi tutor in contractu dolum admiſerit, pupillus omnimodo ex dolo tutoris teneatur, ſive tutor ſolvendo ſit, ſive non. Si vero extra contractum tutor dolum admiſerit, pupillum non aliter teneri quam ſi tutor ſolvendo ſit. Et addit Merillius nullo loco ſatis hanc diſtinctionem probari.

Reſpondeat ipſe Cujacius ſe dixiſſe pupillum teneri indiſtincte, ſive tutor ſolvendo ſit, ſive non, & hoc ſe dixiſſe eo caſu, quo locupletior factus ſit pupillus, & quod nominatim expreſſit (cum ſcilicet dolus ex contractu deſcendit) & alias expreſſiſſe, ut in commentario ad *l. hæredibus* 13. §. *Item in cauſæ* 1. *D. de Dolo.* & ubi non expreſſit, intellexiſſe: non poſſe itaque dici hac parte variaſſe. Deinde dicat hanc adjectionem *cum ſcilicet dolus ex contractu deſcendit* ſe jam olim probaſſe laudata *l. Apud Celſum* 4. §. *illa etiam* 23. *D. de Doli mali & met. except.* illo loco *unde enim divinat is qui cum tutore contrahit*, quo ſignificatur nocere pupillo dolum tutoris, qui adminiſtrationem habuit, & pupillo inter contrahendum cum alterius fraude compendium adjicit. Dicat & ſe probaſſe, extra contractum dolo admiſſo a tutore, pupillum non teneri, licet videatur locupletior factus, niſi tutor ſolvendo ſit, ſed in tutorem actionem dari ex *l.* 1. §. *Hoc Edicto* 6. *D. Ne vis fiat ei qui in poſſeſſionem &c.*

DISPUNCTIO XXXVI.

An condictio furtiva morte furis intereat, vel adverſus furis hæredem tranſeat?

QUi dicit condictionem furtivam dari in hæredem furis, & quidem in ſolidum: ſatis (quantum equidem exiſtimo) aſſerere videtur, furtivam condictionem morte furis non interire. Neque ſeorſum hæc tractavit Cujacius, nec debuit. Itaque cum ſupra hæc quæſtio ventilata ſit *cap.* 21. Neque amplius quicquam hic Merillius habeat! ut quid novas implet paginas? Cur ad incudem tractatum jam quod non remoleſcet ferrum revocat? Iterum dico: *Crambe recocta mors eſt*. Recte D. Auguſtinus *lib.* 4. *contra Creſconium Grammaticum* dicebat, *Non jam ut vetus proverbium fert, quod volumus ſanctum eſt, ſed etiam quando volumus, & quandiu volumus.*

DISPUNCTIO XXXVII.

Cur hæreditas diviſa ſit inter inſtitutum & ſubſtitutum in *l.* 41. *D. de Hæredibus inſtituendis.*

SPecies & quæſtio tota continetur *l.* 40. *eodem titulo*, in qua Julianus. *Si paterfamilias*, inquit, *Titium quem ingenuum eſſe credebat, hæredem ſcripſerit, eique ſi hæres non eſſet, Sempronium ſubſtituerit: deinde Titius quia ſervus fuerat, juſſu domini adierit hæreditatem: poteſt dici, Sempronium in partem hæreditatis admitti. Nam qui ſcit aliquem ſervum eſſe & eum hæredem ſcribit, & ita ſubſtituit, ſi Stichus hæres non erit, Sempronius hæres eſto: intelligitur tale quid dicere, ſi Stichus neque ipſe hæres erit, neque*

Source : BIU Cujas

neque alium fecerit . At qui eum quem liberum A *putat eſſe , hæredem ſcripſerit , hoc ſermone , ſi hæres non erit , nihil aliud intelligitur ſignificare , quam ſi hæreditatem vel ſibi adquiſierit , vel mutata conditione alium hæredem non fecerit : quae adjectio ad eos pertinet qui patres familias hæredes ſcripti poſtea in ſervitutem deducti fuerint . Igitur in hoc caſu ſemiſſes fient , ita ut as* (ita legendum) *inter eum qui dominus inſtituti fuerit , & ſubſtitutum æquis portionibus dividatur .* Mox ſequitur ex Pomponio *l.41. Et hoc Tiberius Cæſar conſtituit in perſona Parthenii , qui tanquam ingenuus hæres ſcriptus adierat hæreditatem , cum eſſet Cæſaris ſervus : nam diviſa eſt hæreditas inter Tiberium & eum qui Parthenio* B *ſubſtitutus erat .*

Mirum ſane , imo non ferendum , id objicere Merillium quod ne ſpeciem quidem ac materiam objectionis habet . Exprobrat Cujacio Merillius quaſi *lib. 17. Obſerv. cap. 21.* ſcripſerit , rationem dividendæ hæreditatis inter dominum inſtituti ſervi hæredis , & ſubſtitutum , eam eſſe quod utrinque eſſent dubiæ rationes : in *notis* vero *poſterioribus Inſtitutionum* , quod ſervus inſtitutus hæreditatem non creviſſet . Non ferendum inquam : cum utrobique non pro ratione , ſed pro exemplo ponatur admitti ſubſtitutum cum inſtituto , ſi inſtitutus non creverit . Verba *Notarum* ſunt , *Et olim ſub cretione hæres inſtitutus ſi non creviſſet , ei ſubſtituto dato , non cernendo , ſed pro hærede gerendo , in partem admittebat ſubſtitutum .* Verba *Obſervationum* ſunt . *Et jure quoque veteri ut Ulpianus ſcribit lib. ſingulari Regularum cum cretione hæres inſtitutus , ſi non cernat ſed pro hærede gerat , in partem ſubſtitutum admittit .* Quid hoc . *Et olim ?* Quid hoc . *Et jure veteri ?* Hæc ne contraria , quæ nec diverſa ? Non eſt hoc unum idemque exemplum ? Quis vero hæc pro ratione decidendæ dubitationis accipiat niſi forte Merillius ? dum ſcribit , *Et hæc poſtrema ratio verior eſt .*

Quaſi vero in ſpecie *legis* 40. de cretione quidquam proponatur , aut divinationem cretionis admittat Juliani ratiocinatio , quæ tota eſt circa errorem D teſtatoris . Cretioni locus non fuit niſi hæres inſtitutus eſſet ſub expreſſa cretione , ſive ea perfecta eſſet , ſive imperfecta . At nihil ejuſmodi habet ſpecies *d. l.* 40. quæ caſum ſubſtitutionis ſimpliciter exprimit & ſine conditione ulla . Deinde ſi quid de cretione Julianus cogitaſſet , non ita dixiſſet , *Poteſt dici :* ſed ita abſolute *dici debet* , cum ita jus eſſet in cretione imperfecta , auctore Ulpiano *tit. 22. Qui hæredes inſtitui poſſunt , §. ult.* Tentari poſſet , vix eſſe ut Julianus qui ad tempora pervenit Divorum fratrum ut patet ex *l. Divi 17. D. de Jure patron.* de cretione cogitaverit , cujus vim & neceſſitatem Marci Antonini conſtitutio ſuſtulerat . *d. §. ult.* ubi Ulpianus ita . *Si ſub imperfectam cretionem hæres inſtitutus ſit , ideſt , non adjectis his verbis , ſi non creveris exhæres eſto , ſed ſi ita , ſi non creveris tunc Mævius hæres eſto : cernendo quidem ſuperior inferiorem excludit : non cernendo autem ſed pro hærede gerendo , in partem admittit ſubſtitutum . Sed poſtea D. Marcus conſtituit , ut & pro hærede gerendo , ex aſſe fiat hæres . Quod ſi neque creverit , neque pro hærede geſſerit , ipſe excluditur , & ſubſtitutus ex aſſe fit hæres .* Sed bona fide agnoſco neceſſitatis eſſe nihil in ea conjectura : & Julianum ſpecies tractare potuiſſe (ut & cæteros Prudentes) circa cretionem & alia ſui ævi jura , quas non reformaverint ubi in alia inciderunt : ſed fingere cretionem aut aliud quidpiam jus obſoletum , æque dico minime neceſſarium eſſe .

Admitto lubens exemplo ejus qui olim creviſſet præter voluntatem teſtatoris , ita & in eo qui non plane ex voluntate teſtatoris adiret , ſubſtitutum in partem admittendum ſuſtinuiſſe veteres , ut ratio eorum ſic ab exemplo procederet . Quemadmodum in cretione ſi non ex voluntate teſtatoris cerneret hæreditatem ſcriptus hæres ; ſubſtitutum in partem admittebat : ita in aditione , qui non ex voluntate teſtatoris adit , in partem ſubſtitutum admittere debet . Sed ea non placuit ratiocinatio Alexandro , *l. 3. Cod. de hæredib. inſtit.* ubi ſubſtitutum omnino excluſum voluit aditione inſtituti . Ut mirum ſit Tribonianum aliud Juſtiniano ſuggeſſiſſe , & ſententiam *d. l.* 40. & verba *legis* 41. expreſſiſſe *§. ult. Inſtit. de vulg. ſubſt.*

DISPUNCTIO XXXVIII.

An retineri vel expungi debeat clauſula (aliter ſi ejuſdem ætatis liberi , &c.) in *fin. legis* 45. *D. de Vulgari & pup. ſubſtit.*

C PAulus libro 12. Reſp. *Lucius Titius legitimum filium & alterum naturalem hæredes inſtituit , eoſque invicem ſubſtituit . Titius legitimus filius quem pater anniculum reliquit , poſt patris mortem impubes deceſſit ſuperſtite matre & fratre naturali , quem etiam cohæredem habebat . Quæro an hæreditas ejus ad Titium naturalem fratrem ex cauſa ſubſtitutionis pertineat , an vero ad matrem ? Reſpondi ad primum caſum non exiſtentium hæredum ſubſtitutionem de qua quæritur , pertinere : non ad ſequentem , ſi quis eorum poſtea deceſſiſſet intra pubertatem : cum in naturalis filii perſona duplex ſubſtitutio locum habere non poterit : & ideo ad matrem legitimi filii hæreditas ab inteſtato pertinet .* (aliter ſi ejuſdem ætatis liberi inſtituti , invicemque ſubſtituti fuiſſent , tunc enim altero defuncto intra pubertatem , ejus ſucceſſio non ad matrem , ſed ad ſubſtitutum ejus devolvitur) .

Merillius variaſſe Cujacium ait , qui hanc clauſulam *aliter ſi ejuſdem ætatis , &c.* modo rejecerit , modo retinuerit . Rejicit , inquit , *lib. 17. Obſerv. cap. 26.* & ad *tit. D. de Vulg. & pupill. ſubſtit. l. 4.* & in *hac l. 45.* lib. 12. Reſp. Pauli . Ad *titulum* vero *Codicis de Inſtit. & ſubſt.* agnoſcit ac retinet.

Non retinet Merilli , ſi verum amamus : ſed ut fit cum negotium habetur cum protervis , ut ſa- E piens cedat , remittatque de jure ſuo nonnihil , & annuat concedatque quod non credit , ita Cujacius plane , eo loci quem contra eum citas . Cujacius , *Expreſſa igitur pupillaris omnimodo excludit matrem , tacita vero nullomodo excludit . Neque huic definitioni quicquam obſtat lex Lucius 45. in fin. illo loco . (Si ejuſdem ætatis liberi) . Sane non obſtat ſi abeſſe debet ea extrema clauſula a l. Lucius 45. quemadmodum certe abeſt a Pandectis Florentinis :* attende hoc verbum , *certe* , mox ait , *& videtur ex ora libri irrepſiſſe in contextum .*

Deinde

Source : BIU Cujas

Deinde adjicit (quo demonstret & ea retenta clausula, nihil eam obstare thesi a se propositæ). *Sed retineamus eam, quoniam & ratione subnixa est, & proponamus speciem illius.* Quis non videt & hic Cujacium agnoscere, abesse eam clausulam a Florentinis libris, nec germanam eam esse? & quod eam retinet, non id se facere retinendi animo, sed magis expediendi negotii quod exhibere videatur? I modo, & sincero magis ore quid renuntia. Atque hæc de Cujacii opinione.

Quod ad rem attinet, placet Merillio, clausulam illam retinere, & partem eam esse *d. l.* 45. quæ sane res cum in facto sit, arbitrii est liberi: & fateor non esse difficile respondere rationi quæ Cujacium contra movit, quæ hæc est vocem *aliter*, a qua incipit illa clausula, præ se ferre contrarium casum speciei *d. legis* 4. nec tamen exhibere. Nimirum si dicamus supplendum esse verbum conditionis, quod est omissum: posito enim quod fratres ejusdem fuerint ætatis & conditionis, non videtur adnotatum frustra, fratrem superstitem præferri matri vi & jure substitutionis reciprocæ, licet & ab intestato eidem præfertur, §. 3. *vers. Frater. Instit. de Senatusconf. Tertyll.* Scilicet ad honorem & utilitatem filii pertinet ut ex testamento hæredes habeat, *l. Julianus* 42. alias est, *l. Si pupillus. D. de Acq. vel omitt. hæred.* Et in hoc, non piget me suppetias aliquas ferre Merillio, quem nec exacte satisfacere censeo *legi Precibus* 8. *Cod. de Impub. & aliis subst.* ex qua efficitur, primum casum vulgaris substitutionis non porrigi ad secundum casum pupillaris substitutionis si mater intercedat. Differentiæ enim rationem D. Merillius male ponit in potestate verborum formulæ substitutionis reciprocæ. *Eosque invicem substituo, Invicem substituti sunto*, quasi hac formula uterque casus expressus sit. *Verbum substituo*, inquit Merillius, *commune est ad vulgarem & pupillarem.* Esto: (longe accuratius rem expedit Cujacius, sed mihi cum Merillio res est). Non tamen exprimit per se verbum *substituo*, ac denotat casum substitutionis pupillaris: sed præsumtio voluntatis testatoris inducitur ex pupilli ætate. Itaque & si impuberi filio soli hæredi instituto extraneum pater substituerit, idem jus est, *l. Jam hoc jure* 4. *in pr. & §.* 1. *D. de Vulg.* At differentia est, quod ejusmodi præsumtio voluntatis testatoris non admittatur in gratiam extranei contra matrem filii: in gratiam tamen fratris admittatur, *d. l.* 45. illis verbis *aliter si ejusdem &c.* Quod confirmatur, *l. ult. Cod. de Instit. & subst.* ubi mortua matre, substitutus admittitur ex tacita pupillari: matre vero superstite, submovetur.

DISPUNCTIO XXXIX.

An res juris vel facti facilius per ratihabitionem confirmari potuerint, ante constitutionem Justiniani?

ORigo hujus quæstionis petenda est ex *l. Donationes* 25. *Cod. de donat. inter vir. & ux.* quæ cum dicat morte donatoris tacite confirmari & retrotrahi inutiles donationes inter conjuges vel a parentibus liberis in potestate factas: & omnimodo ratas haberi quæ expresse testamento confirmatæ sint, sed illas tantum retrotrahi quæ intra legitimum modum consistunt; vel si excedant, quæ insinuatæ sint, Justinianus ait, *sine ulla distinctione ratas haberi, nec in cæterum subtilem divisionem facti vel juris introduci posse.* Eo referunt *l. 7. D. de Jure codicillorum.* ubi Marcianus, *Quædam*, inquit, *non referuntur ad confirmationem codicillorum: veluti si ante captivitatem quis codicillos confirmaverit, & in captivitate codicillos scribat; nam non valent. Idem est, si aliquo modo jus testamenti faciendi desierit habere. Præterea, in illis quæ non juris sed facti sunt, non est perinde habendum quod codicilli scribitur, atque si, ubi confirmatio, scriptum fuisset: veluti si ita in codicillis scriptum erit, Vestem quæ mea est; codicillorum tempus spectandum, non quo confirmantur. Item, si Titius vivus est, vel, si tot annis est, codicillis legavit Sejo: tempus codicillorum, non quo tempore fit testamentum, spectandum.*

Merillius ait Marcianum in *hac l.* 7. afferre differentiam inter res facti & juris quæ Codicillis scribuntur. Fateor me obtuso adeo ingenio esse, ut non agnoscam differentiam inter res facti & res juris quam D. Merillius ait Marcianum afferre in *hac l.* 7. Scio equidem alias esse res facti & juris. Non capio Marcianum in sententia *hujus legis* 7. inter eas differentiam constituere. Nec fugiunt tamen oculos hæc verba meos, *præterea in illis quæ non juris sed facti sunt, &c.* Tantum vero abest ut differentiam mihi videatur exprimere, quinimo convenientiam in argumento quod tractat Marcianus aptissimam referunt. Marciani quippe mens est, exceptionem dare regulæ illi quæ dictat, *Quæcunque in codicillis scribuntur, perinde haberi ac si in testamento scripta essent, l. 2. §. 2. D. de jure codicill.* & ostendere *quædam*, ut loquitur, *non referri ad confirmationem codicillorum*, hoc est, quasdam dispositiones codicillares non referri ad testamenta, licet in ipsis testamentis confirmentur codicilli. Hoc demonstrat in causa juris, & in causa facti: primum exemplum ponit in eo qui testamentum scripserit in urbe, postea captus ab hostibus codicillos fecerit. Hos codicillos non valere Marcianus ait: nec movere, quod jam ante confirmati sint, quædam enim non pertinent ad confirmationem codicillorum. Hoc exemplum est in causa juris, ut & quod generaliter addit Marcianus *idem est si aliquo modo jus testamenti faciendi testator desierit habere:* puta si furiosus factus sit, constat enim furiosi codicillos non valere, *d. l.* 2. §. 3. *D. de Jure codicill.* Nec ad rem pertinet, quod in testamento ante a sanæ mentis homine facto, confirmatio codicillorum habeatur; quædam enim sunt quæ non referuntur ad confirmationem codicillorum. In causa etiam facti hoc comprobat, hisce verbis. *Præterea in illis quæ non juris, sed facti sunt, non est perinde habendum quod codicillis scribitur &c.* & subjicit exempla causarum facti, primum de eo qui ita legavit in codicillis, *vestem quæ mea est*, alterum, de eo qui etiam in codicillis, legavit Sejo sub conditione *Si Titius vivit, vel, si tot annorum est*, puta septuaginta; hæc exempla docet Marcianus non referenda ad testamentum, sive ad tempus testamenti, ideſt, spectandum esse tempus codicillorum, an eo tem-

Source : BIU Cujas

eo tempore is qui codicillos fecit veſtem haberet, & an eodem tempore Titius in vivis eſſet, vel 70. annorum eſſet; alias non deberi legatum: ſcilicet quod tam in cauſis facti, quam in cauſis juris, quædam non referantur ad teſtamentum, quamvis ex eo vim omnem ſumant codicilli. Ex quibus colligitur, in exceptione quam Marcianus tradit, non differre cauſas juris a cauſis facti. Quid eſt igitur quod Merillius ait, Marcianum hic afferre differentiam inter res facti & res juris; & quorſum iſta ad *hanc l.* 7. res facti eſſe, ut poſſeſſionem, traditionem, venditionem, ſolutionem; res juris ut hæreditatis aditionem & uſucapionem? quas & olim fruſtra Merillius *lib.* 2. *Obſerv. cap.* 38. O infelices agricolæ, qui e male natis ſegetibus præter culmos & paleas, nihil in horrea conferimus.

Nunc de vitio Cujacii vel potius de fide Merilliana diſpiciamus. Merillius ait, Cujacium *tractatu* 5. *ad Africanum*, & *in Paratitlis Cod. de donat. inter vir. & uxor.* colligere ex *d. l.* 7. *D. de jure codicillor.* ante Juſtinianum res juris facilius quam res facti per ratihabitionem confirmari. Eundem autem Cujacium *in recitat. Cod. ad SCtum Maced.* contrarium dicere, nimirum res facti, facilius quam res juris per ratihabitionem confirmari potuiſſe. Falſum eſt Cujacium *toto tractatu* 5. *ad Africanum*, hoc ſcribere quod ei Merillius tribuit. Cedo locum, Merilli, & paginam ſigna. De ratihabitione tractat ad *l. pen. D. Rem ratam haberi.* Memorat ibi contentionem Sabinianorum & Proculianorum. *Plerique*, inquit, *dicebant in iis quæ ſunt juris ratihabitionem retrotrahi, in his quæ ſunt facti, non item.* Cæterum ibi de ſua ipſius ſententia, nihil: denique falſum eſt hoc eum colligere ex *hac l.* 7. *D. jure Codicill.* quam non laudat, nec attingit ullo modo, ſed *l.* 7. *D. rem rat. hab.* quæ ad rem noſtram non pertinet. Sed nec in *tit. Codicis ad SCtum Macedon. dictæ leg.* 7. *D. de jure cod.* meminit Cujacius: nec quidquam illi loco contrarium profert, imo prorſus idem. *Inter juris auctores*, inquit, *hac in re non conveniebat: omnes generaliter ratihabitionem non retroagebant: plerique dicebant ratihabitione confirmari quæ ſunt facti, non quæ ſunt juris.* Reſtat locus *Paratitlorum Cod. de Donationib. inter vir. & uxor.* in quo ſcripſit ille quidem ea, quæ ſunt juris, retrotrahi olim, non ea quæ facti, arg. *d. l.* 7. *D. de jure codicill.* Peto edi mihi locum in quo contrarium ſcripſerit: Præterea dico, ex veterum ſententia ſcripſiſſe quod ibi refert. *ſublata*, inquit, *veterum differentia inter ea quæ juris &c.*

Itaque ſi culpandus in aliquo Cujacius eſt, non in eo plane, in quo impetitur a Merillio; ſed in quo damnandus Merillius ipſe eſt. Hic enim ex profeſſo *legem illam* 7. *D. de jure codicill.* in eam ſententiam ſic interpretatur, quaſi Marcianus in ea, differentiam conſtituerit inter res juris, & facti, ut res juris in Codicillis ſcriptæ perinde habeantur, ac ſi in teſtamento ſcriptæ eſſent, quod Marcianus non cogitavit adſcribere, ſed exceptionem ei regulæ, ut initio diximus, potius adjicere voluit.

De quæſtione autem quid tandem ſtatuit Merillius? *Cujacius*, inquit, *ad tit. Cod. ad SCtum. Macedon.* ait, *res facti facilius quam res juris per ratihabitionem confirmari potuiſſe: quod & verius eſt.* Jam fidem feci non eſſe verum quod de Cujacio narratur. An verius eſt, res facti facilius quam res juris olim ratihabitione confirmari? Merillius, Auctores, inquit, utriuſque ſcholæ Sabiniani & Proculejani videntur in eo conveniſſe, ut res facti per ratihabitionem retrotraherentur, ſed Proculejani videntur ſubtilem diviſionem juris, & facti introduxiſſe. puta an donatio facta eſſet traditione quæ facti eſt, vel mancipatione quæ juris eſt. Eadem eſſet mihi conjectura. Sed objicienti Conſtitutionem Juſtiniani in *d. l. Donationes* 25. *Cod. de donat. inter vir. & uxor.* quæ non indicat Proculus ne, an Sabinus diſtingueret ita ſubtiliter: non haberem quid reloqui poſſem, maxime cum ea ſubtilis diſtinctio Sabino potius accepto ferri videatur, *l.* 1. §. 14. *D. de vi & vi arm.* Ubi Ulpianus, *Sed etſi*, inquit, *quod alius dejecit ratum habuero, ſunt qui putent (ſecundum Sabinum & Caſſium qui ratihabitionem mandato comparant) me videri dejeciſſe interdictoque iſto teneri: & hoc verum eſt; rectius enim dicitur in maleficio ratihabitionem mandato comparari.* Apparet hic agi de re facti: porro commendatur ut rectior, opinio quæ cenſebat in hac cauſa ratihabitionem æquiparari mandato, quæ cum referatur ad Sabinum & Caſſium, jam illa conjectura deſerenda eſt, & (niſi quid melius proferatur) contraria amplectenda. Rem autem facti facilius per ratihabitionem confirmari potuiſſe, quam rem juris, tanto magis ſtatuam, quod conſtituam, in rebus juris ratihabitionem proprie locum non habuiſſe: quia fieri non potuit ut quod jure ab initio non valeret, privati hominis voluntate convaleſceret ita, ut retro valuiſſe intelligeretur. Atque ita nuptiæ ex poſt facto convaleſcere poterant, ſed liberi juſti demum cenſebantur, qui ſuſcepti erant, ex eo tempore quo revaleſcere cœperant, *l.* 65. §. 1. *D. de ritu nupt. & l.* 6. *Cod. de nupt.* In cauſis facti obtinebat ut res cenſeretur ab initio rite facta, *l. licet* 56. *D. de jud.* quia in his ſola voluntas ſpectatur, *l. Si fundus* 16. §. *Si neſciente domino* 1. *D. de pig. & hypoth.*

DISPUNCTIO XL.

An poſt Legem Papiam ſublatum fuerit jus accreſcendi & conjunctionis?

Vel potius,

Cur poſt legem Papiam Jureconſulti de jure accreſcendi diſputaverint.

JUs accreſcendi eſt incrementum partis ad partem, ſive acceſſio partis alicui delatæ, quæ deficiente eo, alteri propter ſuam partem obvenit, vi conjunctionis, velut ex tacita quadam ſubſtitutione. Dixi eſſe incrementum partis, quia in proprietate relicta pluribus, portio deficiens accreſcit portioni ut alluvio, *l. Si Titio* 32. §. *uſumfructum* 1. *in fin. D. de uſufr.* Hæc acceſſio fit vi & poteſtate conjunctionis, quia conjunctio jungit & colligat in unum conjunctos ita, ut pro uno habeantur, unius perſonæ poteſtate fungantur, *l. Plane* 34. *in pr. D. de leg.* 1. quia in unum corpus redacti ſunt, *l. unic.* §. *His ita definitis* 10. *verſ. Sin autem ex his qui disjunctim. Cod. de cad. toll.* itaque ex pluri-

Source : BIU Cujas

pluribus conjunctis quamdiu vel unus remanet, is solus omnium jura retinet. Denique tacita quædam substitutio in conjunctis intelligitur, & conjunctus quasi substitutus est, *l. 3. §. Hæc autem 1. D. quibus modis usufr.* Sed cum triplici modo conjunctio fiat, vel re tantum, vel re & verbis, vel verbis tantum. Re, cum eadem res separatim, sive separata oratione pluribus relinquitur: re & verbis, cum plures ad eandem rem vocantur iisdem verbis, seu conjuncta oratione, ut Titius & Mævius hæredes sunto vel Titio & Mævio fundum illum do lego, vel Titio cum Mævio, vel Titio Mævioque, vel etiam non positis, sed subintellectis his articulis, *&*, *que*, *cum*: Verbis tantum, cum ad res, sive partes diversas, plures vocantur. Cum, inquam, tripliciter conjunctio fiat & conjuncti in triplici sint differentia, sciendum est eum proprie ac simpliciter conjunctum dici, qui re & verbis conjunctus est. Paulus, *Nec dubium est quin conjuncti sint quos & nominum & rei complexus jungit*, & ideo maxime inter conjunctos versari jus accrescendi: *præfertur omnimodo cæteris qui re & verbis conjunctus est*, *dicta l. 89. D. de leg. 3. & l. Sempronius 26. §. ult. D. de usufr. leg.* Notandum quoque re conjunctos, licet disjuncti sint, jus accrescendi habere: quia voluntas testatoris in conjunctione reali deprehenditur, ut non frustra ad eandem rem plures conjunxerit, *§. Si eadem 8. Inst. de leg.* Denique observandum inter verbis conjunctos non esse jus accrescendi: conjunctionem sine re, non esse conjunctionem efficacem ad inducendum jus accrescendi, *l. pen. D. de usufr. accresc.* quia ubi non est concursus ad eandem rem, neque jus accrescendi esse potest, *l. Si duobus 2. in pr. D. Quibus modis usufr.* portio ut dictum est accrescit portioni, ubi igitur ad eandem rem, sive ad eandem portionem non est spes concursus, neque est jus accrescendi: at inter verbis conjunctos non est spes concursus, *quoniam semper partes habent*, ut ait, *d. l. Re conjuncti 89.* Qui per concursum partes habent, solidum ab initio quodammodo habent. *Conjunctim hæredes institui, aut conjunctim legari, hoc est totam hæreditatem & tota legata singulis data esse, partes autem concursu fieri*, inquit *lex 80. D. de leg. 3.*

Ab ea propositione (Inter conjunctos re & verbis & conjunctos re tantum esse jus accrescendi) excipiendum est; nisi voluntas testatoris aliud suadere videatur; cujus voluntatis conjectura varie ducitur ex variis causis, & legandi sive loquendi modis, ut in legatis per damnationem, in alimentis legatis, in conditione adjecta, ut si diverso jure legatarii ad idem legatum veniant, Ulp. *tit. 24. l. 21. §. ex duobus 2. D. de jure patr. l. 3. §. Sed & si conjunctim 3. D. de leg. præst. contr. tab.* Excipiendum & legis impedimentum ut Senatusconsc. Claudian. & Libon. *l. 14. §. 1. D. ad L. Cornel. de falsis.* Sed & ab eo quod dicitur (Inter conjunctos verbis tantum non esse jus accrescendi) excipienda est causa hæreditatis: verborum nuda conjunctio in hæredum institutionibus jus accrescendi non respuit, *l. Si ita quis 66. D. de hæred. instit.* quod jus non decrescendi potius dici debet: ut si testator Primum, & Secundum instituerit hæredes ex æquis partibus: repudiante Primo, Secundus totam hæreditatem habebit, ne pars Primi ad legitimos hæredes transeat, quod jus civile non patitur, *l. Jus nostrum 7. D. de regul. juris.* Sed & in legatis aliquando conjunctio verbis accipitur pro conjunctione re & verbis, scilicet quando justa præsumtio est testatorem partes adscripsisse non ut partes quidem constitueret, sed tantum ut ostenderet quas per concursum legatarii haberent: ut si Titio & postumis pro virilibus partibus legatum sit relictum: argumentum est ideo virilium mentionem feciſſe testatorem, quia si plures postumi nascerentur, viriles ferre deberent, ideoque nullis natis postumis, totum Titio debetur, *l. Si duobus 16. D. de leg. 1. l. 7. & l. 8. D. de reb. dub.*

Tale fuit jus accrescendi, quod cum eadem lege, sublatum sit in testamentariis causis, ad augenda fisci commoda, quæritur cur post legem Papiam, Jureconsulti anxie adeo atque accurate de eo jure disputent? Cujacius *lib. 24. Observat. cap. 34. Paulus*, inquit, *scribens ad legem Juliam & Papiam, tractavit de conjunctis hæredibus, legatariisve, quia fisco cujus gratia potissimum illæ leges perlatæ sunt si moriatur hæres vel legatarius vivo testatore vel ante apertas tabulas (qua ex causa testamento relicta in causa caduci vel caduca plerumque fiunt) præfertur is qui mortuo re conjunctus fuit*. Quid valeat hæc vox *plerumque*, omnes intelligunt, scilicet notat & continet exceptionem quandam ejus quod vulgo dicitur, legem Papiam abrogasse jus accrescendi. Lex Papia non omnino jus accrescendi expunxit, utpote quæ non habuit locum in pro non scriptis, ideſt, in iis quæ relicta essent personis, jam mortuis tempore conditi testamenti: nec in relictis, exceptis personis, ideſt, parentibus & liberis usque ad tertium gradum, *l. unic. in pr. Cod. de Caduc. toll.* Quis vero citra calumniam dicere audeat præstantissimum Cujacium, aut de eo addubitasse unquam, aut his contraria docuisse?

Merillius tamen contendit eum tribus in locis dicere jus accrescendi per L. Papiam sublatum fuisse. Primum locum indicat *lib. 12. Observ. cap. 11.* Ubi explicans *l. Si ex pluribus 9. de suis & legit.* scribit Legem Juliam, & Papiam abrogasse jus accrescendi: & addit, nec enim hanc collationem jus novum patitur quo inter hæredes scriptos non versatur jus accrescendi. Secundum locum profert *ex Paratitlis Cod. de Caduc. toll.* Ibi *Paulus* (inquit Cujacius) *scribens ad L. Papiam de conjunctis tractat. l. Re conjuncti 89. D. de leg. 3. l. Triplici 142. D. de verb. signif. Lex Papia tollebat jus antiquum, ideſt, jus accrescendi, jus conjunctionis simplex, exceptis certis casibus fisco prælato.* Tertium locum citat *ex Recitat. ad eundem Tit. de Cad. toll. in §. His ita definitis 10.* ubi iisdem prope verbis idem Cujacius ait, *Paulus ipse scribens ad l. Pap. accurate tract. de conjunctis in l. Re conjunct. 89. D. de leg. 3. & l. Triplici 142. D. de verb. signif. Lex Papia tollebat jus antiquum, ideſt, jus accrescendi, jus collegii: & recte non tollebat jus substitutionis.*

Quis statim ad ea, pro Cujacio non respondeat, cum dixit legem Papiam sustulisse jus accrescendi, respexisse eundem ad finem & sententiam legis Papiæ? Ergo ne si regulæ cuipiam generali subsit exceptio, toties exceptionis mentio fieri debebit, quoties regula proferetur? O miram delatoris curiositatem! nisi sciant boni, in generali sermone pleraque & si non dicantur

Source : BIU Cujas

cantur tacite excipi, & si quod simplicius dictum, civilem adhibendum esse interpretationis modum. Sed tractemus singula sigillatim. Quod ad primam objectionem attinet: quid opus fuit in explicanda *d. l. Si ex pluribus* 9. aliud dicere præter ea, *Lex Papia jus accrescendi abrogabat, non jus substitutionis hæredibus scriptis, non legitimis:* Cujacio scilicet, qui artem interpretandi callebat, qui hoc unum demonstrare volebat, legem Papiam non pertinere ad legitimas hæreditates. In quo demonstrando, quis si vel laciniam Rhetoricæ teneat, non intelligit nihil attinere, imo multum officere, si quæ ad rem non faciunt, exprimantur. Non est, igitur quod imputetur Cujacio, quasi variaverit quod legem Papiam jus accrescendi hæredibus scriptis abrogasse dixerit. Quis vero non miretur vel audaciam, vel cæcitatem Accusatoris in penultimo loco quem protulit? In quo non pepercit his verbis *exceptis certis casibus prælato fisco*. Quid hoc, *exceptis certis casibus?* nonne idem atque illud observationum, *plerumque*? Quorsum igitur hæc committere. Denique quare non æque verecundus ac bonæ fidei fuit Merillius in referendo postremo loco *ex recitationibus, ad tit. de Caducis in d. §. His ita definitis* 10. ubi peræque Cujacius dixit, *exceptis certis casibus prælato fisco cohæredi vel collegatario?*

Ex his porro constat non apte satis hoc modo propositam abs Merillio quæstionem esse, An L. Papia jus conjunctionis inter collegatarios sublatum fuerit: vel An post. L. Papiam conjunctus fisco præferretur. Longeque aptius ita concipi, Cur post L. Papiam, de jure accrescendi Jureconsulti disputaverint. Cui sane quæstioni, statim ea congruet responsio: quia plerumque vel (quod idem est) quia certis casibus jus conjunctionis etiam post *d. legem* perseveraret. Liceat igitur subridere ad illa contradictionis verba. *Idem tamen tribus aliis locis ait, jus accrescendi l. Papia sublatum fuisse.* Imo liceat intercedere huic electioni, *Quod verius est.* Falsum etenim est, in totum subaltum fuisse jus accrescendi L. Papia: & illa verba Ulpiani, *Post legem Papiam, non capientis pars caduca fit.* non pertinent ad casus exceptos, exceptasque personas: spectant ad non capientes, non spectant ad capientes. Quasi vero lex ipsa Papia exceptionem non contineret ut probat *d. l. unica in pr. Cod. de Cad.* his verbis, *Et cum lex Papia jus antiquum quod ante eam in omnibus simpliciter versabatur suis machinationibus & angustiis circumcludens, solis parentibus & liberis usque ad tertium gradum si scripti fuerant hæredes, suum imponere jugum erubuit.* & infra in §. 3. *In primo quoque ordine ubi pro non scriptis efficiebantur ea quæ personis jam ante testamentum mortuis testator donasset, statutum fuerat ut ea omnia manerent apud eos a quibus fuerant derelicta, nisi vacuatis vel substitutus suppositus &c.* Merillius ait, ideo Paulus de conjunctis egit, quia in aliis casibus qui ad leges istas non pertinebant, jus conjunctionis remanserat. Atquin hoc recidit in id quod Cujacius docuit! cum dixit Paulum & alios Jurisconsultos post leg. Papiam de jure accrescendi disputasse, quod lex Papia certis casibus illud non abrogasset; nisi quod hoc sermone non est usus (*in aliis casibus qui ad leges istas non pertinerent*) cum sciret exceptionem omnem esse de regula, qui sæpius Tullianum illud in *Orat. pro Balbo*, usurpavit, *Si exceptio facit ne liceat &c.*

Supereſt ut de *lege Re conjuncti* 89. *D. de leg.* 3. quam hic tractavit Merillius, & nos edisseramus, Textus est. *Re conjuncti videntur non etiam verbis, cum duobus separatim eadem res legatur, item verbis non etiam re, Titio & Sejo fundum æquis partibus do lego: quoniam semper partes habent legatarii. Præfertur igitur omnimodo cæteris, qui & re & verbis conjunctus est. Quod si re tantum conjunctus sit: constat non esse potiorem: si vero verbis quidem conjunctus sit, re autem non, quæstionis est, an conjunctus potior sit? Et magis est, ut & ipse præferatur.* In ea vero explicanda, quid non peccatur vulgo, dum verbis conjunctum volunt esse re & verbis conjunctum? quo confecto, certam definitionem occultant, verba mentemque Jureconsulti contorquent & demituunt. Parcant mihi manes magni Cujacii, qui subtiliter admodum, forte non ita vere, & post eum Merillius quos primo facit conjunctos verbis tantum. postmodum re & verbis conjunctos fingit. *Si vero*, inquit Merillius, *legatarii sunt conjuncti verbis tantum, aliis præferuntur hac l. 89. veluti cum testator ita legaverit; Titio & Mævio fundum Cornelianum do lego: Sejo fundum Cornelianum do lego: Cajo & Sempronio fundum Cornelianum æquis partibus do lego. Si Sempronius defecerit, in parte Sempronii Cajus cæteris præfertur, quia alii tantum re conjuncti sunt cum Sempronio, hic autem re conjunctus est & præterea verbis.* Ecce, dicit Cajum cum Sempronio conjunctum re & verbis, quem ante dixit verbis tantum conjunctum. Et cum efficit ex *d. l.* verbis tantum conjunctum cæteris potiorem esse (quo in errore fuerunt Zazius, Alciatus, Duarenus & alii plerique) aperte impugnat *d. leg. Re conjuncti* 89. cujus scopus ac sententia est, demonstrare conjunctum, id est, re & verbis conjunctum potiorem esse verbis conjuncto.

Dicat forte Merillius se non simpliciter constituere verbis conjunctum potiorem esse re & verbis conjuncto, quem optime omnium sciat simpliciter conjunctum esse ac dici: sed hoc se asserere, verbis conjunctum in specie *d. legis Re conjuncti* 89. habendum esse pro conjuncto re & verbis, quod subfugium & ab aliis est quæsitum frustra. Enimvero, licet interdum eveniat conjunctionem verbis haberi pro duplici, hoc tamen ita non est semper: nec nisi ubi ex mente testatoris id colligi potest, ut in specie *legis Si duobus* 16. §. *ult. D. de leg.* 1. Profecto ita non est in quæstione proposita a Jureconsulto, citra scripturam ullam testatoris, cujus dubia mentis sententia varias judicum conjecturas ciere possit. Cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quæstio, *l. 25. in fin. D. de leg.* 3. Non iisdem loris & frænis reguntur pariter omnes equi. Non ubicunque verbis conjunctos videas, statim dicendum, esse re & verbis conjunctos, ut jus accrescendi habeant: alioquin expungendum sit illud axioma, verbis conjunctos non habere jus accrescendi, *l. 1. in pr. & l. pen. D. de usufr. accresc.* In *d. l. Re conjuncti* 89. propositis tribus conjunctionis generibus alienum ab arte fuit, de tertio genere nihil dicere: quod tamen factum debent fateri, si quod de tertio illo genere, ideſt, de verborum conjunctione dicitur, referant

Source : BIU Cujas

ferant ad conjunctionem re & verbis. Vis videre quam sit hoc non tantum sterile, sed etiam dictu ridiculum? Liquebit, si quæstionem Pauli ita resolvas? An conjunctus re & verbis, potior sit re & verbis conjuncto, quod ridiculum est.

Nam verbis conjunctum Merillius & cæteri cum hic habeant pro conjuncto re & verbis, consequens est quæstionem secundum eos ita proponi, An conjunctus re & verbis, re & verbis conjuncto potior sit. Itaque quod Paulus sibi vult hoc sermone, *Si vero verbis quidem conjunctus sit: re autem non, quæstionis est an conjunctus potior sit*, nihil aliud est quam quærere An conjunctus, idest, re & verbis conjunctus, potior sit verbis conjuncto. Et quia præmiserat Paulus re & verbis conjunctum omnimodo præferri cæteris: ita hoc absolvit *magis esse, ut & ipse præferatur*, idest, præferatur verbis tantum conjuncto. Apage ergo glossema istud (verbis conjunctum hic habendum pro re & verbis conjuncto) cum Paulus aperte loquatur de eo qui conjunctus sit verbis, re autem non. Denique hanc nostram expositionem tria confirmant. 1. Quod verbum conjunctus, ut jam præmisimus, in jure significet re & verbis conjunctum. 2. Quod proposita ut volunt quæstione de verbis conjuncto, recta ratio hæc verba desiderat *quæstionis est an ipse potior sit*. non ista, *an conjunctus potior sit*. Postremum, quod falsa sit subjecta responsio in conjuncto verbis; qui cum interpretative tantum sit re & verbis conjunctus, non potest intelligi potior esse ei qui palam sit re & verbis conjunctus, propter vim expressorum quæ tacita semper vincunt, ut expressa substitutio prævalet tacitæ, & excludit jus accrescendi, *l. qui plures* 23. *D. de vulg. & pup. subst.* Quod si Merillio hæreat scrupulus de verborum nuda conjunctione, quæ dicitur non parere jus accrescendi, ut nulla videatur subfuisse dubitandi ratio: cogitet (me admonente) Tribonianum *hanc leg. Re conjuncti* 89. transtulisse ab hæreditatibus ad legata, ut docet inscriptio & collatio *d. legis*, *Triplici modo* 142. *de verb. sig.* ut omnino speciem fingere debeamus hoc modo. Testator, idest, pater filios instituit ita. Primus & Secundus hæredes sunto. Secundus & Tertius hæredes sunto ex æquis partibus. Quartus hæres esto. Quæritur de parte secundi, quia deficit, cui accrescat? Paulus demonstrat soli Primo accrescere. Thesim ac regulam sive definitionem præmiserat, *Præferri omnimodo cæteris, qui & re & verbis conjunctus est*. Hanc commonstrat & in hypothesi veram esse. Movebat quod omnes pariter re conjuncti viderentur, quia de hæreditate agitur. Planum hoc erat, Quartum non posse præferri cæteris. *Quod si re tantum conjunctas sit*, inquit Paulus, *constat non esse potiorem*. At saltem dubium erat, an cum cæteris admittendus esset, quia pariter cum iis re conjunctus esset. Sed ratio facit, ut conjunctus, idest, Primus, qui Secundo conjunctus erat re & verbis, illi Quarto præferatur. Quid vero de Tertio dicetur, quem verbis tantum conjunctum Paulus dicit, quia partem a parte secundi divisam accepit? Quæstionis est An & conjunctus, idest, ille idem Primus potior sit eo, Paulus ait *Et magis est ut & ipse præferatur*. Dubitatio erat quia verborum nuda conjunctio in hæreditatibus testamentariis non sit sine effectu. Ratio vero decidendi est in potiore jure duplicis conjunctionis.

A Cæterum ne movearis quod conjunctiones explicuerit Paulus vel Tribonianus in exemplis legatorum, speciem vero posuerit in hæreditate testamentaria: non est novum non dicam Tribonianum, sed & ipsos etiam auctores consimilia varia permiscere, & sub titulis legatorum, de hæreditatibus addere nonnihil ut *l.* 80. *D. de leg.* 3. *l.* 52. *D. de leg.* 2.

DISPUNCTIO XLI.

De interpretatione *l. legata* 41. *D. de condit. & demonst.* An in ea, verbum *delegari*, transmitti significet, vel cedi?

B TExtus *legis* habet. *Legata sub conditione relicta non statim, sed cum conditio extiterit, deberi incipiunt; ideoque interim delegari non potuerunt.* *Hujus legis* sententia quia multiplices effectus habet, variis etiam speciebus inservire potest: ut contingit in similibus regulis, quæ cum generales sint ad plures hypotheses referuntur. Non mirum igitur si præstantissimus Antecessorum magister *hac l.* 41. usus sit ad diversa comprobanda. Usus ea est in *l.* 3. *D. de regul. Catonian.* ut ex ea probaret ad hæredem non transmitti legatum conditionale. *Eadem l.* vir doctissimus usus est in enarratione *legis quæ legata* 18. *D. de reg. jur.* (cujus loci non meminit accusator) ut ex ea obiter comprobaret, patri per C filium legatum conditionale statim non acquiri. Ea insuper usus est ad *l. unic. in* §. *Sin autem* 7. *Cod. de cad. toll. Legatarius*, inquit, *moriens pendente conditione legati, hæredi suo nihil relinquit, & hoc Græcis visum est velle legem Legata* 41. *D. de cond. & dem.* Pergit Cujacius, *Græci*, inquit, *qui d. leg. interpretantur* μεταφέρεσθαι, *ita videntur versum illum accepisse, ut interim transmitti non possint legata conditionalia in hæredem. Verum melius est, ut verbum delegari, accipiamus proprie, ut scilicet conditionalia legata, dum pendet conditio, non possint cedi.* Dico, nullam hic variationem esse, cum ex duabus interpretationibus melior æstimatur. variationem tunc tantum esse, si D antea Cujacius dixisset, melius esse, si verbum delegari, pro transmitti accipiendum.

Merillius autem, quia data opera facit interpretationem illius versiculi *Ideoque interim delegari non potuerunt*, quid præstet videamus! Et hoc, inquit, magis probarem: scilicet verbum delegari accipi proprie, pro cedi, & mandari: tum quia verbum delegari proprie sumitur, tum quia major subest dubitatio. Quibus enim sub conditione legatum est, hi in possessionem mittuntur legatorum servandorum causa, Item legatum quamvis conditionale, in stipulationem Aquilianam deduci potest, item novari potest. Sed (ita sibi satisfacit Merillius) ideo non fit missio in possessionem E quasi debeatur, & tale quale est in stipulationem deducitur: at cum alii legatum conditionale delegatur quasi jam debitum delegatur *l.* 11. *D. de novat.* Placet electio: displicet ratio, Quis enim Merillio renunciavit legatum conditionale cum delegatur, quasi jam debitum delegari? Non hoc docet *l.* 11. *D. de novat. Delegare*, inquit, *est vice sua alium reum dare creditori*. quasi vero, & non reus ille dicatur qui sub conditione debet? *l.* 7. *D. de duob. Reis constit.* Quasi & qui nihil debet, non possit delegari? *l.* 9. §. *Si quis* 1. *D. de condict.*

causa

Source : BIU Cujas

cauſa data. Ego vero cenſeo, id quod ſub conditione debetur poſſe volenti creditori delegari. Finge, debeo Titio centum. & quidem pure : Sejus mihi centum debet, verum ſub conditione: volenti Titio delegavit Sejum , Sejus ſtipulanti Titio tum promiſit , & quidem animo novandi . Sane delegatio valet, licet non ſtatim novatio fiat, ſed tunc cum conditio exiſtet, *l. quoties* 14. §. 1. *D. de novat.* At ſtipulatio pura eſt ! ita quidem ex verborum figura , ſed ad conditionem redigetur , ut plerumque fideicommiſſum purum ad conditionem redigitur, *l.* 44. *D. de bonis libertorum*. Ex delegatione mea poteſt is qui mihi pure debet , creditori meo ſub conditione promittere , *l. pecuniam* 36. *D. de reb. cred.* quare igitur qui debet ſub conditione, ex delegatione mea idem non faciet ? At forte aliud in legatis conditionalibus ! Non aliud fere . Nam & legata conditionalia in ſtipulatum deducta novantur æque, id eſt, non ſtatim, ſed cum conditio extiterit, *l. Si Stichum* 8. §. 1. *D. de novat.* Quid igitur eſt quod Ulpianus in *d. l.* 41. *D. de condit. & demonſt.* ait , *delegari non potuerunt*. Accurſius; *Non potuerunt*, inquit, *ut ſtatim delegatio ac per eam novatio ſortiretur effectum*. Optime itaque in *d. l.* 41. advertendum eſt his verbis *delegari non potuerunt*, ineſſe facti ſpeciem de debitore Mævii , cui cum teſtamento Seji varia ſub conditione legata relicta eſſent , iſque hæredem Seji Mævio creditori ſuo delegaſſet, hæres autem ſtipulanti Mævio novandi animo quantitates omnes quæ legatis continebantur daturum ſe promiſiſſet, mortuo legatario pendente conditione legatorum, quæſitum eſt, an hæres teneretur ? Reſponſum eſt non teneri. Dubitationem faciebat, quod jure novationis ex nova ſtipulatione deberi videbantur, quæ ex veteri cauſa , ideſt, ex teſtamento olim debita erant, *l. cum filius 76. D. de leg.* 2. At ratio decidendi eſt , quod conditio legatorum ineſſe intelligitur illi ſtipulationi , *d. l. Si Stichum* 9. §. 1. *D. de novat.* proindeque mortuo ante conditionem exiſtentem legatario, quæ ab hærede promiſſa ſunt , non debentur , quia non potuerunt delegari cum effectu, ut delegatio pro pura haberetur.

An vero idem eſt, ſi Titius creditor debitorem ſuum qui ſub conditione ei debebat , Primo creditori ſuo delegavit, idemque ante quam exiſteret conditio, deceſſerit; mox vero conditio extiterit ? Dico fere idem. Inde enim eſt , ut non niſi exiſtente conditione perficiatur novatio & delegatio , *l. qui decem* 72. §. 1. *D. de ſolut.* At non idem , ut extinguatur nova ſtipulatio morte Titii , quia perinde apud ejus hæredem ſtipulationis conditio exiſtere poteſt , *l. Novatio* 24. *D. de novat.* Ergo utroque caſu, exiſtente conditione, vivo legatario vel creditore, qui delegationem fecerit, expeditum eſt novationem ac delegationem perfici, & verum eſt legata ac fideicommiſſa conditionalia hoc ſenſu delegari poſſe: ne ſi hoc negemus omnium utilitates impediamus. In ſumma, inutilis eſt delegatio legatorum, moriente legatario , pendente conditione, quia mors legatarii contingens ante conditionem exiſtentem, legatum extinguit , *l.* 1. *D. de cond. & dem.* Non moriente, non eſt inutilis : quia dominium ei acquiritur , & delegatio convaleſcit, ut dicitur convaleſcere pignus rei alienæ dominio poſtea debitori quæſito, *l.* 1. *D. de Pignorib.*

DISPUNCTIO XLII.

An patronus poſſit remittere debitam portionem in bonis liberti ?

PAulus in *l. Patronus* 60. *D. ad SCtum Trebell.* ait, *Patronus ex debita portione hæres inſtitutus, ſextam partem reſtituere rogatus, reſtituit: non tranſeunt ex Trebelliano actiones , quoniam non fuit debitum quod reſtituit . Et ideo ſi per errorem fecit, etiam repetitur.*

Quæſtio eſt, an poſt mortem liberti teſtati patronus debitam ſibi portionem remittere poſſit ? Nullus ne Merillius quidem dubitat, quin ſolutam repetere non poſſit : cautam vero , an ſolvere teneatur, hoc unum quæritur . Finge patronum a liberto inſtitutum ex ſemiſſe (quæ pars ei juribus debetur, qua non relicta , bonorum poſſeſſionem patronus habet contra tabulas liberti) rogatum unciam reſtituere, eam unciam ſtipulanti fideicommiſſario poſt mortem liberti promiſiſſe . An tenetur ex ea ſtipulatione ; an non tenetur , ita ut cautionem ejuſmodi condicere poſſit? Cujacius putat non teneri in *expoſit. Novellæ* 1. *de hæredib. & falc.* debetur, inquit , hæc portio reverentiæ patroni : idcirco non eſt arctandus ut eam invitus omittat, etiamſi promiſerit.

Merillius hanc ſententiam amplectitur. Hoc, inquit, expreſſum eſt, *l. Si patronus* 20. *D. de donat.* Et ut videatur de ſuo aliquid conferre , reſpondet ad *l.* 46. *D. ad L. Falcid.* quæ ait. *Qui quod per Falcidiam retinere poterat, voluntatem teſtatoris ſecutus ſpopondit ſe daturum, cogendus eſt ſolvere.* Reſpondet legem Falcidiam reſpicere tantum privatam utilitatem hæredis: at reverentiam patronalem ſpectare ad jus publicum, quod privata cautione remitti non poteſt. Mihi contra videtur. Et ut Merillianam potiſſimum inſecter rationem , dico. Hæres ſi caverit ſe non uſurum Falcidia ex ſua promiſſione tenetur, *d. l.* 46. *D. ad l. Falcid.* At in l. Falcidia non tantum juris publici ratio verſatur æque ac in Edicto Prætoris, & in L. Papia (jus publicum verſatur in omnibus legibus,) imo longe latius patet, *l. Quod bonis* 15. §. 1. *D. ad l. Falcid.* ubi Papinianus. *Frater*, inquit, *cum hæredem ſororem ſcriberet, alium ab ea, cui donatum volebat, ſtipulari curavit , ne Falcidia uteretur, & ut certam pecuniam ſi contra feciſſet, præſtaret. Privatorum cautione legibus non eſſe refragandum* . Ex hoc textu , apparet jus publicum verſari in l. Falcidia. At poſt mortem teſtatoris ubi jus delatum eſt hæredi quemadmodum jam non publici juris ratio habetur, ſed privati : ita poſt mortem liberti ubi ſemis patrono debetur, jam legis Papiæ publica ratio ceſſat , & privata ratio ipſius patroni agitur de qua , ut de re alia quacunque ſua ſtatuere poteſt , cum unicuique liceat ſui juris perſecutionem, aut ſpem futuræ perceptionis deteriorem conſtituere, *l. Pactum* 46. *D. de pactis* . Ergo ne patronus invitus ſuſcipiet legis beneficium ? & quod ei lex , ſua cauſa dat , non licebit ei, eo non uti ? Hæredi , qui conſulto Falcidiam non detraxit , non datur indebiti condictio, *l. Error* 9. *Cod. ad l. Falc.* Idem eſt in patrono, qui ſciens prudens ex parte ſua aliquid reſtituit, *dict. l.* 60. *D. ad SCtum Trebell.* non autem

Source : BIU Cujas

tem hoc, alia ratione quam illa generali, quod liceat unicuique de suo commodo detrahere. Nullius legis in fraudem fit, si quod acquiri potest omittitur, quanto magis ubi acquisitum est, quidni liceat erogare, donare, perdere, pro derelicto habere? Dicat Cujacius, dicat & Merillius, quod a sciente solutum sit, se concedere id non posse repeti: non esse idem in cautione. Sed audiant Mæcianum. *Fideicommissum*, inquit, *in stipulatione deductum tametsi non debitum fuisset, quia tamen a sciente fidei explendæ causa promissum esset, debetur, l. 62. D. de condict. indeb.* Rursus dicat Merillius, hæc in hærede, ut quartam suam quam ex l. Falcidia habet aut quartæ partem, per fideicommissum relictam stipulanti fideicommissario promittat: non vero in patrono admittendum. Rursus audiat Jurisconsultum in *l. 40. §. 1. D. de jure fisci. Patronus si tacite in fidem suam recipiat, ut ex portione sua præstet, cessare fraudem dicitur, quia de suo largitur*. Ex hoc loco officio, & probo quod præmisi; In lege Falcidia latius patere juris publici rationem, quam in lege Papia. Non potest enim hæres in tantum obsequiosus esse testatori; ut in fraudem legis Falcidiæ teneatur ei morem gerere jubenti non retinere Falcidiam. *privatorum cautione legibus non esse refragandum constitit*. At vero patronus vivo testatore fidem suam adstringere potest de præstando fideicommisso, nec intelligitur contra legem facere, quia de suo largitur. Ergo non magis; imo minus publica ratio est in patrono, quam in hærede. Et sane, in portione reverentiæ patronali debita, juris publici ratio quæ est, solos spectat patronos: in l. Falcidia, testatorum atque hæredum omnium causa versatur. Patronus quisque potest inter vivos jus suum remittere, *l. 3. Cod. de bonis libert. ut liberti a jure patronatus liberentur*, inquit Justinianus: (quem locum cum versaret aliquando magnus magister, hæc dicebat (*Remitto jus patronatus*) *oratio est privati hominis propria. lib. 8. Observ. cap. illo 32.* quod incipit a formidolosa hac increpatione, *Accepi diruptos nescio quos imitatores qui scribendi prius, quam discendi celeritate præcipiti misere volvuntur, &c.* quam objurgationem scio, nonnullos a scribendo deterruisse Decessores nostros, qui tamen hodiernis multis scriptoribus meliores erant.) Si jus patronatus remittere patronus potest, dubio procul semissem ei debitum, aut semissis partem donare poterit interveniente stipulatione, qua confirmandæ liberalitatis suæ causa ad dandum se adstringat; nec enim minus consulto dare intelligitur, qui stipulanti promittit, quam qui accipienti tradit. Porro cujus per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati repetitio non est, quia donatio est, *l. Cujus 53. D. de reg. jur.* Sed & adversus Cujacium idoneum nisi fallor argumentum desumi potest ex *l. Si quando 35. §. Illud etiam 1. Cod. de inoff. testament.* ubi nec filius quidem testatoris admittitur, si post mortem ejus cum hæredibus extraneis pactum fecerit, quo patris judicium agnosceret, non admittitur, inquam, ad quærelam inofficiosi testamenti: Non est patroni persona favorabilior persona filii. Ergo si post mortem liberti stipulatione se patronus adstrinxerit, contra pactionem suam venire non poterit. Non est melior causa patronorum, quam filiorum, nisi sicubi patronis jure singulari prospectum est, ut l. Ælia Sentia, & Edictis Fabiano, & Calvisiano.

Non moveor *l. Si patronus 20. D. de donat.* in qua Marcellus, *Si patronus*, inquit, *ex debita parte hæres institutus, & libertus fidei ejus commisit ut quid daret, & hoc stipulanti fideicommissario promiserit, non erit cogendus solvere, ne pars ex legibus verecundiæ patronali debita minuatur*. Dico enim *hanc legem* intelligendam esse de patrono, qui non post mortem liberti, sed vivo atque exorante eo, ut caveret confideicommissario de præstando fideicommisso, verecunde non est ausus coram in os id recusare liberto suo: quapropter, ei postea subvenitur, & ejus verecundiæ parcitur ut non cogatur solvere. Hoc suadet verbum *verecundiæ*. Pudor enim, timiditas ac verecundia maxime apparent in colloquendo, & in conspectu eorum qui a nobis quid flagitant. Senec. *Ep. 1. Locutus est mecum amicus tuus bonæ indolis. Ubi se collegit, verecundiam (bonum in adolescente signum) vix potuit excutere*. Ita vero magnum Cujacium exaudisse aliquando & enarrasse *d. l. Si patronus 20.* (si pura est ejus recitatio, ex *lib. 11. quæst. Pauli*) agnosco: sed inde nefas mihi & Merillio, dicere eum variasse, quia pura ne sit illa, nescimus: non vulgasse eam, certo scimus.

DISPUNCTIO XLIII.

An ob scientiam tutoris, dies petendæ bonorum possessionis cedant pupillo?

CErta præfinita sunt tempora petendæ bonorum possessionis, liberis, anni: extraneis, centum dierum; non ex quo is de cujus bonis agitur mortuus est, sed ex quo scivit is ad quem bonorum possessio pertinet, *l. 2. Cod. qui admitti ad bon. possession.* Quæritur de impubere patrefamilias, & de impubere filiofamilias, quibus tutores & parentes (in quorum sunt potestate) bonorum possessionem petere possunt & solent; An ob scientiam tutoris aut patris, dies petendæ bonorum possessionis eis cedant? *in l. 7. §. 1. ff. de Bonor. possess.* Ulpianus ait: *Impubes nec bonorum possessionem admittere, nec judicium accipere sine tutoris authoritate potest: quia tutor pupillo, & pater infanti filio, bonorum possessionem petere possunt. Dies quibus tutor aut pater scit, cedere placet*: hic ænigma: quale istud,

Ajo te Æacida, Romanos vincere posse.

Nam ambiguum est, cedant ne dies impuberi, an patri & tutori? Neque tamen opus vate. Ulpianus enim, cum de patre & de tutore loquatur, quos ait petere posse bonorum possessionem pro filio & pro infante, consequenter videtur scribere, dies cedere quibus tutor aut pater scivit, ut scientia sua excludantur alii ab ea facultate petendæ bonorum possessionis. De quæstione tandem quid dicendum? An scientia patris nocebit filio? an tutoris nocebit pupillo? Hic invocandus Apollo. Merillius enim varium nobis Cujacium facit, dum scribit eum *in recitationib. tit. de bon. poss. ad d. leg. 7. §. 1.* dicere, neque pupillo neque filio nocere scientiam patris, aut tutoris, nec distinguere inter tutorem & patrem; alibi vero tribus in locis, dicere scientiam tutoris nocere pupillo, non patris, filio,

Source : BIU Cujas

filio, *lib.* 14. *Obſerv. cap.* 8. *ad l.* 1. *in fin. D. de bon.* A *poſſ.* lib. 15. Quæſt. Pap. *& ad l. ult. de juris & facti ign.* lib. 6. reſp. Pap. Imo vero; ubique locorum mens Cujacii eadem fuit, ſed ut menda pleraque obrepſerunt *in recitationibus*, non eſt dubitandum inconſulta alicujus opera hæc verba *in d. recitatione ad l.* 7. *D. de bon. poſſeſſion. ſub finem*, *non pupillo* adjecta fuiſſe. Cujacius ibi. *At ex quo tempore cedant centum dies petitionis patri vel tutori? Cedent ex eo tempore, quo ſcierit pater vel tutor, præteritis centum diebus non petent. Cedent autem patri vel tutori, non filio*: adjectum eſt, *non pupillo*, proſequitur Cujacius: *Nam ſcientia patris non nocet filio, l.* 3. *D. Quis ordo in bon. poſſ. l.* 1. §. 1. *tit. ſecundo infra. Sic eſt finis* B *hujus legis accipiendus, cedere patri videlicet vel tutori, non filio. Hic mihi non Delius natator, non* Δήλιος κολυμβητὴς invocatur. Te unum volo Merilli.

Si capias noſtram deriſo nomine mentem.

Capies. Capient & qui naſum Rhinoceruntis habent. Si pupilli parem Cujacius facere voluit cauſam cum filioſam. cur poſt hæc *nam ſcientia patris non nocet filio*. ſubſtitit? nec adjecit, nec ſcientia tutoris nocet pupillo? Cur authoritatem ad unum confirmandum quæſivit, ſi de utroque dictum voluit? Denique in hac concluſione. *Sic eſt finis hujus legis accipiendus, cedere patri videlicet vel tutori, non filio*: cur non meminit C pupilli: Sint hæc argumenta adjectitiorum illorum verborum *Non pupillo*.

Quæ vero argumenta ſunt Cujacii, ut adprobet tutoris ſcientiam nocere pupillo? Tutor, inquit, comparatur actori Civitatis, & Reſpublica pupillo, *l.* 78. §. 2. *D. de legat.* 2. *l.* 3. *Cod. de jure Reip.* At dies quibus actor ſcivit, cedunt municipibus, *l.* 14. *D. ad municip.* 2. Impuberes ſine tutore agentes nihil ſcire dicuntur, *l. ult. D. de jur. & facti ignor.* ergo cum tutores agentes intelliguntur ſcire ea quæ tutor ſcit. 3. Scientia tutoris in pleriſque aliis cauſis pupillo nocet, *l.* 4. *D. de tribut. act. l. non ſolum* 22. §. *pen. D. de liberali cauſa l.* 4. §. *illa* 23. *D. de doli mal. & met. except.* Poſtremo; Non ſcriptum ſemel, patris ſcientiam non nocere filio, quod ad differentiam tutoris notatum ſatis videtur.

Merillio qui in alia ſententia eſt, & confidenter ſcribit neque patris neque tutoris ſcientiam nocere filio & pupillo, nonne incumbebat Cujacianis hiſce rationibus occurrere. Porro ipſi Merillio reſpondere facile eſt cum hoc unum objicit, ſcientiam alterius non nocere, nec in petendis bonorum poſſeſſionibus ignorantiam prodeſſe quod confirmat, *l.* 5. *D. de juris & facti ign.* Primum enim dici poteſt tutoris ſcientiam eſſe ipſam pupilli ſcientiam, arg. *l. ult. D. eod. tit.* Deinde regulam illam *legis* 5. non pertinere proprie ad bonorum poſſeſſiones: ſed referendam ad l. Juliam E & Papiam de maritandis ordinibus, ut ſuadet Epigraphe quæ monſtrat deſumtam eſſe ex libro 2. Terentii Clementis ad l. Juliam & Papiam. Extant legis Juliæ capita in *l.* 44. *de ritu nupt.* Ne Senatores, neve Senatorum per maſculos liberi ſponſalia, vel nuptias ſcientes haberent cum iis qui artem ludicram facerent, aut feciſſent, parenteſve eorum. In his cauſis non debuit patris ſcientia nocere filio, nec ignorantia prodeſſe, ut in Edicto Prætoris de iis qui notantur infamia, ſi intra luctus tempora filiusfam. duxerit uxorem, notatur infamia pater aut filius qui ſcivit, *l. liberorum* 11. §. *ult. D. de iis qui not. inf.* At iniquum fuit, ſcientiam alterius alteri nocere: & ita recte Terentius Clemens in *d. l.* 5. *Iniquiſſimum videtur, cuiquam ſcientiam alterius quam ſuam nocere: vel ignorantiam alterius alteri profuturam.* Si extra proprios caſus regulam trahas, facile perdit officium ſuum, ut *l.* 2. *in pr. D. de litigioſ. & l.* 16. §. 3. *D. de liberali cauſa*. Nihil igitur ad quæſtionem facit illa regula, quæ non magis pertinet ad ſcientiam tutoris in iis quæ pupillum contingunt, quam ad ſcientiam ſervi aut filiifam. in iis, quæ patri vel domino acquiruntur.

DISPUNCTIO XLIV.

An Magiſtratus municipales habuerint pignoris capionem?

CUjacius (inquit Merillius) ait *in Paratitlis Cod. de modo multar.* omnes magiſtratus qui publice judicium exercent, multæ dictionem & pignoris capionem habere; Non excipit magiſtratus municipales, ſed tantum defenſores plebis. Ergo ſentit magiſtratus municipales multæ dictionem, & pignoris capionem habere.

Quid opus eſt operoſiore Dialectica, ei cui non C imparis ſunt auctoritatis opera Cujacii poſtuma, ac priora? Hoc *ad Papinianum* 1. *ad l.* 1. *D. de off. ejus cui mand. &c.* aſſeruit his verbis, *Non poteſt etiam magiſtratus municipalis juriſdictionem ſuam tueri pœnali judicio quod proponitur in Tit. Si quis jus dicenti &c. fateor hæc ei denegantur: ſed an ideo eſt expers mixti imperii? minime. Nam pignoris habet capionem & modicam coercitionem &c.* Nec eſt quod ei opponantur Notæ illæ nuperæ, quas, ut alias diximus, Bibliopolæ ab aliis collectas, Accurſianis gloſſis admiſcuerunt. Sed nec ſi dicamus eas germanam eſſe Cujacii prolem, quidquam continent, quod D non poſſit componi cum priore dicto Cujacii. Nam qui hoc dicit, magiſtratui municipali non eſſe jus capiendi pignoris, hoc ſe intelligere, dicere poſſit, non ei eſſe jus, ſi ei denegatum ſit: ut eſt in *l.* 25. *D. ad municipalem. Omnia habet magiſtratus municipalis, cui nominatim nihil denegatum.* vel hoc dicere, non eſſe ei jus capiendi pignoris ſine juſſu Præſidis, ut ipſe docuit Cujacius in *l. Nominatori* 11. *Cod. de pig.* idque ſecundum verba *d. l. Nominatori pignori capere ſine Præſidis auctoritati res nominati non licet.* Cæterum ſatis abundeque ſufficere poſſint, quæ de hoc argumento ſupra diſputata ſunt, *diſp.* 3. *et* 4. neque his conditionibus utor, ut iterum ad Pythum viam E rogitem. αὖθις εἰς Πύθωδ' ὁδός.

DISPUNCTIO XLV.

An nota ſit Marcelli vel Triboniani in *l. Duobus* 30. *D. de liberali cauſa*?

JUlianus ait, *Duobus petentibus hominem in ſervitutem pro parte dimidia ſeparatim, ſi uno judicio liber, altero ſervus judicatus eſt; commodiſſimum*

Source : BIU Cujas

dissimum est, eo usque cogi judices donec consentiant. Si id non continget, Sabinum refertur existimasse, duci servum debere ab eo qui vicisset. Cujus sententiæ Cassius quoque est, et ego sum. Et sane ridiculum est arbitrari, eum pro parte dimidia duci, pro parte libertatem ejus tueri. Commodius est autem favore libertatis, liberum quidem eum esse; compelli autem pretii sui partem boni viri arbitratu victori suo præstare.

Quæstio facti hæc est, an hæc verba *Commodius est autem, &c.* Marcello, qui notas ad Julianum scripsit, an Triboniano, cui novum non est ex Justiniani Constitutionibus vetera interpolare jura, accepta referri debeant? Merillius putat in hac facti quæstione Cujacium variasse, & modo dixisse notam esse Marcelli, *in explicatione l. 26. D. de except. rei jud.* modo actionem Triboniani, *in Paratitl. Cod. de com. serv. manum.*

Sciendum est ante Justinianum, inter juris auctores non satis constare, an socius communi servo libertatem testato, vel intestato solus inconsulto socio donare posset: quibusdam jus vetus adhuc retinentibus, quo pars manumittentis (maxime si per vindictam, censum, & testamentum manumisisset) socio, hoc est, inhumaniori domino accrescebat, §. *Erat olim* 4. *Inst. de donat.* §. *Communem* 18. *tit. de libertis* apud Ulpian. Nam licet Severi constitutio de ea re extaret, non tamen generalis erat, sed ad milites tantum pertinebat, *l.* 1. *Cod. de com. serv. man.* Et divorum Severi & Antonini Constitutionem licet generalis erat, & ad paganos etiam pertinebat, de testati tamen causa tantum fuisse, verba Justiniani significant, *d. l.* 1. Sed & si inter antiquos prudentes Sextus Ælius hoc jam definierat, Sabinianis tamen displicebat, adeoque Juliano, quem Sabinianum fuisse constat: Sabiniani non patiebantur socio in re communi, quidquam inconsulto socio, licere. Necdum igitur apud omnes invaluerant illæ Constitutiones, ut Justiniano visum sit necessarium, rem omnem plenius sua Constitutione decidere, ut patet *d. l.* 1. *Cod. de com. serv. man.* Ex illo fonte, ex illa Sabinianorum opinione, manaverat & illud; Si duabus sententiis idem homo pronunciatus esset, una quidem liber, altera servus, duobus scilicet dominis, separatis judiciis pro parte vindicantibus eum in servitutem, una sententia dicta contra unum, altera secundum alium, ut sententia pro libertate dicta, præjudicium non faceret ei domino, cujus pro parte servus pronunciatus esset: quod tamen aliis Jureconsultis non placuit, iis nimirum quibus favorabilis magis libertatis causa visa est, quorum sententia perstringitur in præscripta *leg.* 30. hisce verbis *commodius autem est favore libertatis &c.* Et verisimile est Marcellum hoc aliquando adnotasse, ad Julianum, quem certum est ad eundem Julianum adnotasse, socium cogi partem in servo communi socio manumittere volenti vendere, favore libertatis, *d. l.* 1. *Cod. de com. serv. manumiss.*

Nunc, ut ad variationis Cujacianæ dispunctionem redeamus, & scopas Merillianas dissolvamus. Quid interest (cum inter bonos bene agi conveniat) sive dicamus clausulam ac notam illam *commodius, &c.* Marcelli notam esse, sive Triboniani adjectionem ex Marcello? Et utique Cujacius cum Triboniano eam adtribuit, in supradicto Paratitlorum loco, non tamen omisit Marcelli notas ad Julianum commemorare, laudato scilicet Justiniano, qui & eas laudaverat; Ibique addit Cujacius, *Et ejus notæ partem (ut scio miscerí Juliani scriptis Marcelli notas, Marcelli nomine suppresso) opinor esse in l. Si servus* 18. *D. de Vulg. Est & hæc Marcelli sententia in l. domino* 16. *D. de SCto Silan.* Adverte porro quid contineat *d. l. Si servus* 18. in qua proponitur communis servus ab uno ex dominis filio substitutus. *Ratio*, inquit, *suggerit, ut ipse pretium partis suæ domino offerens &c.* Vide quid & *d. lex domino* 16. *Domino*, inquit, *a familia occiso servus communis necem ejus detexit; favore libertatis liber quidem fieri debet, pretii autem partem socium consequi oportet.* Ex his, non tantum Marcelli sententia, sed & illud apparet, laudatis a Cujacio his legibus eodem Paratitlorum loco, quo Tribonianum dixit Justiniani constitutionem ad speciem *l. duobus* 30. traduxisse, omnino ejus sententiæ auctorem sensisse Marcellum.

DISPUNCTIO XLVI.

An species *legis Id tempus* 14. *D. de usucap.* referenda sit ad longi temporis præscriptionem, an ad usucapionem?

LEx est Pauli libro 13. ad Plautium. Textus est. *Id tempus venditionis prodest emtori, quo antequam venderet, possedit: nam si postea nactus est possessionem venditor, hæc possessio emtori non proficiet. In re legata, in accessione temporis quo testator possedit, legatarius quodammodo quasi hæres est.* Huic textui conjungendus est §. *Diutina* 11. *Inst. de usucap.* ubi Justinianus. *Diutina*, inquit, *possessio quæ prodesse cœperat defuncto, & hæredi, & bonorum possessori continuatur, licet ipse sciat prædium alienum esse. Quod si ille initium justum non habuit, hæredi, & bonorum possessori licet ignoranti, possessio non prodest. Quod nostra Constitutio similiter & in usucapionibus observari constituit, ut tempora continuentur. Inter venditorem quoque & emtorem, conjungi tempora Divi Severus & Antoninus rescripserunt.*

Sentio quod Merillius *d. l.* 14. referendam esse ad usucapionem: adeoque tempora complendæ usucapionis gratia jam ante Justinianum conjungi solere inter emtorem & venditorem. Nec quidquam obloqui (quam pro sua opinione Cujacius laudat.) *l. Si ædes* 32. §. *libertas* 1. *D. de serv. urb.* utpote quæ de accessione possessionis nihil contineat. Sed in variatione Cujacii, non æque mihi cum Merillio convenit. Et quidem certum est Cujacium palam tradidisse, inter usucapionem & longi temporis præscriptionem hanc fuisse differentiam, quod in hac, tempora inter emtorem & venditorem conjungerentur, non item in illa: An contrarium uspiam docuerit? non video satis a Merillio probatum: nec possum non mirari fiduciam accusatoris cum scribit, *Idem tamen Cujacius in l.* 2. §. *emtori* 20. *D. pro emtore, ait. in usucap. tempora conjungi inter venditorem & emtorem.* tantum enim abest, ut aliud ibi habeat Cujacius; quam in *d. l.* 14. Quin quod se, ad ea quæ ibi conscripserat, referat: Textus *legis* est in *d.* §. *emtori* 20. *Em-*

Source : BIU Cujas

tori tempus venditoris ad uſucapionem procedit. Cujacius, *Hæc*, inquit, *Tribonianus inſeruit ex Juſtiniani Conſtitutione, quod illa indicant quæ nos ad l. Id tempus* 14. *ſub. tit. prox. conſcripſimus.* Non curo cæteros Poſtumorum locos in queis uſucapionem a præſcriptione longi temporis hac in re non diſtinxit, ut nec Latini interpretes paſſim, & Græci quoque, qui generaliter ita tradunt ἐπὶ τῆς χρονίας νομῆς καὶ ὁ χρόνος τῷ πραχτήτορος συμψηφίζεται. Harmenop. *lib.* 2. *tit.* 1. §. 72. & *lib.* 50. Baſilic. *tit.* 11. Et Juſtinianus, cum Papinianum ſcripſiſſe ait, bonis vacantibus fiſco nondum nunciatis emtorem ex his aliquid uſucapere poſſe: *uſucapere*, ponit, pro longa poſſeſſione quærere, arg. *l.* 18. *D. de uſucap.* unde non poteſt dici Cujacius variaſſe. An paululum a via deflexiſſe videri poſſit? videamus. Doctrina Cujacii de temporum acceſſionibus & conjunctionibus hæc fuit; In quibuſdam nec tamen in omnibus, ſeparandam eſſe uſucapionem a longi temporis poſſeſſione, tamque in hac, quam in illa, jura juribus ſucceſſiſſe. Et primo quidem aſſumit, tam in longi temporis poſſeſſione, quam in uſucapione, jam olim inter defunctum & hæredem conjungi tempora ſolere, non vero inter emtorem & venditorem: ſed hoc factum eſſe reſcripto Severi & Antonini, idque Juſtinianum ad uſucapionem triennii traxiſſe, *dict.* §. *Diutina* 12. unde cenſent hæc verba, *Quod noſtra conſtitutio*, loco mutata eſſe, & reducenda ad *finem* §. ideſt, poſt verſiculum *Inter venditorem*. Quibus verbis multa perſtrinxit vir ſtupendæ doctrinæ. Nam cum ait Juſtinianum ad uſucapionem triennii, ſive rerum mobilium traxiſſe reſcriptum Severi & Antonini, dixit ſatis: nec habuit neceſſe addere quidquam de uſucapione rerum immobilium, quia producta uſucapione ex biennio in decennium, ſponte ad uſucapionem vis reſcripti quod erat in longa poſſeſſione, deſcendit. Et quod idem ſcripſit, tam in uſucapione, quam in longi temporis præſcriptione continuari tempora in hæredes, eo ſpectat ut doceret (quod ipſe putabat) Juſtiniani Conſtitutionem pertinere ad conjunctionem temporum inter venditorem & emtorem, non etiam inter defunctum & hæredem, qui ſenſus eſt horum verborum *in prioribus notis Inſtit. tit. de Uſucap. ad verſic. Quod noſtra. Hic verſus ut puto reponendus eſt poſt* §. *Inter. Nam in ſua conſtitutione Juſtinianus hæredis aut teſtatoris nullam mentionem facit*. Quorum verborum ſententiam magnos clericos non omnino capere animadverti.

Enimvero ſalva auctoritate præſtantiſſimi Cujacii mihi probabile videtur, longe ante Severum & Antoninum, uſu receptum fuiſſe ut ſucceſſores ſingulares æque, ac hæredes bonorumve poſſeſſores, auctorum ſuorum acceſſione uterentur. Hoc cum docet Ulpianus ex Labeonis, & Pedii vetuſtiſſimorum Juriſconſultorum ſententia, in cauſa dandi atque inhibendi interdicti de itinere, *l.* 3. *in pr.* & §. 2 *D. de itinere actuque priv.* diſerte ſane ac perſpicue Venulejus ex Labeonis auctoritate in hoc ipſo argumento noſtro tradit *l. In uſucapione* 15. §. 2. *D. de diverſis temporalibus præſcr.* Quid igitur, inquies, præſtitit Juſtinianus, qui ſe jactat conſtituiſſe, *ut ſimiliter in uſucapionibus tempora continuentur*? Quid denique ſibi vult quod idem ait, *Inter venditorem, & emtorem conjungi tempora Severum & Antoninum reſcripſiſſe*. Hæc ſibi, cur non objecerit ac diluerit Merillius, neſcio. Quid ad hæc reſpondeam, certum habeo. Scilicet Juſtinianus ſua illa Conſtitutione effecit, ut inter defunctum & hæredem aliumve juris ſucceſſorem, tempora continuarentur in uſucapione rerum mobilium, in hæredem, inquam, etiam non ignarum ejuſmodi res alienas eſſe. Ante Juſtinianum, tempora continuabantur in uſucapione rerum immobilium: non etiam mobilium, putantibus veteribus furtum facere hæredem, qui ſciens rem mobilem alienam inciperet poſſidere. Atquin (ſcribit Cujacius) *In ſua conſtitutione Juſtinianus, hæredis aut teſtatoris nullam mentionem facit*! Bona verba quæſo: ſui ipſius interpres Juſtinianus eſto. *Diutina*, inquit, *poſſeſſio quæ prodeſſe cœperat defuncto, & hæredi, & bonorum poſſeſſori continuatur, licet ipſe ſciat prædium alienum eſſe*. Ecce loquitur de præſcriptione longi temporis rei immobilis, nimirum de prædio; loquitur inter defunctum & hæredem, & hoc addit, *licet ſciat alienum eſſe*. Mox ſubjungit, *Quod ſi ille initium juſtum non habuit, hæredi & bonorum poſſeſſori licet ignoranti, poſſeſſio non prodeſt*: quibus verbis innuit malam fidem defuncti nocere hærede etiam ignaro rei alienæ. Cui tractationi (quæ tota eſt de teſtatore & hærede) cum ſubjiciat. *Quod noſtra conſtitutio ſimiliter & in uſucapionibus obſervari conſtituit, &c.* videtur ſatis innuere, id quod ſupra dixerat de teſtatore & hærede, de iiſdem ſe in dicta Conſtitutione ſenſiſſe, & produxiſſe ad uſucapionem trienni, ſive rerum mobilium, ut ſine metu vitioſæ contrectationis, hæres perinde uſucapionem impleat rei mobilis, conjunctis temporibus ſuæ poſſeſſionis (licet malæ fidei) cum poſſeſſione anteceſſoris ſui, atque impleret uſucapionem rei immobilis. Severi autem & Antonini reſcriptum puto commode accipi poſſe de uſucapione, ut merito verſiculum illum *Inter venditorem, &c.* Juſtinianus ſubjecerit conſequenter ei, quod de uſucapione dixerat ſe conſtituiſſe. Si quis tamen præfracte cum Cujacio velit hoc referre ad *longi temporis* poſſeſſionem, per me licet; & dicam non minus verſiculum illum *Inter venditorem*, videri in ſua ubi eſt ſede conſtitutum: nec diffitebor, reſcripta nonnunquam fieri de iis, quæ jam conſtituta, vel uſu recepta ſint.

DISPUNCTIO XLVII.

An donator ex mora debeat uſuras, vel fructus rei donatæ?

PAulus in *l. Neſennius* 41. §. *fundum* 1. *D. de re judicata*. ita loquitur. *Fundum quis donavit: ſi non reſtituat, ut quivis poſſeſſor damnandus eſt. Si autem fundum reſtituit, fructuum nomine, ſi non eos conſumpſerit, in ſolidum condemnandus eſt: potuit enim non periclitari, ſi ſtatim reſtituiſſet. Si dolo deſiit poſſidere, in litem jurabitur, & tanti ſequetur condemnatio.*

Fingit Merillius diverſum a ſemetipſo Cujacium hac in quæſtione: in qua proponenda, varius ipſe Merillius videri poſſit, qui priore loco eam quæſtionem ita concipit, *An donator ex mora debeat uſuras, vel fructus rei donatæ?* ſecundo vero loco;

Source : BIU Cujas

co ; *An donator teneatur ad restitutionem fructuum, quos percepit post litem contestatam ?* Quod si duas agitare quæstiones Merillius voluit ; mirum, cur in epigraphe capitis non conjunxerit utramque, quam subinde ordinatius (videlicet pro more suo) repeteret. Proponit autem donatarium in donatorem egisse actione in personam, & condemnatum fuisse donatorem fundum restituere. Quæritur, inquit, an etiam teneatur ad restitutionem fructuum, quos ex fundo donato post litem contestatam perceperit? Et ait Cujacium lib. 14. Quæst. Pauli dicere donatorem ex mora neque fructus, neque usuras debere : aliter vero in *l. 63. D. de reg. jur.* lib. 17. D. Juliani. Quæro in quo aliter? Nimirum, inquit Merillius, divisit usuras a fructibus: & dixit donatorem debere saltem fructus extantes. An aliud sensit illo loco lib. 14. Quæst. Pauli ad *hanc l. 41.*? Quis credat? τᾶτο μὲν δὲ Κάτων@ λέγοντ@ πιθανὸν ἐστὶν. En locum ipsum. *Vel si restituat fundum, etiam fructuum nomine in solidum est condemnandus, si eos non consumpserit : ergo fructuum tantum extantium nomine.* Qui ita diserte loquitur. *Ergo fructuum tantum extantium nomine*, an alio ore tibi loqui videtur, Merilli, ac qui dixit donatorem debere saltem fructus extantes restituere. Nescio quis nugas istas, non dolos censeat indignissimos, ne dicam turpissimos.

Sed quis non miretur tanti ævi, tantæque scriptionis Jurisconsultum Merillium *ad hanc l. 41. §. ult. D. de re jud.* ponere speciem in actione in personam? quasi donatarius in donatorem ad præstandum fundum ex stipulatione egerit : cum verba legis, undequaque vindicationem personent, hæc nimirum, *Si non restituat*, & hæc, *ut quivis possessor damnandus est*, iterum ista, *Si autem fundum restituit*, & denique illa, *Si dolo desiit possidere, in litem jurabitur*. Mirum sane eum, qui ex Cujacio multa quæ sunt optima, studiose colligit, iisdem ipsis locis ubi eum carpere non dubitat, non capere maxime quæ præ cæteris necessaria sunt.

DISPUNCTIO XLVIII.

De interpretatione *legis In judicati 61. D. de re judicata.*

JUlianus ait. *In judicati actione, non prius ratio haberi debet ejus, cui prior reus condemnatus fuerit.*

Incredibilem quandam lætitiæ voluptatem, ut in *hoc caput* incidi, sensi, Merillium ratus, qui dissidia jam olim Fornerii ac Cujacii probe nosset, depromturum hic quidquid de actione judicati reconditioris jurisprudentiæ haberet. Nam ut militaribus hominibus jucundum est in arcis alicujus obsidione, egregiorum ducum observare labores, ita Merillii nominatissimi Jureconsulti operam in materia difficili, nec vulgari, non vulgarem deprehendere, mihi sane pergratum fuisset.

Lex ait, *In judicati actione &c.* Quid est actio judicati? Est actio secunda, qua victor adversus victum exequitur rem judicatam, & ad finem perducit. Quid inquies, Post actionem in judicium delatam, & rem sententia finitam, en actio datur secunda, qua iterum lis ex lite fiat, & obligatio veluti ex obligatione nascatur? Dico vero, actionem hanc secundam institui, non litis ordinandæ, sed exequendæ sententiæ gratia : & quamvis obligatio sit ex obligatione, nimirum ex re judicata, tollendæ tamen omnis obligationis causa ad ultimam hanc actionem perveniri. Itaque post dictam a judice dato sententiam, aditur Magistratus qui judicem dederat, atque ab eo petitur, ut sententia adversus Titium data executioni demandetur, adeoque ut apparitores jubeat pignora debitoris condemnati capere victoris nomine, atque ea distrahere, ut ex pecunia redacta ex pignorum venditione, creditor idemque victor repleatur, *l. Præses 27. in fin. D. de re jud. l. Si pignora 50. D. de Evict.* Magistratus autem partes sunt, pronuntiare debitorem, condemnatum recte teneri ea sententia quæ adversus eum dicta est, & jubere res ejus ab apparitoribus sive executoribus pignori capi, mobiles quidem primum, & deinceps quæ soli sunt, *l. A divo Pio 15. §. 2. l. 31. eod tit. de re jud. l. 1. Cod. de execut. rei jud.* Causas autem cognitionis quasdam hæc sententia desiderat, de quibus summatim Magistratus cognoscit, veluti An competat actio ei qui agit judicati, an ei deneganda sit ? *l. 14. D. de noxalib. act. l. 6. §. pen. D. Quod cujuscunque univers.* Item si condemnatus dicat in solidum exigi se minime debere, *d. l. 31. l. 18. & l. 41. eod. tit. de re jud.* Item si diversæ sententiæ proponantur, *l. 28. & 38. eodem tit.* ut in specie *legis Duobus 30. D. de liberali causa*. de qua diximus sup. *disp. 45.* Item si nondum effluxerint dies justi, *l. 7. & 29. D. de re jud.* Si pignora capta sint, quæ capi minime debuisse dicat debitor, ut stipendia & commoda præmiorum *l. 4. Cod. de excep. rei jud. l. 40. D. de re jud.* si sententia ipso jure nulla dicatur, *l. 6. D. de feriis*. Si furioso dicta sit, *l. 9. D. de re jud.*. Si sententia contra plures indistincte lata sit, ut ex sua tantum persona quis conveniatur *l. 43. eod. tit.* Item si ante eum qui judicati hodie agit, alius debitorem communem prius condemnaverit, hoc ipsum quandam cognitionis causam exigere videtur ut finge, Mævius Titium condemnavit, deinde Sejus: at Sejus in causa judicati prævenit Mævium, hoc est, Seji nomine pignora Titii communis debitoris capta sunt. An Sejus potior erit, an Mævius cui priore loco Titius condemnatus est. Hanc Merillius existimat quæstionem esse *d. legis In judicati actione 61.* Ego vero magis elegantem existimo dubitationem esse, si ponamus utrumque creditorem, vel in capiendis per apparitores pignoribus, vel in ipsa judicati actione, dum petunt per apparitores pignora capi, concurrere : Mævium autem, anterioris temporis sententia fretum petere ut ante sui ratio habeatur, ut qui non vincatur diligentia adversarii, sed qui ipse eum vincat anterioris scilicet sententiæ prærogativa. Quæ sane ratio colorem habet : rejecta tamen est a Juliano, qui in actione judicati non putavit anterioris sententiæ rationem habendam esse. *In judicati actione*, inquit, *non prius ratio haberi debet ejus cui prior reus condemnatus fuerit*. Tacita decidendi ratio est, quod sententia lata sive dicta de re in judicium deducta eo tantum pertinet, ut per eam jus actoris declaretur, an creditor sit, an dominus ; an reus debeat, an præstare quid vel restituere

Source : BIU Cujas

tuere teneatur, quod recuperatores ſententia ſua definiunt, qua victori nullum jus tribuunt in bobis condemnati ; Cæterum ut expediatur ſolutio, utque reſtitutio fiat, adeoque ut bona condemnati poſſideantur, vel ejus pignora capiantur, hoc poſtea fit extra ordinem imperio magiſtratus, quo jubente pignora capi, vel permittente poſſeſſionem bonorum, jam incipit victor in victi bonis aliquod jus habere, & hoc extremum juriſdictionis eſſe dicitur, *l. unic.* §. 1. *D. Si quis jus dic. non obtemp.* jus autem illud perficitur occupatione pignorum, vel ingreſſu poſſeſſionis *l. 26. D. de pign. act.* nam in vicem juſtæ obligationis ſuccedit veluti ex cauſa contractus auctoritas jubentis, *l. 1. Cod. Si in cauſa judicati pign. capt. ſit.* Simile eſt pignus judiciale conventionali, & ſimilem exitum habet. ἔοικε τῷ ἀπὸ συμφώνε ἐνεχύρῳ καὶ ὁμοίαν τάξιν ἐπέχει. Non ſufficit capi pignus, & privata creditoris auctoritate detineri, *l. qui ratiario* 30. *D. de pig. act.* ſed oportet illud capi juſſu ejus, qui jubere potuit poſt ſententiam jure dictam: & ex pluribus creditoribus potior eſt is, in cujus perſona conſtitutum eſt, *l. Si & jure* 10. *D. qui pot. in pig.* Ergo ut in conventionali pignore, non utique potior eſt creditor, cui prius debitor obligatus eſt, ſed is cui priore loco pignus datum eſt, ita in judiciali non habetur ejus ratio cui prius condemnatus eſt reus, *hac d. l. 61. D. de re jud.*

Verum ei *l. 61.* objiciunt, *l. Inter 19. eod. tit. Inter eos quibus ex eadem cauſa debetur, occupantis melior conditio eſt: nec deducitur quod ejuſdem conditionis hominibus debetur, ſicuti fit in de peculio actione, nam & hic occupantis melior eſt cauſa.* Occupantis, ideſt, ejus qui prior ad ſententiam pervenit. Ergo in judiciali pignore ratio habetur ejus, cui prior reus condemnatus fuerit.

Merillius *d. l. 19.* ita exaudiendam eſſe cenſet, ut melior fit conditio ejus qui prior ad ſententiam pervenerit, & eam executus fuerit; iraque accipit eam de cauſa judicati. Fornerius *lib. 1. Select. cap.* 18. pariter accipit eam de executione ſententiæ, quæ ſolutione conſummatur. *Occupare,* inquit, *dicitur qui in executione judicati reliquos quibus ex eadem cauſa debetur vicerit, etſi forte poſteriore loco ſententiam obtinuerit: quamvis enim in pignore judiciali, ideſt, in cauſam rei judicatæ capto, æqua ſit omnium creditorum conditio, nec in actione judicati potior ſit is qui prior vicit, tamen in executione, meliore loco eſt diligentia ejus, qui cæteros prævenerit occupatione diſtractioneque pignorum, conſummata ſcilicet omnis jam res eſt.* Non ego cenſeo quod illi, *d. l. 19. D. de re judic.* eſſe de actione judicati ſimpliciter; Imo, dico eam eſſe de æſtimatione bonorum, in quæ agit actor ille, qui ejuſmodi eſt, ut non ſemper ſolidum conſequatur, veluti ſi agat in peculium, ſive de peculio: vel ſi agat adverſus exceptas perſonas, veluti parentes, patronos, ſocios, qui non condemnantur, niſi quatenus patiuntur eorum facultates: ſcilicet inſpicitur tempus, non inſtitutæ actionis, non litis conteſtatæ, ſed ſententiæ dictæ; ut ſi creditor ſervi filiive familias egerit in peculium, ſpectatur quantitas peculii quæ fuit tempore ſententiæ, ſive peculium creverit, ſive decreverit, nec habetur ratio cæterorum creditorum, quibus ex ſimili cauſa, ideſt, ex cauſa peculiari debetur; ſpectatur tempus ſententiæ, & judicati actio in tantam pecuniam competit, in quantam condemnatio facta eſt, *l. Sed ſi damnum 9. §. ult.* juncta *l. ſeq. D. de pecul.* Finge ergo; ſociis duobus Primo & Secundo, Tertius, qui ſocius atque fuerat totorum bonorum, dena debebat, Primus priore loco egit, & litem conteſtatus eſt; Egit ſecundo loco Secundus, debitoremque condemnavit: & (quod obſervandum) tempore condemnationis utique ſufficiebant Tertii facultates credito Secundi. Quæſitum eſt an deduci deberet ſumma quæ Primo debebatur? Reſponſum eſt non eſſe deducendam. Movebat, quod cum ex ſimili cauſa deberetur, par ejus conditio eſſe debebat. At ratio in contrarium fuit, quod cum ſpectetur tempus condemnationis, ut quis cui damnetur pro modo & ratione facultatum ſuarum, ſententiæ in ſingulis creditorum cauſis prolatæ conſiderantur ſeorſim. Itaque melior erit conditio ejus qui priore loco ſententiam obtinuerit. Idemque erit, ſi ex pluribus libertis unus anteverterit patronum condemnare: non tamen erit idem, ſi ex pluribus donatariis unus donatorem condemnaverit, æs enim alienum deducetur, *d. l. Inter 19. cum tribus præced. D. de re jud.*

Si quæras uſum & effectum hujus rei: dico hunc eſſe. Quod futurum ſit ut Tertius Primo in nihilum condemnetur, ſi æſtimatione facta bonorum ac facultatum ejus ex tempore ſententiæ inter eos dictæ, appareat nihil eum in bonis habere. Utar & exemplo peculii; Pater Titii filiifamil. Mævio in centum condemnatus eſt, cum eſſet peculium centum & viginti: Deinceps egit Sejus in eundem patrem. Quatenus eum condemnabit? Certe in viginti: quia in peculio non plus eſſe intelligitur: cœpit enim pater judicati teneri in centum, *d. l. 9. §. ult. D. de pecul.* Eo reſpicit *d. l. Inter eos 19.* quæ proinde longe diverſam ſpeciem habet a *l. 61. eod. tit. de re jud.* In hac enim agitur de prærogativa diligentioris creditoris non in condemnando, ſed in exequendo, in illa vero, ideſt, in *d. l. 19.* agitur de quantitate condemnationis inter creditores, quibus ex ſimili cauſa debebatur. Porro ſi quæras, is qui ſententiam in viginti, poſteriore loco reportavit, ſi occœperit judicati agere, ejuſque nomine pignora capta ſint, an potior futurus ſit eo, qui prior ad ſententiam pervenerit? Reſpondeo id ita eſſe: hancque ſententiam confirmari arg. *legis Si & jure* 10. *Qui potiores in pign.* quæ nihil ad *d. l. 19.* pertinet, cum ait. *Si & jure judicatum, & pignus in cauſa judicati ex auctoritate ejus, qui jubere potuit, captum eſt, privilegiis temporis ſore potiorem hæredem ejus, in cujus perſona pignus conſtitutum eſt.* Senſus eſt, conſtituto pignore judiciali (conſtituitur autem cum per apparitorem capitur jubente Magiſtratu poſt ſententiam rite datam) juvari hæredem creditoris, & potiorem eſſe alio quolibet creditore, licet nondum ejuſmodi pignus ſit diſtractum. Scilicet & defunctus ſi viveret potior ipſe eſſet privilegio temporis. Alia cauſa eſt pignoris judicialis, alia pignoris Prætorii quod conſtituitur miſſione in poſſeſſionem ex Edicto, bonis poſſeſſis ex Edicto, hæc miſſio prodeſt omnibus, & fit in omnia bona καθ' ὅλα τῶν δανειστῶν νομὴ, pignus vero judiciale ſoli creditori proficit qui ſibi vigilavit: certa perſona eſt ejus qui judicati

Source : BIU Cujas

cati actione tenetur, *l.* 4. *D. de rejud.* certa quoque ejus cui judicatum fieri desideratur, *l.* 15. §. *Sed si emtor* 7. *eod. tit.* Itaque recta non est interpretatio Fornerii ad *d. l. qui potiores* 10. dum eam accipit de pignore conventionali, quem ob id, tacito tamen ejus nomine, Cujacius reprehendit merito, *lib.* 9. *Observation. cap.* 37. Satis autem ipsa *lex* 10. prodit se, cum has conditiones exigit, *Si & jure judicatum est*, &c. tractare de pignore judiciali, congruitque cum *l.* 1. *Cod. Si in causa judicati pig. captum sit*, ut post præscriptas illas conditiones (quæ in solo judiciali pignore possunt esse) incivile sit eam accipere de pignore conventionali: quomodo si certa lege quis amicum ad cœnam opiparam invitet, illiberaliter prorsus fecerit, si eum mox ac legi paruerit, excludat. Sane si in *dicta l.* 10. pro his verbis *si & jure*, legeretur, *Et si jure*; rectissima esset Fornerii observatio, ut acciperetur illa *lex* 10. de pignore conventionali. Stat vero sententia *d. legis*, ut scripta est, qua edocemur hæredem succedere in causam pignoris judicialis, quod antea constitutum sit in persona defuncti. Et vero certum est non tantum in causa pignoris conventionalis, sed etiam Prætorii & judicialis, jure semper potiorem esse, qui tempore anteceſſerit, *l.* 2. 3. & 4. *Cod. Qui pot. hab.* Et quamvis in Gallia consuetudinaria res mobiles pignorum persecutionem non patiantur, judiciale tamen pignus admittunt, & temporis prærogativam, ut *Consuetud. Paris. Articulo* 178.

Cujacius autem supra dicto *lib.* 9. *Observ. cap.* 37. negat adversari *d. legem Si & jure* 10. *D. qui pot. dictæ l. inter* 19. *D. de rejud.* & utramque hoc velle scribit, potiorem esse creditorem qui occupavit agere judicati, pignusve capere in causam judicati, non qui prior sententiam consecutus sit. Nec vero alibi fassus est adversari. Merillius tamen incusat eum, quod *in recit. ad d. l.* 61. *D. de rejud.* lib. 45. D. Jul. admodum placere sibi dixerit, quod Græci in *d. l.* 61. negationem detraxerint. Sed illud *admodum*, non est omnino acquiescere, sed pro tempore. Denique ille locus, (utpote ex posterioribus) non fuit prioribus opponendus.

DISPUNCTIO XLIX.

An eadem sit condictio quæ datur ex mutuo, & quæ datur ex promutuo?

GAjus in *l.* 5. §. *Is quoque* 3. *D. de obligat. & act. Is quoque, qui non debitum accipit per errorem solventis, obligatur quidem quasi ex mutui datione, & eadem actione tenetur, qua debitores creditoribus.*

Quid hic (Deus bone) peccavit Cujacius? Nimirum, inquit Merillius, ad *d. l.* 5. Scilicet *in Operib. post.* Dixit eum qui indebitum accepit, teneri eadem actione, ac qui mutuum accipit, non quæ sit eadem specie, sed genere. Agnosco loquentiam: tenetur eadem actione non specie quidem prorsus, sed genere eadem. Quid inde? At *lib.* 8. *Observat. cap.* 34. scripsit teneri eadem actione, nec distinxit an eadem genere vel specie: ergo variavit. Quid istuc peritiæ Logicæ artis? Nego Merilli, hoc sequi, nisi rei intellectu in diversum coacto, ut Quintilianus ait. Imo, probe magis inferam ita: non distinxit; ergo non variavit. Et hoc simile vero est, subintellixisse Cujacium, quia *dicto Observationum loco* non similitudines tantum, sed etiam dissimilitudines mutui & promutui notavit, quod faciunt qui generis & speciei ἀνάλυσιν tradunt, dum quærunt dissimilitudinum similitudines, & similitudinum dissimilitudines. Dixit condictionem ex promutuo dari ex bono & æquo tantum, non ex contractu: indebiti enim solutionem distractum esse, & ideo actionem ex promutuo non dari, nisi in id quo locupletior factus esset qui indebitum accepit, *l.* 8. §. 22. *D. de transact.* Dixit & in ignorantem non dari, ut si hominem indebite solutum ignorans manumiserit, *l. In summa* 65. §. *pen. D. de cond. ind.* Qui differentias notavit, non tibi videtur species distinxisse? Ergo ubique sensit Cujacius (contra Merillium) actionem mutui ac promutui eandem esse genere quidem, non vero specie. Et recte quidem, & ex Philosophorum arte, qui species a speciebus norunt dividere ex differentiis singularum: invicem autem conjungere per convenientiam generis. Ita plane differt actio tutelæ subsidiaria, quæ in magistratum datur, ab actione tutelæ, quæ contra tutorem competit, quæ tamen eadem dicitur, *l. ult. D. de Magistratibus conv.* Brasica est omne genus brassicæ: at quæ flore, caule, odore, gustu, vel quo alio differunt, genere etsi conveniant, ac nomine, specie tamen o Merilli, differunt.

DISPUNCTIO L.

De interpretatione *legis Actio* 28. *D. de oblig. & act.*

PApinianus lib. 1. Definitionum. *Actio*, inquit, *in personam infertur, petitio in rem, persecutio in rem vel in personam, rei persequendæ gratia.*

Quæstio est, an abundent hæc verba, *rei persequendæ gratia?* Breviter, nec minus vere dici potest, admodum superflua hæc verba esse videri, si Papiniani definitio generaliter accipiatur, & ad certam speciem non referatur: contra, si ad casum certum inflectatur, puta ad tractatum de persecutionibus quatenus adversus defunctum, & adversus hæredem, vel bonorum possessorem competunt, dici potest, non videri superflua. Et ita Cujacius *in Recit. ad d. l.* 28. Papinianum dixit, videri simpliciter scripsisse, actionem proprie esse in personam, petitionem vero esse actionem in rem, persecutionem denique esse commune nomen actionis & petitionis, persecutionem dici, tam in rem, quam in personam: & consequenter, quæ pœnæ persequendæ gratia est actio, persecutionem esse. Et hoc sensu videri abundare hæc verba *rei persequendæ gratia*. Alio vero loco, ideſt, *Observ. lib.* 22. *cap.* 21. idem Cujacius posse esse dixit, ut Papinianus lib. 1. Definitionum (unde sumta est illa regula) cum proposuisset veterem illam regulam, *Qua de re actio, petitio, persecutio adversus defunctum fuerit, & adversus ejus hæredem esse*, &c. eam interpretatus sit, ut diceret accipiendam esse de actione, petitione, persecutione quæ rem persequitur, non pœnam, & hoc sensu non abundare supra dicta verba *rei persequendæ gratia.*

Source : BIU Cujas

gratia. Hoc appellat Merillius variare: puto ego, hoc eſſe, rem accurate explicare.

DISPUNCTIO LI.

An fidejuſſor acceptus in majorem ſummam, quam reus principalis debeat, nullo modo vel ad ſummam debitam obligetur?

ULpianus in *l. Græce* 8. §. *Illud* 7. *D. de fidejuſſ. Illud commune eſt in univerſis qui pro aliis obligantur, quod ſi fuerint in duriorem cauſam adhibiti, placuit eos omnino non obligari.*

Vetus quæſtio, quæ nos etiamnum exercet hodie! Scripſit Cujacius (inquit Merillius) *in poſterioribus notis Inſtit. tit. de fidejuſſ.* magis eſſe ut fidejuſſor, qui acceptus eſt in majorem ſummam, quam reus principalis, ſaltem teneatur in debitam a reo ſummam, arg. *legis Si a reo* 70. *D. de fidejuſſ.* Legenda & perlegenda ſunt verba Magiſtri, ne nos fugiant, vel etiam decipiant. Si reus (inquit Cujacius) decem aureos promiſerit, fidejuſſor in quinque recte obligatur: Contra vero obligari non poteſt, in majorem ſummam ſcilicet, in debitam enim ſummam obligari magis eſt. Variavit (inquit Merillius) utpote qui in *Recitationib. ad lib.* 9. *Reſp. Pap. in l. pecuniæ* 9. *D. de uſur.* probat ex *l.* 8. *D. de fidejuſſoribus*. fidejuſſorem qui promiſit quindecim pro debitore obligato in decem, nulla ex parte teneri.

Dico ſupra ſcripta Cujacii verba *ad tit. Inſt. de fidejuſſ.* quibus ait magis eſſe, in debitam ſummam fidejuſſorem obligari, deſiderare ſpeciem certam: hanc ſcilicet, ſi ponamus reum debere x. fidejuſſorem interrogatum eſſe in eandem quantitatem, ideſt, in x. porro fidejuſſorem reſpondiſſe ſe daturum xx. Ita ipſe Cujacius in *l. Rogatus* 33. *D. Mandati* ad lib. 4. Juliani ex Minicio. (quem locum retulit Merillius nec ſatis attendiſſe videtur) *Ex hoc loco* (inquit Cujacius) *per quam evidenter apparet, quod dicitur in d. §. Illud* 7. *fidejuſſorem qui ſe obligavit in duriorem cauſam omnino non obligari ſic eſſe accipiendum, ut omnino non obligetur quatenus ſe obligavit, ſed quatenus duntaxat rogatus eſt*. Liceat hoc ſepties repetere, ut placeat aut ſaltem retineatur.

Sed & ſi ſtricto jure rem æſtimet: nihilo magis argumentis Merillianis tenebitur. Non *l.* 33. *D. Mandati*. in qua, non quatenus obligetur fidejuſſor, quæritur, ſed quatenus mandati actionem habeat, qui rogatus de minori ſumma, majorem ſpoponderat, qui quidem dicitur mandati actionem habere quatenus rogatus ſit. Non *l.* 11. §. 1. *D. de conſtituta pec.* Nam dici poteſt errore plus conſtitutum quam debitum eſſet, proinde non tenere conſtitutum in quo erratum eſt, tenere autem quatenus erratum non eſt, quia ibi conſenſus non eſt, ubi error eſt: & e contra ibi error non eſt, ubi conſenſus eſt, *l.* 4. §. *ult. D. Si quis caut.* Porro conſtituta non quemadmodum ſtipulationes ex ſtricto jure, ſed ex conſenſu valent, *l.* 1. *in pr. D. de conſtit. pec.* Non obſtabit etiam quod dicitur in majori ſumma minorem ineſſe, & utile per inutile non vitiari, *l.* 1. §. *Si ſtipulanti* 4. *D. de verbor. obligat.* Etenim in ſpecie §. *Illud* 7. *d. l. Græce* 8. creditor qui reum habebat in x. fidejuſſorem interrogavit in xx. fidejuſſor ſpopondit xx. ficque non occurrit comparatio minoris ſummæ cum majori. Nec aliud hac in ſpecie efficiet illa regula, *utile per inutile &c.* quam obligationem rei non vitiari propter vitioſam obligationem fidejuſſoris. Itaque fatendum eſt fidejuſſorem qui ſe in plus obligavit, nullo modo obligari: & ea verba *omnino non obligari* metatheſim reſpuere, nec debere ita converti *non omnino*, hocque voluiſſe Græcos, qui (omnino non) recte verterunt οὐδὲ ὅλως, quod & ipſum recte reddidit Cujacius, *nullo modo*, Merillius perperam *non omnino*, teſte Græcorum eruditiſſimo Euſtatio, in illud Homeri *Iliad.* ἰῶτα οὐδέ τι πάμπαν ἀμύνειν νηυσὶ θοῇσι *fol.* 761. τὸ δὲ οὐδέ τι πάμπαν, inquit, ἴσον ἐστὶ τῷ οὐδαμῶς, οὐδ' ὅλως.

DISPUNCTIO LII.

An *Lex* 12. *D. de Muneribus & honoribus*, intelligenda ſit de collatione, vel de cura viæ publicæ muniendæ?

MUnerum civilium alia ſunt perſonalia, alia patrimonialia, alia mixta. *Perſonalia ſunt, quæ animi proviſione, & corporalis laboris intentione, ſine aliquo gerentis detrimento perpetrantur, ut tutela, vel cura*. Ex hac Arcadii Chariſii definitione intelligimus, quamlibet curam atque ſollicitudinem publice injunctam, circa rem pertinentem ad civitatis adminiſtrationem, utilitatemque publicam, perſonale munus eſſe, ſi ex reditibus civitatis curatori pecunia ſubminiſtratur, ut non de ſuo faciat ſumtum: adeoque munitionem viarum, ſi qui huic rei præfectus eſt, de ſuo in hoc munus conferat nihil, *l. ult. uſque ad* §. 18. *D. de mun. Patrimonialia ſunt, quæ ſumtibus patrimonii, & damnis adminiſtrantis expediuntur:* & quædam ex his dicuntur munera poſſeſſionis, quia hoc genus collationis poſſeſſionibus indicitur, non habita ratione an poſſeſſores municipes ſint, & incolæ. *Mixta denique ſunt, quæ corporale miniſterium habent, & non ſine detrimento gerentis adminiſtrantur, qualia ſunt munera decaprotiæ & icoſaprotiæ: nam decaproti & icoſaproti, tributa exigentes defectorum fiſcalia detrimenta reſarciunt, d. l. ult. a* §. 17. *uſque ad* 28. ubi, pro eo quod in Florentinis legitur *defunctorum*, legendum *defectorum*, quia defectorum detrimenta decaproti farciebant, *Ils faiſoient bons les nonvaloirs ou les nonvaleurs*. Hi erant ſimiles iſtis quos novitas per imitationem quandam vocitat *les cocqs de Paroiſſe*. Ejuſmodi detrimenta æquiſſima ſua conſtitutione anni 1543. Franciſcus I. noluit in privatum quenquam rejici; quæ tamen Græci juniores Imperatores Nicephorus Logotheta, & Baſilius Porphyrogeneta, rejicienda in ditiores ſanxerant idque onus ἀλληλέγγυον appellabant, ut apud Cedrenum & Zonaram *lib.* 3. *Annal.* videre eſt. His ita prælibatis videamus de *l.* 12. *D. de muneribus*. Jabolenus lib. 6. ex Caſſio.

Cui muneris publici vocatio detur, non remittitur ei, ne Magiſtratus fiat, quia id ad honorem magis quam ad munera pertinet. Cætera omnia quæ ad tempus extra ordinem exiguntur, veluti munitio viarum, ab hujuſmodi perſona exigenda non ſunt.

Conten-

Source : BIU Cujas

Contendit *hoc capite* Merillius, Cujacium variaſſe in exponenda *d. l.* 12. quod hæc verba *munitio viarum* modo pro munere perſonali, modo pro munere patrimoniali habuerit. Dubitationis eſt, inquit Merillius, (meminerit ſuæ dubitationis) An quod ſubjicit Jabolenus de munitione viarum, referendum ſit ad collationem viæ, vel ad curam. Cura munus eſt perſonale, collatio, patrimoniale. Aſſumit autem Merillius Cujacium, *lib.* 5. *Senten.* Pauli *hanc l.* 12. intellexiſſe de collatione viæ, ſeu de munere patrimoniali: alibi vero aliter, nimirum ad *l.* 6. *D. de vacat. & excuſ. mun. & ad l.* 8. §. *qui* 3. *eod. tit.*

Quid ſi ad *lib.* 5. *Sentent.* Pauli *munitionem* Cujacius non accepit eo ſenſu, quo putat Merillius? Textus quidem Pauli ſubobſcurus eſt, nec Cujacii ſententia omnino plana atque aperta, Paulus ait *tit.* 6. §. 2. *Ut interdictum, ita & actio proponitur. Ne quis via publica aliquem prohibeat, cujus rei ſollicitudo ad viarum curatores pertinet, a quarum munitione nemo exceptus eſt.* Hæc verba, *a quarum munitione* ambigua non immerito videri poſſint, nam poſſunt hoc ſignificare a collatione viarum, neminem qui prædia habeat ſecundum vias publicas, immunem eſſe, poſſunt & aliud: nimirum, curandæ viæ munus detrectare neminem poſſe. Quidni? Hermogenianus munitionem viæ ponit hoc ſignificatu, pro cura ſcilicet muniendæ viæ, *l.* 1. §. 2. *D. de muner.* Nec diſſiteri poteſt Merillius, qui dubitationem adfingit ipſe in *d. l.* 12. de ejuſdem verbi acceptione. Potuit & Paulus dum ſcripſit neminem exceptum eſſe a munitione viæ, hoc intelligere, a cura viæ muniendæ. Potuit igitur & Cujacius eodem ſignificatu accipere, cum notavit neminem exceptum eſſe a viarum munitione, niſi qui muneris publici vacationem impetravit, verba ejus ſunt, *Hujus rei cura mandata eſt Viocuris ſeu curatoribus viarum, a quarum munitione nemo excuſatur, niſi qui muneris publici vacationem impetravit. l. cui muneris* 12. *D. de munerib.* Hoc ſi ita eſt; ut tam eſſe poteſt, quam quod gratis opinatur Merillius: quo tandem abit levis illa alieni dicti interpretatio?

A Nam deteſtari eſt denuntiare non tantum præſenti, ſed etiam abſenti. In *l.* 39. *D. de verb. ſignif.* Paulus cum ſignificationem tradit horum verborum *Subſignatum, Bona, Deteſtari,* & *Incertus poſſeſſor. Deteſtari*, inquit, *eſt abſenti denuntiare.* Sequitur ex Ulpiano in *l.* 40. *Deteſtatio eſt denunciatio facta cum teſtatione.* Sumta eſt *d. lex* 40. ex Ulpiani lib. 56. ad Edictum. ubi interpretatus eſt Edictum de vi bonorum raptorum, quo loco & quid *Deteſtatio* eſſet, oportuit eum explicare, eo quod vim facere videatur, qui contra deteſtationem aliquid faciat, *l.* 1. §. 7. *D. Quod vi aut clam*, quod monuit obiter Cujacius *ad lib.* 5. *Sentent.* Pauli *tit.* 6. *de interd.* §. *non tantum* 3. Diximus verbum *deteſtationis* olim aptari ſolere ſacris familiæ. Certum eſt enim calatis comitiis, & teſtamenta, & ſacrorum deteſtationem primis temporibus fieri, auctore Gellio *lib.* 15. *cap.* 27. Hæc cum meminiſſet Cujacius in enarranda *d. l.* 39. *de verb. ſignif.* docebat Paulum his verbis *Deteſtari eſt abſenti denuntiare* hoc voluiſſe, deteſtari eſſe abſenti teſtato denuntiare & prodere ſacra, ut ea ſuſcipiat & faciat, quod ſit hæres defuncti, vel quod ex legato tantam partem habeat, quantam omnes hæredes, vel quod de bonis defuncti uſuceperit plurimum: ut eſt apud Tullium *lib.* 2. *De Legib.*

Quid iſtic variationis? Nonne eodem illo loco ad *dict. l.* 40. *D. de verb. ſignif.* vir emunctiſſimæ naris ſeparavit *l.* 39. a *d. l.* 40. *dicto tit. de verb. ſignif.* ideſt, Pauli tractationem ab argumento Ulpiani? *Ad eandem*, inquit, *partem juris Pontificii de ſacris deteſtandis, poſſet referri initium legis* 40. *ubi eodem modo definitur. Propius tamen eſt, ut oſtendi in Pauli Sententiis, ut referamus totam l.* 40. *ad Edictum vi Bonorum rapt.* Quare igitur Merillius Cujacium in Sententiis Pauli, opponit Cujacio, in *d. l.* 39. Ex his apparet inutilem eſſe, & *in hoc extremo capite* operam, irritumque conamen Merillii, adnotantis fruſtra, deteſtationem in *d. l.* 40. non pro ſacrorum deteſtatione, ſed pro qualibet denuntiatione, poni: quod extra controverſiam fuit. Nec ſiquidem Ulpianus, aut Paulus dicatur deteſtationem hoc ſignificatu explicaſſe, reprehendendum eſt: Quaſi vero antiquitatis etiam exoletæ veſtigia apud juris auctores eſſe non potuerint ulla? cum Juſtinianus, ut antiquitatis penitus nihil ignoraretur, ex fontibus ejus multa ad ſtudioſorum commodum putaverit deducenda.

DISPUNCTIO LIII.

De verbo *Deteſtationis*, in *l.* 40. *D. de verb. ſignif.*

VErbi *deteſtationis*, varia eſt ſignificatio, vel certe una quæ variis caſibus aptari poteſt.

FINIS.

Source : BIU Cujas

PROMPTUARII
JACOBI CUJACII
TOM. II. PAR. II.

DOMINICI GENTILIS J. C.

Et in Regia Neapolitana Academia Juris Civilis Primarii Profeſſoris

Vindiciarum ſecundum CUJACIUM adverſus MERILLIUM

LIBRI TRES.

Source : BIU Cujas

BIU Cujas

JOSEPHUS PASCHALIS
CYRILLUS

In Regia Neapolitana Academia Juris Civilis Ordinarius Professor.

ÆQUO AC SAPIENTI LECTORI
S.

DEcimus quartus jam annus agitur, quum Cl. Vir DOMINICUS GENTILIS, *qui sibi laudi ducebat ex Cujacio sapere, pro Cujacio contra Merillium scribere aliquid cœpit, & , qui mos erat hominis, ut unam aut alteram chartulam compleverat, eas typographo dare literariis formis mandandas. Ita is ad caput nonum primi Vindiciarum libri venit. Sub id tempus Laurentius Ciccarellius Ottonianum Thesaurum juris Neapolim invehendum curavit. In tertiam ejus Thesauri partem conjecerat Everardus Otto rarissimum Osii Aurelii libellum, cui titulus,* Dispunctor ad Merillium, seu de Variantibus Cujacii interpretationibus in Libris Digestorum Dispunctiones LIII. *Continuo studiosi juris Osii librum in manus sumere, & meliora de Gentili sperantes ei instare, ut propositum urgeret suum: at vero Gentilis ab incœpto desistere, & videri alia omnia cogitare. Hinc rumor afflare, eum, quæ dederat edenda, ea omnia ex Osio descripsisse. At Gentilis tamen in animum induxerat rem a principio repetere, & Merillium non æquum Cujacii censorem, & Osium haud idoneum Cujacii vindicem per singula capita castigare: sed rei familiaris angustia felices ausus interturbavit. Nunc, quoniam eum acerba heu! mors abstulit, ego Januario Mutio auctor fui, ut imperfectum Cl. Viri opus evulgaret, quo turpis nota honestissimo ejus nomini adsperſa elueretur. Tu Gentilem cum Osio confer, & bene vale.*

DOMINICI GENTILIS J. C.
VINDICIARUM
SECUNDUM
CUJACIUM
ADVERSUS
MERILLIUM
LIBER PRIMUS.

Quid sit jus, quod necessitas constituit in l. pen. D. de legibus, Senatusq. Cons.

CAPUT I.

ERGO OMNE JUS, AUT CONSENSUS FECIT, AUT NECESSITAS CONSTITUIT, AUT FIRMAVIT CONSUETUDO. *Modest. in d. l. penult.*

CUJACIUS in *paratit. Digest. ad Tit. de legibus.* Ergo omne jus, aut consensus fecit, aut necessitas constituit, aut firmavit consuetudo; jus enim, quod expressus consensus populi, vel plebis fecit lex est: QUOD NECESSITAS CONSTITUIT, SENATUSCONSULTUM. *l. 2. §. deinde quia difficile. sup. tit. prox.*

Idem Cujacius *lib.* XIV. *observ. cap.* XVI.

Breviter scripsisse videtur Modestinus hanc juris partitionem ex hoc Menandri loco: τία γὰρ ἐστὶ δέσποτα δι' ὧν ἅπαντα γίγνεται, ἢ κατὰ νόμους, ἢ ταῖς ἀναγκαῖς, ἢ γε τρίτον ἔθος τί, ideſt, tria enim sunt potissimum, per quæ omnia fiunt, aut secundum leges, aut necessitatem, aut denique consuetudinem aliquam: non jus omne tantum, sed & omnia, aut leges efficere, aut necessitatem, aut consuetudinem.

MERILLIUS. *Jus, quod consensus fecit, est jus civile scriptum, puta leges, rogationes, ple-*

Source : BIU Cujas

biſcita, quæ populi, aut plebis conſenſus fecit, l. A *de quibus* XXXII. *ſupr. hoc titul. jus, quod firmavit conſuetudo, eſt jus civile non ſcriptum, quod fluxit ex interpretatione Prudentum ad LL.* XII. *tabul. & fuit non ſcriptum, l.* II. §. II. *& §. noviſſime, D. de orig. juris, & longa utendi conſuetudine fuit comprobatum d. l.* XXXII. *ſup. hoc tit. ut ſubſtitutio pupillaris moribus fuit introducta, l.* II. *D. de vul. & pupill. ſubſtitutione, ſeu jure civili, l. ex facto* XLIII. *D. eod. Donationes inter virum, & uxorem moribus prohibitæ, l.* I. *D. de donatio. inter vir. & uxor. ſeu jure civili, l.* IV. *D. de pactis dotalib. In legibus ferendis expreſſus fuit populi conſenſus, in moribus introducendis tacitus, ſeu illiteratus,* B *ut Gellius lib.* XII. *cap.* XLIII. *& hoc quidem ſatis conſtat, quid ſit jus, quod conſenſus fecit, aut quod firmavit conſuetudo, at non ſatis conſtat quid ſit, quod NECESSITAS conſtituit in d. l. penult. D. de legib.* Cujac. *in paratit. Digeſtor. ad tit. de legibus, ait: SCta eſſe jus, quod NECESSITAS conſtituit, cum populus univerſus in tanta hominum multitudine difficile convenire poſſet, & neceſſitas ipſa curam Reipublicæ ad Senatum deduxiſſet, d. l.* II. §. *deinde quia difficile, D. de orig. jur. At lib.* XIV. *obſerv. cap.* XVI. *Jus, quod NECESSITAS conſtituit, interpretatur, Jus gentium, quia uſu exigente,* C *& humanis neceſſitatibus, gentes quædam jura ſibi conſtituerunt, §. jus autem, Inſtitut. de jure naturali, gentium, & civili; puta commercia, venditiones, locationes, bella, captivitates.*

GENTILIS. Hoc caput ex eorum numero eſt, in quibus, quid ſibi velit Merillius, non facile perſpicias. Variantium enim duplex genus conſtituit ſup. *cap. octavo ex Cujacio*, & expreſſas quidem, retractationes appellavit, *at per oblivionem, ſeu incogitantiam relictas, variationes potius, quam retractationes:* at Cujacius in explicando Modeſtino, neque retractat, quod dixerat, neque per oblivionem variam ſententiam reliquit, neque unquam jus, quod NECESSITAS conſtituit apud D Modeſtinum in *d. l. penult.* expoſuit pro jure gentium; quod adeo verum eſt, ut ex ſola locorum collatione intelligi poſſit.

Duo Cujacii loca adfert Merillius: Alterum ex *parat. D. ad titulum de legibus; Alterum ex* XIV. *obſerv. cap.* XVI. Utroque loco eadem ſententia proponitur: Ibi quidem *Senatus-Conſ. eſſe jus, quod NECESSITAS conſtituit, cum populus univerſus &c.* Hic vero latius idem exequitur, & cur ita ſentiat, eleganter docet his verbis: *Sane articulus ille* ergo *a quo incipit dicta lex penult. ſignificationem præbet, eam legem ſummam eſſe, & concluſionem totius tituli, ſive repetitionem, & congregationem, non omnium partium juris, ſed earum* E *tantum, quæ in eo titulo tractatæ ſunt, quæ tres ſunt, Leges, SCta, & Conſuetudo; Nam titulus eſt de legib. & SCtis, & longa conſuetudine: De decretis Principum eſt tit.* IV. *De author. prudent. tit.* II. De tribus illis partibus ille titulus tertius; *de quibus cum ſatis multa in illo tradita eſſent ex libris Prudentum, tandem res omnis a Modeſtino ita concluditur: ergo jus omne, aut conſenſus fecit, aut neceſſitas conſtituit, aut firmavit conſuetudo: nam jus, quod conſenſus fecit,* A *lex eſt, quæ populi, aut plebis juſſu ſancita eſt; jus autem, quod NECESSITAS fecit, eſt SCtum, ut in l.* II. §. *deinde quia D. de orig. juris.*

Nihil eſt his locis a Merillio adductis, in quo animadvertas, aut expreſſam Cujacii retractationem, aut per incogitantiam variaſſe, nempe utrobique jus, quod NECESSITAS conſtituit, interpretatur eſſe Senatus-C., quæ omnium ferme DD. opinio eſt, Hotomanum ſi excipias *ad tit.* II. *lib.* I. *Inſtit.* & Bacovium *ad Treutlerum diſput.* I. *Theſ.* V. *lit. E.* qui ſatis inciviliter in Pomponium, & Tribonianum invehuntur.

Sed neque tantum his locis id docuit Cujacius, ſed & alibi, (ſic ſæpe ſolet) in *l.* II. §. *deinde* B *quia, D. de orig. jur. ubi jus, quod NECESSITAS* conſtituit ad SCtum refert, nominatim adducta in teſtimonium *dicta lege penultima. De legib.* & in *l. jus autem* VII. *De juſt. & jur.* ubi *d. l. pen.* late interpretatur. Uterque locus Merillio neglectus præcipitem illum egit, nam & quæ eſſet Cujacii ſententia, facile intellexiſſet, & non tam cito hanc ex Cujacio variationem retuliſſet: *Breviter ergo ſic ſe res habet: jus quod conſenſus fecit, eſt lex; jus, quod NECESSITAS CONSTITUIT EST SCtum; jus, quod firmavit conſuetudo, eſt longa conſuetudo: ergo dicta lex pen. ſumma eſt, & concluſio illius tituli, qui has tantum partes juris civilis tres complecti-* C *tur, Leges, SCta, & longam conſuetudinem.* Hæc Cujacius, additque fere iiſdem verbis ea, quæ obſervaverat *d. lib.* XIV. *cap.* XVI.

Nunc quid Merillium deceperit oſtendam. Scripſerat Papinianus in *d. l.* VII. *jus civile eſſe, quod ex legibus, Plebiſcitis, Senatus-Conſultis, Decretis Principum, authoritate Prudentum venit:* exponens id Cujacius, quærit, cur Modeſtinus tres tantum fecerit partes, Papinianus quinque? an quod plures ſint partes juris civili ſcripti, de quo Papinianus, & pauciores juris civilis univerſi, de quo Modeſtinus? quod ſane ineptum eſt, cum hoc poſtremo contineatur jus non ſcriptum; an fortaſſis, quod *triplici ea diviſione* partes omnes juris civilis *contineri* poſſe videantur, ita ſcilicet, ut præter *legem*, & plebiſcita, & S.C. Principum decreta, & reſponſa Prudentum, & jus etiam Prætorium intelligantur comprehenſa? Et putat Cujacius, tam in *d. l.* VII. quam in *d. cap. obſerv.* Poſſe Principum placita, & reſponſa Prudentum ſub ea Modeſtini regula contineri, & jus Prætorium jure non ſcripto comprehendi; plura affert in *d. l.* VII. Illud præcipuum, nihil adduci poſſe, cur non ex neceſſitate pars juris quodammodo dicantur, cum neceſſario Princeps conſtitutus ſit, qui rerum omnium ſit Dominus, & interpretatio Prudentum neceſſario deſiderata fuerit, quando etiam Juſtinianus in §. *jus autem. De jure nat. gent. & civ. humanis*, inquit, *neceſſitatibus exigentibus, gentes jura quædam ſibi conſtituiſſe*, belli puta, & pacis, quod ita accepit Merillius noſter, ut Cujacium arbitratus ſit, jus, quod neceſſitas conſtituit in *d. l. penult.* expoſuiſſe pro jure gentium, & vult etiam, ſi Diis placet, Modeſtinum in ea hæreſi conſtituere, ut ad jus gentium potius reſpexerit, quam ad SCta non tantum hoc *capite*, ſed I. *obſerv. cap.* XXXVIII. (ubi quicquid ſapit ex jecore Cujacii ſapit) quod fieri nulla ratione potuit, cum in eo *tit. de Legibus, & Senatus-*

Con-

Source : BIU Cujas

Consultis agatur, nusquam de *jure gentium:* nec, si Merillium excipias, quisquam est in Interpretum familia, qui senserit aliter. Sed, inquit, Menandri verba obstant, ad quæ respexit Modest. τρὶα γὰρ. &c. nempe, quod *Cujac.* dubitanter profert, multos scilicet persuasum habere, Modestinum respexisse ad ea Menandri verba, Merillius pro solida sententia accepit, & vult, Menandrum non potuisse de SCtis cogitare, & propterea nec Modestinum. Nugæ ædepol, & gerræ.

MERILLIUS. *Et ibi quidem Cujacius attigit utramque interpretationem, ut jus, quod NECESSITAS constituit, referri possit ad Senatus-Consultum, vel ad jus gentium.*

GENTILIS. Sponsione facta cavere posses, nunquam Cujacio id in mentem venisse, ut jus, quod necessitas constituit, in *d. l. penult.* interpretaretur jus gentium; sed tantum hoc tentat in eo capite, ut monuimus, an Modestini responso omnes partes juris civilis contineantur, non vero, an & JUS GENTIUM comprehendatur; ita enim docet *d. cap.* XVI. *Verum tentemus etiam ea divisione, ut jus omne, aut consensus faciat, aut necessitas constituat, aut firmet consuetudo, posse contineri omnes partes JURIS CIVILIS, &c.* quod sane cum tot locis expressum sit a Cujacio, mirum est, Merillium tam facile potuisse labi.

Hæc pro Cujacio satis. Quæ sua addit Merillius, juris imperitia laborare videntur. *Jus civile,* inquit, *non scriptum, quod fluxit ex interpretatione Prudentum ad LL.* XII. *tab. fuit non scriptum l.* II. §. II. *& §. novissime, D. de orig. jur. & longa consuetudine fuit comprobatum, l.* XXXII. *D. de leg.* I. *ut substitutio pupillaris moribus fuit introducta l.* II. *D. de vulgari, & pupill. seu Jure civili, l.* XLIII. *D. eod. Donationes inter virum, & uxorem moribus prohibitæ, l.* I. *D. de don. inter vir. & uxor.*

Nescio cur vir doctus ita accipiat Pomponium, ut jus civile non scriptum consuetudine firmatum, de quo in *d. l. penult.* velit esse illud, quod fluxit ex interpretatione Prudentum ad *LL.* XII. *tab.* cum longe alia sit sententia Pomponii, de qua mox, quasi nesciverit, jus civile Romanum a Grecarum urbium legibus, & institutis ortum, §. *& non ineleganter. De jur. natur. gent. & civil.* ob eamque rationem in duas distributum esse partes, *l.* II. §. IV. *De orig. jur.* in scriptum, & non scriptum. Nec a vero abludit, quod ait Tribon. in *d.* §. *& non ineleganter*, ab Athenienſium, & Lacedæmoniorum institutis originem ejus fluxisse. Idonei auctores sunt *Athaeneus l.* VI. *Polybius*, qui eam laudem Romanis attribuit, ut mores alienos, & assumerent, & æmularentur melius; μὴ μεταλαβεῖν ἔθη, μὴ ζηλῶσαι τὸ βέλτιον; præclare Cicero pro Flacco; *Ab Athenienſibus humanitas, doctrina, religio, jura, leges ortæ, atque in omnem terram distributæ putantur... Lacedæmoniorum spectata, ac nobilitata virtus, non solum natura corroborata, verum etiam disciplina putatur, qui soli toto Orbe terrarum septingentos jam annos amplius unis moribus, & numquam mutatis legibus vivunt.* Plutarchus quoque in Solone & Lycurgo, cujus illa sunt; μιμησάμενοι κατὰ πάντα τὴν Λακεδαιμονίων πολιτείαν διετήρησαν αὐτοὶ μᾶλλον, ἢ ἐκεῖνοι, imitantes (Romani scilicet) per omnia politiam Lacedæmoniorum, observarunt melius, quam ipsi: plura apud Tullium *de leg. lib.* I. Prudentissimi enim mortalium Quirites, durationi urbis futuræ gentium Dominæ consulentes, cum non omnia legibus comprehendere possent, præclarioribus gentium moribus, quos suos fecerunt, usi sunt. Dionysius, Diodorus Siculus, Livius, &c.

Non itaque jus civile non scriptum, & consuetudine firmatum de quo in *d. l. penult.* fluxit ex interpretatione Prudentum. Certe in libris juris exempla occurrunt de jure non scripto ante *LL.* XII. *tab.* cum nondum essent leges e Græcis allatæ. In *l.* I. *D. de curat. furios.* consuetudo refertur ante eas leges: *lege*, inquit Ulpianus, XII. *tab. prodigo interdicitur bonorum suorum administratio, quod moribus quidem ab initio introductum est, ab initio* ideſt ante *leg.* XII. *tab.* Goveanus *ad l.* II. *n.* I. *de vulgar.*

Patria potestas moribus recepta dicitur in *l. patre. De his, qui sunt sui, vel alien. jur.* & tamen constat ante *LL.* XII. *tab.* jus patriæ potestatis apud Romanos viguisse, & ineleganter profecto a Merillio adducitur exemplum pupillaris substitutionis pro eo jure, quod fluxit ex interpretatione Prudentum ad XII. tab.; pupillaris enim substitutio ortum a patria majestate trahit, ex eaque proficiscitur *l.* II. *D. de vulg., & pupill.* nam, sive testamenti, sive mortis tempus inspicias, sive, quod est verius, utrumque, ita patriæ potestati innititur, ut sine illa comprehendi non possit; *l. coheredi* §. *cum filiæ D. cit. tit. l. nec ei permittitur* §. I. *D. de adopt.* At jure patriæ potestatis usam fuisse Urbem sub Regum dominatu, palam est ex Livio *lib.* I. Quippe Horatius tergeminus, ob sororis cædem in jus raptus, cum a Rege Tullo, & Duumviris ad populum provocasset (lex enim erat horrendi carminis; *Duumviri perduellionem judicent: Si a Duumviris provocarit, provocatione certato: Si vincent, caput obnubito; infelici arbori reste suspendito: verberato, vel intra pomærium, vel extra pomærium*) flens Pater, jure cæsam filiam proclamavit; *ni ita esset PATRIO JURE in filium se animadversurum fuisse.* Quo loci Franciſci Polleti, viri tersi, & culti, lapsum vix est, ut non mirer, cum ait III. *de Foro Romano* V, novo quodam, & inusitato posteris exemplo, eam provocationem a Rege, & Duumviris ad populum factam, cum potestas Regia summa sit; diserte enim Livius adjunxit, Regis Tulli clementia id factum, ne auctor videretur ipse subvertendi judicii: nec tamen, nisi post longam deliberationem, ut ait Dionysius, ea cognitio ad populum relata est. Quamvis dissentire videatur Festus a Livio, nam exponens quid sit *Sororium tigillum*, Horatium, ait, parricidii fuisse condemnatum, & Aurelius Victor *de viris illustribus*, eandem referens historiam titulum criminis silentio involuit. Sane Livio pleniorem fidem adhibendam jure dixeris, qui perduellem facit. Sed facile in amicitiam adduci possunt; quod Legibus Regiis parricidii nomine, quodlibet homicidium comprehenderetur, ut in LL. Numæ; *Sei queis sciens hominem liberum morti duit, parricida esto.*

Ea igitur est ratio, cur pupillaris substitutio moribus introducta dicatur in *d. l.* II. *D. de vulg. & pu-*

Source : BIU Cujas

& pupill. quidquid vulgo perperam conentur. Quippe jus patrium, cujus fonte manat, & ipſum moribus receptum eſt *d. l.* VIII. Et minus caute Donellus *ad tit. Cod. de impub.*, *& aliis*, pupillarem refert *ad* XII. *tab.* ex quibus vulgaris duntaxat. His enim verbis, *uti rei ſuæ legaſſit, ita jus eſto l. verbis legis De V. S.*, & plenius apud Auctorem ad Herennium: *Paterfam. ubi ſuper familiæ, pecuniæve ſuæ legaſſit, ita jus eſto*, etſi latiſſima poteſtas tributa ſit, intra tamen vulgarem conſiſtit, nec egreditur porro. *leg. ut heredibus. De legatis lib.* II. Etenim uti quiſque rei ſuæ legaſſet, ſtatuiſſetque, jus eſſe XII. tabulis cautum eſt; at, ut quiſque de re non ſua, per pupillarem ſtatuat, iiſdem tabulis non continetur; quod vel in ſuo exherede deprehenditur, cui pupillariter parens ſubſtituere poteſt, quamvis ab hereditate ſubmoto *l.* I. §. II., *& l. ſed ſi plures* §. *ad ſubſtitutos*, *De vulgari*, *& pupillari*, *l. filius* XLI. *De adquirenda*, *vel omittenda hereditate*. Hinc apud noſtros, ſermone oborto de pupillari, adjicitur, *moribus* fuiſſe introductam, nempe ad diſcrimen *vulgaris*, quæ Legibus Decemviralibus profecta eſt; quo ſenſu non male Goveanus ſubſtitutionem vulgarem appellat *legitimam* Ulpianum ſequutus in *fragmentis*, & in *l.* I. *De legitimis tutoribus*, ubi tutelam agnatorum, & quæ patronis defertur, *legitimam* dixit, & Harmenopulus *lib.* V. *tit.* XI. tutorem Attilianum vocat legitimum καὶ λέγεται, ὁ παρὰ τοῦ διχαστοῦ διδόμενος ἐπίτροπος λεγέτιμος, additque rationem ὅπερ ἐστι παρὰ τῶ νόμου δοθείς. recte, nam Prætor tutorem non facit, ſed dat ex L. Attilia: tutor datur a lege, vel Senatu, vel a Principe, nam tutoris datio, neque eſt imperii, neque juriſdictionis, ſed ei ſoli competit, cui nominatim hoc dedit, vel lex, vel Senatus, vel Princeps, *l. Prætor* IV. *De tutoribus datis*. *l. muto*, §. *tutoris*. *De tutelis*. Obſervandum tamen, ne quis labatur, tutelam legitimam apud Harmenopulum non poſſe cedi in jure, ſed illam tantum, quæ reipſa, & proxime a lege deſcendit. Locus eſt elegans Ulpiani in *fragmentis tit.* XI., ubi corrupte legitur *Ceſſicus*, legendum *ceſſitius*, ut ſit tutor *ceſſitius*, tutela *ceſſitia*, &c.

Sed hic viris doctis dubitatum eſt, qui fiat, ut patriam poteſtatem *moribus* introductam dicat Ulpianus in *dicta l.* VIII., cum Papinianus *lege regia* conceſſam fuiſſe ſcribat *tit.* IV. libro ſingulari De adulteriis, in collatione, ſed *cum patri*, inquit, *lex regia dederit in filium vitæ*, *neciſque poteſtatem*, *quod bonum fuit lege comprehendi*, *ut poteſtas etiam fieret filiam occidendi*.

Pithæus in notis ad *Collationem*, aliique politi interpretes diſſidium componunt hunc in modum, ut quæ moribus Populi Romani ſervata, & cuſtodita fuere in *leges regias* translata intelligamus, quod & Cujacius probavit in *dicta l.* II., & verum eſſe oſtendunt Dionyſius, & Plutarchus. Certe, ante leges regias, *moribus* Urbs uſa eſt, quos in judiciis obſervaſſe ipſum urbis Conditorem Romulum, teſtatur Dionyſius, libro II. exemplo Græcorum veterum, apud quos legis nomen incognitum fuiſſe, ſcribit Joſephus *libro* II. *adverſus Appionem Alexandrinum*, additque *legis* nomen in Homero nuſquam reperiri. Ergo legibus regiis mores comprehenſi ſunt, ne ſcilicet pupulus iis, quibus aſſuevit, abſtineret ſtatim; jus itaque patriæ poteſtatis recte ad *mores* Ulpianus retulit, recte ad *leges regias* Papinianus.

Diſplicuit hæc expoſitio Merillio, & novam prorſus attulit II. *obſervationum* VIII., ubi opinatur *lege regia*, & XII. *tabulis*, patriam poteſtatem *patri* tantum fuiſſe conceſſam, non *avo*, & cæteris parentibus a patre, at *moribus* deinde receptam, & in patre, & in avo, cæteriſque a patre, qui parentum appellatione continentur, *l.* IV. *De in jus vocando*: Movetur, quod interdum non cenſeantur pari jure pater, & avus, ut in L. Pompeja de parricidiis, & in L. Julia de adulteriis, *l.* I. *D. ad legem Pompejam de parricidiis*, *l.* XX. *D. ad Juliam de adulteriis*, *&c.*

Sed vix eſt, ut poſſit admitti: obſtat temporis ordo, & juris ratio, primum enim *moribus* recepta, deinde *legibus regiis* repetita eſt, quod adeo verum eſt, ut nullis rationibus obſcurari queat; & fruſtra putat patrem, & avum non cenſeri eodem jure, ſive in L. Pompeja de parricidiis, ſive in L. Julia de adulteriis, nam propria utrobique ratio eſt a Merillio nimis aliena; ait itaque J.C. in *d. l.* I., quaſdam perſonas ſubjici pœnæ *legis* Pompejæ de parricidiis, in quibus avum numerat, patrem non numerat. Merillius, non obſervato diſcrimine inter *avum paternum*, & *maternum*, ita accepit hunc locum, ut avum ſepararit a patre, quaſi pater interficiens filium non ſubjiciatur legi Pompejæ de parricidiis, at ſubjiciatur avus, ſi nepotem occiderit, quæ ſententia, quam vulgus Doctorum tuetur, a juris principiis abhorret omnino: nimirum Martianus in *dicta l.* I. de avo *materno* ſermonem orditur, qui cum jus poteſtatis non habeat, pœnæ legis Pompejæ de parricidiis ſubditur, quod Bachovius ad Treutlerum obſervavit acute *diſputatione* XXXII. *theſi* VII. Ipſa etiam mater filium interficiens, eadem pœna tenetur, eandem ob rationem, *dicta l.* I. Non igitur diverſo jure cenſentur pater, & avus paternus, imo eodem prorſus. Ecce, pater legi Pompejæ de parricidiis non ſubjicitur, quomodo enim ſubdi poteſt, qui in filium jus vitæ, & necis habet? nec igitur avus paternus ſubjici poteſt, cui par jus, *d. l.* I. *l. juxta De verborum ſignificatione l. appellatione*, *eodem titulo*. Nec quis regerat, nuſquam patres jure vitæ, & necis uſos in liberos, & ad terrorem magis, quam ad veritatem fuiſſe conceſſum, ut ſcripſit Arrianus in *Epicteto*. Scilicet plena exemplorum rei Romanæ monumenta ſunt; Manlius Torquatus, Decium Syllanum filium ſuum repetundarum delatum, morti addixit; Spurius Caſſius filium Tribunatu functum, Regni ambiti reum, verberibus ad mortem cædi juſſit; & patrem, qui filium in ſilvas abductum interemit, Divus Adrianus relegavit, quia jure latronis, non jure patris interfeciſſe videretur; *l. Divus*, *D. ad l. Pompejam de parricidiis*, opponit jus patris juri latronis, de quo alibi commodiore loco ſermo inſtituetur. Non negarim tamen valde fuiſſe ſucceſſu temporum hoc jus coangustatum, ut illius umbræ, & ſimulacra quædam relicta ſint.

Et hæc ipſa probant ſatis, cur patris mentio omiſſa ſit in *dicta l.* I., neque enim pœnâ legis Pompejæ de parricidiis adfici poteſt, cum ea lege non comprehendatur, uti & avus *paternus*, qui poteſtate gaudet. At non idem in avo *materno*, non idem in *matre*, cui jus illud denegatum eſt

dicta

Source : BIU Cujas

dicta l. I. Pœna illa legis Pompejæ de parricidiis est eadem, ac pœna legis Corneliæ de sicariis, & ægre **Tribonianum** excuses, qui pœnam illam atrocem parricidii de culleo, &c. legi Pompejæ adsignat, in §. *item lex. Inst. titulo ultimo*, cum longe ante Pompejum ejus vestigia deprehendantur, apud Valerium, aliosque, & more majorum fuisse institutam Modestinus tradit, *l. pœna. Ad legem Pompejam de parricidiis*; laboravit eo vitio, quod Græci μνημονικὸν ἁμάρτημα vocant, quo etiam vitio laborasse videtur Ulpianus in *l.* III. §. *si liber. De condictione causa dati*, in specie illa nobili Paridis pantomimi, quem egisse refert adversus Domitiam, *filiam* Neronis: filiam appellavit, quam Tacitus XIII. *annalium* Neronis *amitam* dixit: *nec multo post ereptus amitæ libertus Paris.*

Sequitur *lex* XX. *Ad legem Juliam de adulteriis*, a qua auxilium petit Merillius, ut ostendat jus potestatis *patri* interdum concedi, *non avo*. Lex est nobilis, cujus sententiam non videtur assequutus, quæ patrem, & avum ita conjungit in jure potestatis, ut in utroque esse neget potius, quam alterum ab altero sejungat. Quærit in ea lege Papinianus, an pater possit occidere adulterum cum filia, quam habet in potestate, & respondit posse, scilicet ἐν ἔργῳ deprehensum, ἐν αὐτῷ τῷ ἔργῳ τῆς μοιχείας. Harmenopulus *cap.* II. *lib.* VI., sed ita, si filiam habeat in potestate, nec ipse sit in potestate, puta emancipatus, vel alio modo solutus: nec immerito, inquit Ulpianus in *l.* XXI., nam non videtur habere in potestate, qui non est suæ potestatis. Quid si pater adulteræ sit adhuc filiusfamilias? ideest sub avo, an saltem *avo* jus occidendi competat? & cum Patri non permittatur, nec *avo* esse permittendum Papinianus innuit *dicta l.* XX., cui subscribit Ulpianus in *l.* XXI. Non est itaque, quod vulgo increbuit, in odiosis sub *patre* non comprehendi *avum*, quod & Gothofredus vidit in *dicta l.* XX., quamvis & hic labatur, quod putet *avo* concedendum, ut interficiat neptem mœcham, si filium habet in potestate, quando utrique, *patri* scilicet, & *avo* in ea specie diserte vetitum est *dicta l.* XX. *dicta l.* XXI., idque ut filiæ consuleretur, pietas enim paterni nominis consilium pro liberis facile capit; quæ ratio in avo non est tam efficax. Hinc marito adulteram uxorem interficere interdicitur; cujus justus alioquin dolor, & calor, & impetus refrænandus fuit, ut ait *lex nec in ea* §. IV. *D. eodem*. Extra tamen jus patriæ potestatis sejungitur interdum *avus* a patre *l.* III. §. I. *De administratione tutorum l.* VII. §. II. *De rebus eorum, qui sub tutela sunt*, &c.

Sed videamus, quid sit jus illud, quod fluxit ex interpretatione Prudentum *ad* XII. *tabulas*, de quo Pomponius in *dicta l.* II., & quantum distet a jure non scripto, de quo Modestinus in *dicta l. ergo omne jus*; locus ad lapsum lubricus, qui diligentiam Merillii, aliorumve effugit. Est igitur animadvertendum, interpretationem Prudentum ad XII. tabulas, ex earum obscuritate esse profectam, quæ certe magna in illis fuit, ut testatur Gellius XX. *noct.* I., & XVI. *cap.* X., & nominatim Cicero de Sexto Ælio, & L. Acilio scripsit II. *de legibus*, eos non intellexisse, quid *lessum* XII. tabulæ appellarent. Cum enim valde concisæ, præscriptisque verbis conceptæ essent, nec, quæ earum sententia, quæve mens foret, facile appareret, subsistebant Judices in decernendo, donec Jurisconsulti interpretatione adhibita ambiguitatem tollerent, & ad similes species, vel protenderent ulterius, vel coangustarent responsis; quorum authoritas in judiciis præcipua fuit, unde *disputatio fori* in *dicta l.* II. §. *his legibus*, qui locus quamvis diverse legatur, semper tamen hanc exprimit sententiam, *fori disputationem* necessariam fuisse authoritate Prudentum. Recte ita; nam incertæ, & sine nomine interpretationes non recipiebantur, *d. l.* II. §. VI. Igitur, ubi dubitatio exoriebatur, Prudentes adhibebantur, qui legum verbis, momentisque rationum perpensis, diuque inter se collatis, quid statuendum in judicando esset, proferebant. Et videor aptum exemplum afferre ex Tryphonino in *l. cum in fundo*, §. *si fundus communis. De jure dotium*, quæ desumpta est ex libro XX *disputationum*, ubi ait se in auditorio *disputasse*; & pariter ex *l. cum quidam. De liberis, & postumis*, ubi Paulus quoque, Scævolam *disputasse* refert; nempe, cum disputatio obtineret, custodiebatur in foro, si quando eædem species emergerent; nec dubitandum, quin hi Jurisconsulti ad exemplum Veterum, *disputationes*, vel instituerint, vel collegerint, ut constat ex libris *disputationum* Ulpiani, & Tryphonini, & de Modestino testatur Charisius in *l. fin.* §. *mixta munera. De muneribus, & honoribus*, eum *disputando* bene multa decrevisse. Hic est Arcadius Charisius, quem Cujacius Christianum fuisse scribit VII. *observationum* II., fuitque Magister libellorum sub Philippis Imperatoribus.

Has tamen interpretationes tunc obtinuisse, & in foro servatas censendum est, cum nec juri scripto adversarentur, nec ei consuetudini, quæ in Urbe servaretur, ut testis locuples est Cicero *lib.* I. *De Oratore*, & Paulus in *l. si de interpretatione. De legibus*, additque Callistratus in lege proxima, omnes legum ambiguitates pelli, vel consuetudine, vel rebus perpetuo similiter judicatis, ex constitutione Severi, ut etiam colligitur ex *l. nemo. Cod. de sententiis, & interlocutionibus. Disputationem fori*, innuit, cum rerum perpetuo similiter judicatarum meminit, unde palam est, hujusmodi interpretationes, juris civilis nomine, quod scriptum, & expressum erat, non potuisse comprehendi, cum Prudentes vim legis condendæ nunquam habuerint, saltem ante Cæsares, dumtaxat enim, ut diximus, in foro receptæ erant, ubi post magnas varietates obtinuissent, ex *l. ultima D. Pro legato*, l. cum ex uno De obligationibus, & actionibus, *post magnas varietates obtinuit*, l. I. §. Veteres, De adquirenda possessione *Veteres putaverunt* l. XII. D. qui satisdare cogantur *inter omnes convenit* l. XXXI. De vulgari, & pupillari substitutione *placuit Prudentibus*.

E diverso interpretationes Decemvirorum pro lege custoditæ fuerunt, *dicta l.* II. §. IV. Cur ita? nempe quia Decemviris ea potestas concessa fuit, unde eorum interpretationes novissimis tabulis comprehensæ sunt, *d.* §. IV., at reliquorum Prudentum disputationes, ad exemplum observatæ, receptæque, proprium jus Romanorum dici cœperunt, ideest, ut ego sentio, non aliunde a Populo Romano desumtum, non ab exterarum Urbium, vel legibus, vel institutis depromtum. Nomine etiam vacasse Pomponius addidit, sine scripto quoque

veniisse

Source : BIU Cujas

veniſſe, ſcilicet tacite tantum in forenſibus negociis, fuiſſe cuſtoditum. Πολιτικὴ νομοθεσία, Theophilo dicitur, in *tit. De adquiſitione per adrogationem*, & jus civile, communi nomine, in *dicta l.* II.. quaſi jus civile in artem redactum, & ad trituram forenſem accommodatum Interpretum peritia. *Commenticium* jus adpellat Paulus in *l. ſi pœna. De pœnis*, ideſt ab ipſis Juriſconſultis inventum: *per manus traditum*, Papinianus in *l. quod per manus. De jure codicillorum*: acutas ineptias Juriſconſultorum, vocat Seneca, *lib.* VI. *de beneficiis cap.* V. Et a legibus ſeparat Cicero, *in oratione pro Cæcinna*, locutionum juris plena.

Sed illud dubitationem omnem amovere videtur, quod Paulus v. *ſentent.* IV. a jure non ſcripto, Prudentum authoritatem diſtinguit. Jus enim omne dividit in leges, & mores, ideſt in ſcriptum, & non ſcriptum, & mixtum ex utriſque. Æqua interpretatio facit, ut jus mixtum referamus ad Juriſconſultorum *diſputationes*, quæ ex legibus profectæ, conſenſu adprobatæ ſunt, ut exempla, quæ Paulus ſubjicit, oſtendunt. Ex his conficitur, longe aliud eſſe jus, quod conſuetudo firmavit, & jus compoſitum a Prudentibus, quod inter partes juris civilis ſcripti recenſet Papinianus in *d.l.* VII., & Juſtinianus I. *Inſtitutionum* II. Et hoc eſt jus, quod fluxit ex interpretatione Prudentum ad leges XII. *tabularum*, quod quantum diſtat a jure non ſcripto, ſcilicet conſuetudine, quam Populus Romanus retinebat? & de qua Modeſtinus in *d.l. ergo omne jus?* quicquid ſe involvant in ea diſquiſitione Doctores, præcipue Hotomanus, & Coraſius in *d. l.* II. oſcitanter ſane. Unus Rævardus commentario ad *Legem Scriboniam* rem tangit, ſed varius, & fluctuans nihil certi concludit.

Alterum exemplum, quod a Merillio adfertur, de prohibita donatione inter virum, & uxorem, ex interpretatione Juriſconſultorum ad XII. *tabulas*, iiſdem rationibus collabitur. Nam, non Prudentum authoritate, ſed moribus extrariis a Populo receptis, interdictæ fuerunt. Docet id Juriſconſultus in *l.* I. *De Donationibus inter virum, & uxorem*, ubi moribus receptum eſſe, tradit, ne conjugum inter ſe donationes valerent, *moribus*, inquit, *receptum. Mos receptus* eſt, quem ſponte Civitas alienum adſcivit. Feſtus in *ea voce*; adſcitus ſane e Græcis, nam Soloni eam prohibitionem adſignat Plutarchus, *in Romulo*.

MERILLIUS. *Magis tamen probarem, referendum eſſe ad jus gentium.*

GENTILIS. Opinionem ſuam pro Cujaciana exhibet, immemor inſtituti ſui, quo profitetur, ſe exploratorio judicio, potiorem ex variantibus elegiſſe, ut *utramlibet ſumpſerit*, ſemper Cujacium Lector ſit habiturus Authorem. At nos ſupra demonſtravimus, nunquam Cujacium eo in errore fuiſſe, ut in *d.l. penultima De jure gentium* agi exiſtimarit; cum ea lex exſcripta ſit, ex libris regularum Modeſtini, quibus jus civile complexus eſt, & præterea refertur ſub titulo de legibus, Senatuſque Conſultis, & longa conſuetudine. Sane tam in *dicto libro* XIV. *obſervat.* XVI. quam in *dicta l.* VII., poſtquam jus, quod *neceſſitas* conſtituit, retulit ad SCta, quam interpretationem *veriſſimam* eſſe ait, & *comprobatam juſtiſſima ratione*, nititur oſtendere, an omnes juris civilis partes, ea diviſione tripartita comprehendi poſſint, qua de re plura ſatis.

An Præſides, qui jus gladii habuerunt, alias coërcitiones habuerint, vel non.

CAPUT II.

ULPIANUS in L. VI. §. *qui univerſas. D. de offic. Præſid.*

QUI univerſas Provincias regunt, jus gladii habent; & in metallum dandi poteſtas eis permiſſa eſt.

CUJACIUS in *Paratit. Digeſtor. ad tit. de offic. Præfect. Prætor.*

Præter hunc, vel Vicarium ejus, nullus Magiſtratus habet pleniſſimum imperium merum. Alii partes tantum aliquas habent, ut Conſul jus gladii, ſed non jus relegandi: ac ſimiliter Præſes jus gladii, & jus damnandi in metallum, non jus deportandi, vel confiſcandi. Eandemque ſententiam tuetur Cujacius in expoſit. tit. *de injuſt. rupt. & irrit. fact. teſt.*

Sed aliter ſcripſit *lib.* XXI. *obſervat. cap.* XXX. *Per eminentiam, gladii poteſtas, ſumma pars meri imperii: nam & omnem aliam facinorum graviorem coërcitionem, veluti* damnationem in metallum, deportationem, publicationem bonorum, & judicii publici executionem lege delatam, *imperium merum complectitur. L. ſolet. D. de offic. Proconſ. & Legat. L.* I. *D. de offic. ejus, cui mandata eſt juriſdict. L. aliud*, in fine, *D. de verbor. ſignificat.*

MERILLIUS. *Ex eo, quod Ulpianus in hac L. 6. ait, Præſides, qui univerſas Provincias regunt, jus gladii habere, eiſque poteſtatem in metallum dandi permiſſam eſſe; plerique inferunt, Præſides Provinciarum non habuiſſe alias coërcitiones, puta, jus deportandi: aut etiam leviores. puta, jus confiſcandi. Et in ea ſententia fuit* Cujacius *in paratit. Digeſt. ad tit. de offic. Præfect. Prætor. & in expoſit. Tit. de injuſt. rupt. ad L.* VI. *in §. ejus, qui deportatur. Quæ quidem his rationibus juvari potuit; quod ea, quæ ſunt imperii meri, ſpecialiter concedantur, L.* I. *D. de offic. ejus, cui mandata eſt juriſdict. L. ſolent.* VI. *D. de offic. Proconſ. & Legat. L.* I. §. II. *D. de legat.* III. *L. aliud.* CXXXI. *in fin. D. de verbor. ſignific. Conceſſo igitur jure gladii, jus aliter animadvertendi ſpecialiter concedi debuit. Tum quia Præſides, licet jus gladii habuerint, non potuerunt concedere liberam mortis facultatem, nec habuerunt jus veneno necandi. L. aut damnum.* VIII. §. I. *D. de pœnis, nec jus deportandi, L. inter pœnas.* VI. *D. de interd. & relegat. nec jus confiſcandi, L. unica C. Ne ſine juſſu Princip. cert. judicib. liceat confiſcare. Verius tamen videtur, eos omnes, qui jus gladii habuerunt, alias etiam coercitiones, ſeu graviores, ſeu leviores habuiſſe: nam gladius fuit ſymbolum hujuſce ſummæ poteſtatis: quem propterea Impp. in Urbe geſtabant, ut de Vitellio Tacitus lib.* III. *hiſtoriar. & Præfectus Prætorio, Philoſtratus*

Source : BIU Cujas

stratus lib. IV. *de vita Apollonii ; isque solus , ut observat Herodianus lib.* III. *scilicet ad differentiam Præfecti Urbi , cui licet Jus gladii non quidem ab initio , sed postea concessum fuerit ; tamen gladium in Urbe non gestabat . Præsides in Provinciis , seu Legati Cæsaris gladium in Provinciis etiam gestabant , symbolum suæ potestatis. D. Paulus ad Roman. cap.* XIII. *Jure autem gladii concesso vel Præfectis Prætorio , vel Præfecto Urbi , vel Proconsuli , vel Legato Proconsulis , vel Legatis Cæsaris , vel aliis Provinciarum Rectoribus , omnimodam coercitionem habuisse videntur . Et hanc sententiam tandem probavit* Cujacius *lib.* XXI. *observat. cap.* XXX. *ubi ait , gladii potestatem , summam esse partem imperii meri ; & complecti omnem aliam facinorum graviorem coercitionem ; veluti dationem in metallum , deportationem , publicationem bonorum , & Judicii publici exercitionem lege delatam .*

GENTILIS. Monui supra, me de Merillio non aliter judicare, quam de præstanti sapientia viro, & de studiis nostris perbene merito , ne quis de illo me unquam loqui tam contemtim existimet , ut Cujacii sententiam hoc illi capite ignoratam adfirmem. Apagesis ἐναγρίαν hanc , ejusque nominis dignitati hæc venia concedatur , flexo interea parumper sermone , dicis causa locutum dixerim , & potius finxisse nescire se , quam nescisse , ut de Alciato Cujacius noster ad tit. *Cod. de bonis maternis*. Sed quando ita se res habet, a primordio repetenda est .

Vetus est quæstio , an jus gladii omnimodam coercitionem comprehendat , ita scilicet , ut concesso jure gladii omnium pœnarum concessa potestas intelligatur ? & exinde , an Præsides , quibus nominatim deferebatur, potuerint , cæteris coërcitionibus in facinorosos animadvertere , veluti deportatione in Insulam, & publicatione bonorum . Nonnulli omnem animadversionem jure gladii comprehendi docent , sed excipiunt in Præsidibus deportationem . Horum agmen ducit Duarenus ad *l. imperium . De jurisdictione* , & ad tit. *De officio Præsidis* . Quidam indistincte , jus gladii pro quacunque gravi coërcitione accipiunt , & Præsides in Insulam deportare posse , & bona proscribere reorum . Hujus sententiæ est Merillius *hoc cap.* Plerique vero tuentur , omnium pœnarum genera jure gladii non contineri , & Præsidibus deportationem , & publicationem adimunt . Ita Cujacius, non locis tantum , quos Merillius adducit , sed alibi ; in paratitlis *Cod. De sententiam passis . Nec enim Præses deportare potest* , & late in *l.* I. *De jurisdictione* in prima expositione ; *Verum ad rem, Præsidibus , qui habent jus gladii , jus deportandi non est . l. inter pœnas* §. I. *D. De interdictis, & relegatis ; ratio , quia datum non est , eis etiam non est jus confiscandi , l.* I. *Cod. Ne sine jussu Principis*, & latius in *l.* I. *De officio ejus, in quæst. Papin. libro* I. *Item Præses non habet jus deportandi , quia non est datum ei , nec confiscandi bona reorum* , & latissime ad *tit. Cod. Ne sine jussu Principis . At lex Augusti dedit Præsidibus Provinciarum jus gladii , & jus dandi in metallum dedit , & jus relegandi , l. relegatorum* §. I. *De interdictis , & relegatis , & ad id nonnihil facit lex secunda tit. super. at jus deportandi , vel confiscandi non dedit*. Et ne sim longior, eadem habet in *l.* I. II. *&* III. *De jurisdictione* in II. expositione , & in *Novel. De Mandatis Principum* , & in *l. aliud fraus . De V. S.* & in hanc sententiam nominatim in testimonium adducitur , non solum vulgo , sed etiam a Scipione Gentili III. *De jurisdictione* XXIV., qui in Cujacii libris non hospes quidem , omnem rimam quærens , si quid reprehendat, utpote Donelli auditor, variasse eum in hac quæstione , profecto adnotare non omisisset.

Est itaque Cujacii opinio , Præsides deportare in insulam , & bona publicare non posse , quippe gladii potestas omnem facinorum coercitionem non habet , quæ ad merum imperium pertinet , non per partes , sed totum ; jus enim gladii pars est, & quidem summa meri imperii, at non totum imperium merum , quale habet Præfectus Prætorio , ejusque Vicarius.

Ab hac sententia tot locis expressa , recessisse Cujacium Merillius existimat , ex hoc observat. XXX. cap. lib. XXI. §. *Per eminentiam gladii potestas , summa pars meri imperii , nam & omnem aliam facinorum graviorem coercitionem , veluti damnationem in metallum , deportationem , publicationem bonorum , & judicii publici executionem lege delatam imperium merum complectitur.* Mirere hic virum, culto scribendi genere sat nobilem, ejus loci sententiam non fuisse assecutum ; quæ plane (quoniam in has angustias deducimur) illa est gladii potestatem summam esse partem imperii meri, velut illam, quæ jus mortis irrogandæ habet ; cæterum imperium merum complectitur omnem aliam facinorum coercitionem graviorem , veluti damnationem in metallum , deportationem , publicationem bonorum , & judicii publici executionem lege delatam . Quid nos ludis Emunde Merilli ? jus gladii, major pars est meri imperii, & ideo non omnia continet , quæ imperio mero comprehenduntur ; habet sane jus vitæ adimendæ , at non habet reliquas criminum coercitiones ; illas infliget, qui plenum habet imperium merum, & ea propter Præsides, qui jus gladii, majoremque partem imperii meri exercent, nec totum habent imperium merum , deportare , vel bona proscribere non possunt , cum hæc animadversionum genera imperii meri sint, non partis imperii meri. Separat itaque Cujacius *d. cap.* XXX. jus gladii ab imperio mero , tanquam partem a toto ; *Hæc vero* (eodem capite scribit) *est major animadversio , & a majore parte imperii meri confecta definitio est ; major pars est jus gladii , & cæt.* Nihil est clarius.

Quid ? quod idipsum tradit non uno loco ; ut in *l.* III. *De jurisdictione* in secunda expositione: *Per eminentiam autem potestas dicitur pro gladii potestate , summa parte meri imperii , nam præter gladii potestatem , merum imperium complectitur omnem aliam facinorum graviorem exercitionem , veluti damnationem , vel in opus publicum , deportationem in Insulam , & relegationem , & publicationem omnium bonorum , & generaliter omnem judicii publici exercitionem ;* & in *l.* I. *De jurisdictione* in prima expositione ; *merum imperium definitur gladii potestas simpliciter , quoniam hæc est summa pars meri imperii , nempe capitis animadversio , vitæ ademptio ; Sed continet*

tinet etiam merum imperium, jus damnandi in metallum, jus deportandi, relegandi, atrociter verberandi, jus confiſcandi. Viden, ut congruant ſimul iſta cum *d. cap.* xxx. *obſervat.*? Sed & eadem in notis π. *De officio Præfecti Prætorio; meri imperii pars præcipua eſt jus gladii, ideſt, jus vitæ noxiis adimendæ l. illicitas §. qui univerſas, De officio Præſidis*, & paulo poſt, *jus relegandi, deportandi, confiſcandi, damnandi in metallum, continentur mero imperio, nec poſſunt irrogari niſi ab eo, cui Lege datum eſt.* Rectiſſime, nam jus damnandi in metallum ſpeciali Auguſti conſtitutione Præſidibus conceſſum fuit *d. l.* VI. §. *qui univerſas*; Dio *lib.* LIII. Hæc ipſa docet in *d. l.* I. *De officio ejus*, & alibi, ut vel cervicoſiſſimo hominum ſatis eſſe poſſint.

Per eminentiam itaque gladii poteſtas ſumma pars meri imperii, ad animadvertendum facinoroſos homines, *d. l.* III. Animadvertendi verbum, quo utitur Ulpianus, in ſummo ſupplicio uſurpatum paſſim. Marcianus in *l. perſpiciendum §. ult. De pœnis*, animadverſionem recenſet inter pœnas capitis. Macer, in *l. quod ad ſtatum, eodem titulo*, eos, in quos animadverti jubetur, ſimiles facit iis, qui ad beſtias objiciuntur: Auguſtinus ſæpe in *epiſtolis ad Donatum Proconſulem*, & mille exemplorum hujuſmodi. *Per eminentiam*, κατ' ἐξοχήν. Ulpianus *in fragmentis. Legitimi tutores ſunt, qui ex lege aliqua deſcendunt:* per eminentiam *autem legitimi dicuntur, qui ex Lege* XII. *tab. introducuntur, ſeu propalam, quales ſunt agnati, ſeu per conſequentias, quales ſunt patroni.* Dicitur & *jus ſecuris*, ut eleganter Servius ad illud Virgilii

Sævumque ſecuri
Adſpice Torquatum:

an & *jus fori?* Sic putat Scipio Gentilis III. *De juriſdictione* II. ex Prudentio

Et ſub jure fori non noxia colla ſecare

Nollem ita putaſſe; quid enim? *forum* pro *gladio*, nimis inſolens locutio eſt. Jus fori apud Prudentium eſt jus, quod indicto foro exercetur, redditurque, ut apud Latinum Homerum

Indicitque forum, & Patribus dat jura vocatis,

Livius *lib.* XXXI. *Prætor Romanus conventus agit, eo imperio evocati conveniunt, excelſo in ſuggeſtu ſuperba jura reddentem, ſtipatum lictoribus vident, virgæ tergo, ſecures cervicibus imminent.*

Cur autem Præſidibus jus vitæ adimendæ conceſſum ſit, non item deportandi, publicandive bona reorum; ea potiſſimum ratio videtur, quod quæ meri imperii ſunt, ab iis dumtaxat irrogantur, quibus expreſſim, & nominatim delata ſunt, ut probat Papinianus in *leg.* I. *De officio ejus*. Neque enim inſunt jure Magiſtratus, quæ ſpeciali lege mandantur, quod quidem Cujacii verbis proponere placet, ad *tit. Cod. Ne ſine juſſu Principis. Ergo vera ratio, propter quam non eſt Præſidi Provinciæ jus deportandi in inſulam, vel confiſcandi omnia bona, eſt, quia in iis, quæ pertinent ad coercitionem delictorum, quæve ſunt meri imperii, quod Lege dicitur dari* l. I. De officio ejus, *tantum habet Magiſtratus, quæ ei Lex ſpecialiter dedit, nec ſi dederit majora, ideo habet minora, quæ non dedit. Nec hæ argumentationes ſunt in hac quæſtione receptæ, ut cui licet majus, etiam minus liceat, quia hoc totum eſt Legis, quæ circumſcripſit Præſidis poteſtatem.* Hæc ille perquam eleganter.

Ex his conſtat, ni fallor, & Cujacium non variaſſe locis a Merillio relatis, & nimis a vero aberraſſe Merillium, dum hanc variationem colligebat. Quod documento erit omnibus, ne, ſi quid offendant in ſummis viris, quod non ſatis clarum videatur, reprehendant ſtatim, & damnent: verba, rationes, ſententia ſerio prius perpendenda ſunt, ut refrigerato animi ardore recte pronunciari poſſit. Verum ad rem; opinio itaque Merillii, non Cujacii eſt, Præſidibus, jure gladii conceſſo, cæteras omnes coercitiones conceſſas videri, deportationem, publicationem bonorum, & cæt. non tantum *hoc capite, ſed & obſervatione* XXIX. *libri* IV. cujus armarium (remoto parumper e conſpectu Cujacio) inſtituti operis ratio poſtulat, ut excutiamus.

MERILLIUS. *Nec deſunt huic ſententiæ tuendæ rationes, quia cum Populus libera Republica, Imperatores, aut Proconſules cum exercitu mitteret, eis dabat ſummum imperium, atque omnimodam coercitionem.* Salluſtius in conjurat. Catil. *ea poteſtas per Senatum me maxima permittitur: exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis cives, atque ſocios: domi militiæque ſummum imperium, atque judicium ſummum habere.*

GENTILIS. Non una reſponſio eſſe poterit: illa omnino ſolida, ægre trahi tempora liberæ Reipublicæ, quibus Salluſtius ſcripſit, ad Cæſares, quorum Legati iidem, qui Præſides *l. Legatus De officio Præſidis*, ab Auguſto primum, in quem imperium devenit, miſſi in Provincias, ut Dio ſcribit, *d. lib.* LIII. Nec minor illa, maximam poteſtatem apud Salluſtium, male cum jure gladii comparari, quod licet poteſtas apelletur ab J. C. in *d. l.* III., non tamen eſt maxima; Ulpianus enim per paradigma ibi definit, imperium merum eſt habere gladii poteſtatem, deeſt *velut*, vel quid tale: in hunc modum, imperium merum eſt, *velut* habere gladii poteſtatem, quod vidit, & in *Foro Romano* Polletus tradidit, *lib.* III. *cap.* I. nempe ut oſtenderet, gladii poteſtatem minus quiddam eſſe imperio mero, quod maximam poteſtatem Salluſtius appellat.

MERILLIUS. *Ideo Præſides iis pœnis, quemque afficere poſſunt, quæ aut vitam adimant, aut ſervitutem injungant, aut Civitatem auferant, aut exilium, aut coercitionem corporis contineant, l.* VI. §. *ult. D. De pœnis, idque deprehenditur ex variis pœnis, quibus Præſides Provinciarum Chriſtianos affecerunt: quorſum enim tam varias pœnas inflixiſſent, niſi quia jure gladii conceſſo omnimodam coercitionem habuerunt?*

GENTILIS. Reſpondent nonnulli, in *d. l.* VI. §. *ult.* recenſeri quidem inter pœnas, quas Præſides infligere poſſunt, ademptionem vitæ, ſervitutem, & cæt. ſed generaliter Præſidis nomine accepto, *l.* I. *De officio Præſidis*; deinceps vero tradi, quæ ad Proconſules, ad Legatos Cæſaris, cæteroſque Provinciarum Rectores pertineat, *l.* VIII. *De pœnis*, idque deprehendi, quod *dicta lex* VI. excer-

Source : BIU Cujas

excerpta ſit ex libris Ulpiani, quibus egit de officio Proconſulis, enumeratis pœnis, quarum jus penes eos eſſe poſſit, qui Provincias regunt. Sed rectius, & promptius reſponderi poteſt, pœnarum genera in *d. l.* VI. recenſita, pertinere ad imperium Præſidis, ſed iis modis, qui in eadem lege enumerantur. Ecce, ſervitus injungi poteſt a Præſide, ſed ita, ſi in metallum damnet, vel in opus metalli in perpetuum, quod eis ſpeciali Auguſti conſtitutione delatum eſt *d. l.* VI. §. *qui univerſas*, *De officio Præſidis*: *d. l.* VIII. §. *eſt pœna*, *De pœnis*. Ita quoque Civitas auferri poteſt, *ſed exilio*, *non deportatione*, *d. l.* VI. §. *ult. Aut exilium*, inquit, J. C. aut *coercitionem*. Et magna eſt Merillii audacia *d. obſerv.* XXIX. exponentis exilium proprie pro deportatione, cum Marcianus tres faciat exilii ſpecies in *l.* V. *De interdictis & relegat.* & Ulpianus agens de ademptione Civitatis, jus deportandi negat Præſidibus, *deportandi autem in Inſulam jus Præſidibus Provinciæ non eſt datum*, inquit, in *l.* VI. *De interd. & relegat.* Exemplum vero de variis pœnis, quibus Chriſtiani olim adfecti ſunt, alio ducit. Specialiter enim ea poteſtas Rectoribus Provinciarum conceſſa fuit, quo Servatoris noſtri Relligio deprimeretur, quæ cum corporis voluptates profliget, in ejus cultores odio quodam humani generis ſævitum eſt. Pleniſſima itaque poteſtas reſcriptis Principum Præſidibus conceſſa animadvertendi in Chriſtianos pro eorum arbitratu, ea formula, quæ apud Julianum in *Epiſt.* ad Præſidem Achajæ Κοίνοις δὲ αὐτὸς τὰ δέοντα. Reſcripta illa collegit Ulpianus, ut author fieret Alexandro Severo, earum calamitatum, quas adhuc horret Eccleſia, ut teſtatur Lactantius *Divinarum Inſtitut.* II. *Domitius De officio Proconſulis libro, ſeptem reſcripta Principum nefaria collegit, ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui ſe cultores Dei profiterentur*; Legendum, *ſeptimo*, nam eo libro de pœnis egiſſe, patet ex iis legibus, quæ ex eodem in π. referuntur, & fortaſſe cum ait idem J. C., curandum eſſe Præſidi, *ut malis hominibus Provincia careat*, *eoſque conquirat l.* XI. *De officio Præſidis*, Chriſtianos intelligere voluit, quod etiam Rævardus arbitrari videtur.

MERILLIUS. *Et cum varia ſint criminum genera, quæ aliam, atque aliam pœnam mereantur, modo graviorem, modo leviorem, abſurdum eſſet, ut pœna gladii omnes punirentur.*

GENTILIS. Nugatur ſuaviſſime: quis enim gladio, ideſt eadem pœna criminum genera punienda dixerit? ne Porticus quidem, quæ inter παράδοξα enumeravit, æqualia eſſe τὰ ἁμαρτήματα, ſed longius tranſgredi, qui patrem, quam qui ſervum interfeciſſet, & ideo majore pœna dignum illum videri, quam hunc, ut apud Stobæum, Tullium, & cæt. Sunt pœnæ legibus præfinitæ, quarum cancellos poteſtas Præſidis non egreditur, præcipue olim cum judicia ordinaria eſſent; Scholiaſtes Harmenopuli, Ποινή ἐστίν, ἡ ἀπὸ τοῦ νόμου ὡρισμένη τιμωρία ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν, ἤ τις οὐκ ἀπὸ τοῦ δικαστοῦ ποσοῦται καὶ εὑρίσκεται, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ νόμου πεπόσωται, καὶ εὕρηται, καὶ αὔξειν, ἢ μειοῦν τοῦτα ὁ δικαστὴς οὐ δύνατκι. Hæc ille in Scholiis ad **L.** Μεταξὺ titulo περὶ Σημασίας ὀνομάτων. Scilicet

A pro criminum qualitate, pœnæ infliguntur, juxta ſeptem modos, quos recenſet Saturninus in *l.* XVI. §. I. *De pœnis*, de quibus S. Auguſtinus XXI. *De Civitate. cap.* XI. ſed non omnes gladii poteſtate comprehenduntur, nec pro Præſidum arbitratu: interdum Princeps eſt conſulendus, quo pertinet Plinii *Epiſtola* LXIV. *lib.* X. interdum ad Præfectum Prætorio cauſa remittenda, *l.* IV. *Cod. locati.* Cæterum leviora crimina, mitiore pœna plectenda eſſe, quis negarit? Et cum alicui jus gladii tribuimus, non ideo *leviores pœnas* negamus, quod Merillius opinatur; dumtaxat dicimus non *omnes* ſive graviores, ſive leviores gladii poteſtate contineri. Gladii mentio ob id frequens apud J. C., B quod hæc *plerumque* ratio adimendæ vitæ permittebatur; *l. aut damnum* VIII. §. I. *De pœnis*. Cujacius illa ipſa *obſervat.* XXX. *libri* XXI. S. Auguſtinus in *Epiſt. ad Donatum Proconſulem*. Petrus Faber in *l.* XX. *De regulis juris*; iis enim temporibus hoc pœnæ genere mortem a Magiſtratibus inferri ſolitam, oſtendit Hotom. *obſervat.* II. *De pœnis*, quod probo; adhibita tamen diſtinctione criminum, de qua Paulus v. *Sentent.* XVII. Unde non recte Duarenus ad *l.* III. *De juriſdictione*, *gladii* vocem expungere conatur; & minus recte, qui addunt eidem legi III. vel *alterius coercitionis*; & omnino male, qui *gladii poteſtatem*, pro *gladio materiali*, ut loquuntur, C exponunt. Nam ut ſupra diximus, Ulpianus in *d. l.* III. per paradigmata definitionem meri imperii confecit, & ad exemplum vox *gladii* expreſſa eſt: nempe ut intelligatur, poſſe & alio pœnæ genere mortem irrogari præter *gladium*, quod in morte Redemptoris noſtri perſpicue apparet. Cruci enim per Pontium Pilatum affixus eſt, penes quem jus gladii. Crux *Romanis LL.* propria ſeditioſorum pœna erat, & ſeditionis reus præcipue Dominus delatus eſt, regnique ambiti, & propterea Crucis ſupplicio adfectus, per Pontium Pilatum *Procuratorem* Tiberii, ut *Tacitus* XV. *Annalium refert*. *Procuratorem* ſcilicet, ſed qui *partibus Præſidis* fungebatur, ut adverſus Robertum Cujacius oſtendit XIII. *cap. libri* I. *ſub nomine Mercatoris*. Crucis vocabulum in *d. l.* VIII. expunxit Tribonianus, ſubſtituitque *furcæ*, Crucis pœna per Conſtantinum ſublata, ut monet S. Auguſtinus *in quæſtionibus novi*, *& veter. teſt.* Sozomenus *lib.* I. *Hiſt. Eccleſ. cap.* VIII. Niceph. *Hiſt. Eccleſ. lib.* VII. *cap.* XLVI.

Atque hic inſignis Merillii error detegitur, in notis ad Joannis *cap.* X., ubi Pilatum, Procuratorem tantum egiſſe probat in Judæa, cum certiſſimum ſit, jus gladii nunquam fuiſſe penes ſimplicem Cæſaris Procuratorem *l.* III. *De officio Procuratoris Cæſaris*, *l. nec quidquam. De officio Proconſulis*, ſed penes eum Procuratorem, qui *vice-Præſidis*, vel *partibus Præſidis* Provinciam regebat *l.* II. *Cod. De juriſdictione l.* IV. *Cod. Ad legem Fabiam De plagiariis l.* II. *Cod. De pœnis*, cujus verba digna ſunt, quæ referantur: *Procurator meus*, *qui vice-Præſidis non fungebatur*, *exilii tibi pœnam non potuit irrogare*, *ac propterea fruſtra vereris ſententiam*, *quæ nulla juris ratione ſubnixa eſt*. Papinianus *l.* XXIII. §. *cum procurator. De appellationibus*: *Cum Procurator Cæſaris*, *qui partibus Præſidis non fungebatur*, *&c. l.* VIII. *Cod. de ſententiam paſſis. l. defuncto. De publi-*

Source : BIU Cujas

cis judiciis, *l.* I. II. & III. *Cod. ubi cauſæ fiſcales*, &c. Theodorus in titulo De pœnis, Ὁ προκαθήμενος τῷ βασιλέως οὐ δύναται ἐξορίζειν τίνα, εἰ μὴ ἄρα ἀρχεῖ. videtur reſpexiſſe ad *d. l.* II. *Cod. de pœnis*, cujus eadem verba ſunt; alibi procurator *vice-præſidis* eſt, qui habet ἐξουσίαν τοῦ ἄρχοντος, in *Baſilicis ad hunc titulum*. Hæc ut eluderet Merillius finxit, Pilatum fuiſſe tantum Procuratorem Cæſaris, ſed ei merum imperium a Tiberio conceſſum: *Sic igitur Pilato, licet tantum Procuratorem in Judæa ageret, imperium merum, ſeu poteſtatem animadvertendi, cum exercitu, & copiis militaribus a Tiberio Cæſare datam exiſtimo*, &c. Sed majore lapſu præceps fertur; ſi enim habuit imperium merum, ergo non fuit tantum Procurator. Sunt hæc ἀντικείμενα, de quibus Proculus in *l. hæc verba* CXXIV. *De V. S.*, & Simplicius ad illa Epicteti τὸ ἡμέρα ἐστὶ, & cæt. & poſito altero, tollitur alterum, ut exemplo Proculi palam oſtenditur, ſi dies eſt, nox non eſt, atqui dies eſt, ergo nox non eſt. Si itaque Pilatus fuit tantum Procurator, imperium merum non habuit, atqui habuit imperium merum, ergo non fuit tantum Procurator. Vel ita, aut Pilatus habuit imperium merum, aut fuit tantum Procurator, ſimul enim conjungi non poſſunt, ut clariſſime demonſtratum eſt; atqui habuit imperium merum, ut vult Merillius, quamvis nullo authore id comprobet, ergo non fuit tantum Procurator.

MERILLIUS. *Nec minus abſurdum eſſet, ut ei, cui gladio vitam adimere licuiſſet, non liceret id, quod minus eſt, puta deportare, confiſcare; ſiquidem non debet, cui plus licet, quod minus eſt non licere l. non debet* XXI. *De reg. jur.*

GENTILIS. Nimirum ita ſe res habet, ut in cauſis meri imperii nullum argumentum duci poſſit a majore ad minus, aut e diverſo. Ecce Conſul habet jus Gladii, at non habet jus relegandi *l.* XIV. *De interdictis, & relegatis*, &c. Sed ipſum Cujacium audiamus *in quæſt. Papiniani in dicta l. De officio ejus*; *Nec in cauſis hujus imperii licet argumentari a minore ad majus, quia partes imperii nemo adſumit omnes, & qui majorem partem accepit, non propterea poteſt ſibi adſumere minorem, nec ſi minorem acceperit, ideo etiam recte acceperit majorem*. Et paulo poſt: *non licere cuiquam ultra, aut contra, quam ei ſit præſcriptum*. Et non eſſe aliam hujus rei quærendam rationem, docet in *l.* I. *De juriſdictione* in prima expoſitione: *ſæpe cui datur jus gladii, non datur jus confiſcandi, atque ita ille minore carebit poteſtate, cum non careat majore, & inde nullum argumentum ſumendum eſt, quia hoc totum facit lex*; ita etiam in *dicta l.* VI. §. *ejus, De injuſto teſtamento*, & omnibus locis, quos ſupra adduximus, & ſequuntur Petrus Faber in *d. l.* XXI. *De reg. jur.* Scipio Gentilis III. *De juriſdictione* XX. Anton. Faber, Bocerus, & cæt. qui omnes id genus argumenti, quo utitur Merillius in cauſis imperii, nihil ponderis habere tuentur. Et nulla ratio idonea adfertur, vel ab iis, qui Præſidi deportationem adimunt, quod graviſſima pœna ſit civitatem auferens; quaſi Præſes exilio coercens civitatem non auferat *d. l.* VI. §. *ult.*, aut deportatione mors gravior non ſit. *l. capitalium. De pœnis*, ubi ait J. C. deportatum ultimo ſupplicio afficiendum, ſi fines inſulæ excedat; vel ab iis, qui Præſidi negant jus deportandi, quod nullas inſulas habuerint, in quas ablegarent reos, quæ Dini primum, deinde Hotomani ſententia fuit III. *Obſerv.* XIII. Miror, virum rei Romanæ oppido peritiſſimum, tam leviter allucinatum! Nullæ ne in Provinciis Præſidum inſulæ? ideſt in toto pene Orbe Romano, nam exceptis Provinciis, & iis quidem paucis, quæ per Proconſules, prætoriis Provinciis paulatim ſublatis, cæteræ per Præſides gubernabantur, ut Dio ſcribit *d. lib.* LIII., ſaltem ergo ii Præſides, qui Provincias ſubjectas habebant deportare poterant; at Ulpianus *d. l. inter*, Præſidibus indiſtincte *jus deportandi* aufert; ſed ut hoc illis concedamus, quid faciemus eidem J. C. in *d. l. aut damnum* §. IV. *De pœnis*, ubi ait, Præſides, ſi quos damnent in metallum, vel in opus metalli, & Provincia, cui præſunt, metalla non habeat, mittere in eas Provincias, quæ metalla habent, cur non ita in deportatione? qua denegata Præſidibus, hoc tantum eis permittitur, ut Principi ſcribant, *plena opinione*, ut Florentiæ ſcriptum eſt, in *l. inter* VI. §. I. *De interdictis*, & *releg.* jus civitatis retinente, quem deportandum cenſuerunt. Βασιλικῶν, *tit. De pœnis*: οἱ μὲν περιοριζόμενοι παρὰ ἀρχόντων, ἔκ ἐκπίπτωσι τῆς πολιτείας.

MERILLIUS. *Iſta conceſſio imperii meri ſpeciales partes continebat ut generalis hypotheca continet ſpecialem. l.* II. *Qui potiores in pignore habeantur.*

GENTILIS. Duplici errore labitur, I. cum cauſas meri imperii ſimiles facit hypothecæ expreſſæ, de qua agit Papinian. in *d. l.* II. cum hypotheca expreſſa placito, & conventione proficiſcantur, at imperium merum ſola mandantis conceſſione defertur; II. quod, conceſſo jure gladii, ſcribat, *generaliter* imperium eſſe conceſſum. Supra autem demonſtratum eſt, jus gladii partem dici imperii meri, ab eoque ſecerni, tamquam a toto. Sed miſſa hæc faciamus, uti & reliqua, quæ *hoc capite* adferuntur; leviora enim ſunt, quam ut in eis immorari amplius oporteat.

Nunc, quam ſcite Cujacius in *l.* II. *De orig. jur.* & in *l. aliud fraus. De V. S.* docuerit, nullum eſſe hodie imperium merum, liquido adparet; quod enim olim fuit merum, hodie eſt mixtum, præſertim in ſummis magiſtratibus, nam non ſpeciali lege tribuitur, ſed ſtatim ineſt jure magiſtratus. Accedit, quod hodie pœnæ ſunt arbitrariæ, & de iis provocatio eſt, *l. hodie. De pœnis*, ergo inſunt juriſdictioni, & propterea earum irrogatio, mixtum eſt imperium, non merum. Quibus duobus argumentis, quam infeliciter reſpondeat Scipio Gentilis, videſis *caput* XXVI. *libri* III. *De juriſdictione*, quo inurbane ſatis in virum incomparabilem invehitur. Quid illud? recepta opinione Cujacii, fore, ut imperium merum inſit imperio mixto; itane profecto? Nec videt, vir alioqui ſolers, ea ſententia admiſſa, nullum fore imperium merum, quod cum jure magiſtratus competeret, ſtatim eſſet mixtum, eum in modum, quo dicimus juriſdictioni Proconſulis, Prætoris, & cæt. cohærere imperium, quod ex ea junctura mixtum appellamus,

Source : BIU Cujas

lamus, *d. l.* 1. *De officio ejus*, cui ſi addas imperium Lege delatum, erit e veſtigio merum; unde fit, ut ſi imperium, quod nuncupatur merum, ſtatim inſit vi, & cenſura magiſtratus, nec nominatim, expreſſim tribuatur, mixtum ſit ſine præſcriptione dicendum. Res eſt manifeſta nimis, eamque dubio carere ajunt Treutlerus in *diſputat. De juriſd.* Bocerus, & ipſe *in hoc tractatu cap.* VI. Diſcrimen deinde, quod comminiſcitur Gentilis *inter pœnam, & jus pœnæ*, quis illi credulus admittet? *Pœnæ*, inquit, *ſunt arbitrariæ, at jus pœnæ merum imperium eſt, quod lege datur*, revolvitur eodem; ſiquidem jus pœnæ irrogandæ fuit olim imperium merum, cum Lege, vel SCtis, vel Conſtitutionibus tribueretur expreſſim. Cæterum hodie, cum cohæreat juriſdictioni, nec nominatim detur lege aliqua, ſed creato Magiſtratu, confeſtim competat, mixtum rectiſſime appellatur, ut initio Urbis, cum Regiis legibus Magiſtratus crearentur, *l.* 11. §. *deinde. De orig. juris.*

An omnis juriſdictio ſit cum imperio, an quædam ſit juriſdictio ſimplex, & ſine imperio.

CAPUT III.

ULPIANUS lib. 11. *de officio Quæſtoris. In L.* 111. *D. de Juriſd.*

IMperium aut merum eſt, aut mixtum eſt. Merum eſt imperium, habere gladii poteſtatem ad animadvertendum facinoroſos homines: quod etiam poteſtas appellatur. Mixtum eſt imperium, cui etiam juriſdictio ineſt, quod in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit. Juriſdictio eſt etiam judicis dandi licentia.

CUJACIUS *lib.* XXI. *obſervationum, cap.* XXX. *Duo in ea lege proponuntur imperii genera; duo ſunt in ea termini tantum, merum imperium, & mixtum imperium; non tres, ut plerique opinantur; merum, & mixtum imperium, & juriſdictio ſimplex; quia* nulla eſt juriſdictio ſimplex, *vel nuda; nulla ſine imperio, cujus vi ad effectum perducatur: quod ex hac etiam ſocietate, atque junctura, qua juriſdictioni connexum eſt, mixtum appellatur.*

Idem CUJACIUS aliter in prima expoſitione *Tit. D. de juriſdict. ad L. primam.*

Hæc ſunt majoris cujuſdam poteſtatis, quam ſit juriſdictio ſimplex, qualem habet Magiſtratus municipalis: nam ſimplicem tantum juriſdictionem habet; *& ita recte Græci*, ad d. L. ea quæ, *ajunt, Magiſtratus municipales non habere ea, quæ ſunt majoris poteſtatis, juriſdictionem ſimplicem habere.*

Idem CUJACIUS ad *L. Duumvirum* LIII. *C. de Decurionibus*; Duumviri imperium non habent, *juriſdictionem habent.*

MERILLIUS. *Cum Ulpianus in hac L.* III. *mixto imperio ineſſe juriſdictionem dixerit; hæc verba variam interpretationem patiuntur. Quidam ex Latinis Interpretibus, & primis juris civilis Gloſſographis, exiſtimarunt, juriſdictionem ita ineſſe imperio, ut juriſdictio ab imperio nullo modo ſeparari poſſit; quia & juriſdictio inſit imperio, & imperium juriſdictioni cohæreat. L.* 1. *in fine, D. de offic. ejus, cui mandat. eſt juriſdict. Hanc ſententiam probavit* Cujacius *lib.* XXI. *obſerv. cap.* XXX. *& iis rationibus firmari poteſt: quod mandata juriſdictione imperium quoque tranſeat: quod modica coercitio ſit imperii mixti; & juriſdictio nulla ſit abſque modica coercitione, L. ult. D. de offic. ejus, cui mandat. eſt juriſdict. Præterea, ſi ulla eſſet juriſdictio abſque imperio, maxime Magiſtratuum municipalium, qui ſunt minores Magiſtratus: At Magiſtratus municipales ea facere poſſunt, quæ ſunt imperii mixti; nam pignus capere poſſunt, L. quemadmodum* XXIX. §. *Magiſtratus, D. ad legem Aquil. & pignoris capio eſt imperii. L. ſacrilegi* IX. §. *cum eo. D. ad L. Juliam peculat. Habent multæ dictionem, L. aliud eſt* CXXXI. *D. de verb. ſign. & multæ dictio eſt imperii, d. L.* IX. *D. ad L. Jul. peculatus. Magiſtratus municipales habent coercitionem cum juriſdictione, ut eſt apud Hygenum in libro de limitibus conſtituendis: & coercitio vel modica, eſt imperii, d. L. ult. D. de officio ejus, cui mandat. eſt juriſdict. Magiſtratus municipales poſſunt mittere in poſſeſſionem, damni infecti nomine. L.* IV. §. *duas, D. de damno infect. & miſſio in poſſeſſionem eſt imperii. L.* IV. *inf. hoc tit. de juriſdict. Denique ſi Magiſtratus municipales non habent ea, quæ ſunt magis imperii, ſaltem ea facere poſſunt, quæ ſunt magis juriſdictionis, ſed tamen imperii: & ita cum juriſdictione Magiſtratuum municipalium, licet ſint minores Magiſtratus, cohæret ſemper imperium. Græci vero Interpretes, & quidam ex Latinis, aliter ſentiunt, Juriſdictionem poſſe ſeparari ab imperio, & quandam eſſe ſimplicem juriſdictionem abſque imperio. Et hanc Græcorum ſententiam probavit* Cujacius *in prima expoſitione Tituli de juriſdict. ad legem primam. Ita igitur variat Latinorum, & Græcorum interpretatio; an quædam ſit juriſdictio ſimplex, vel mera, aut potius omnis juriſdictio mixta ſit cum imperio.*

GENTILIS. Hoc caput egregiam Merillii diligentiam oſtendit, egregiam ſane! qui cum Cujacium, quem non probe percepit, variaſſe ſcribit, eas opiniones Græcis, & Latinis Interpretibus affingit, quæ neque illis excogitatæ unquam, & palam improbatæ. Viri docti jure ſuo pronuntient. Nos interea rem ipſam damus.

Putat Merillius, in quæſtione de juriſdictione *ſimplici* Cujacium variaſſe, ut qui ſcripſerit XXI. *obſerv.* XXX. (ex qua etiam obſervatione ſuperiorem variationem mire concinnavit) nullam eſſe juriſdictionem *ſimplicem*, vel *nudam*, cum in *l.* 1. *De juriſdictione* in ſecunda expoſitione, & in *l. Duumvirum Cod. de Decurionibus*, *ſimplicem* juriſdictionem admiſerit, ex Græcorum ſententia in *l. ea quæ* XXVI. *Ad Municipalem*. Mox variationis thema exponens Græcos, Latinoſque Interpretes, utcumque repugnantes, in ſuam ſententiam trahere conatur, ſuſque, deque inverſis, confuſiſque omnibus, quæ ſimul extricata, & Cujacium non variaſſe probabunt, & Merillium leviter hanc juris partem attigiſſe.

Lex eſt tertia *De juriſdictione* ex libris ſumta Ulpiani

Source : BIU Cujas

Ulpiani *De officio Quæſtoris*, quæ de imperio agit mero, & mixto, ſive de imperio, quod inhæret, miſceturque juriſdictioni. Quæſitum eſt, an in ea lege agatur de juriſdictione, uti vocant, *ſimplici*. Simplex juriſdictio duplicem acceptionem habet, deſignat enim vel nudam tantum cognitionem, abſque omni imperio, qualis in Judicibus pedaneis deprehenditur, vel minorem quamdam juriſdictionem, ut ita dixerim, quæ minoribus Magiſtratibus competit, qualis in Duumviris apparet, non tamen ſine imperio, quod quamvis exile, ineſt illis tamen. *Simplicem* juriſdictionem, ideſt *nudam*, rejiciunt omnes fere *DD.* tam *Græci*, quam *Latini*, nec Accurſius, nec Faber, qui in contrarium male adducuntur, pro ea contendunt, ille in *l.* I. & III. *De juriſdictione*, hic IV. *conject.* IV. ut intuenti palam erit. De *Græcis* res dubia videri poteſt, nam locus a Cujacio conſignatus, niſi fugit diligentiam meam, in qua me totum exerui, nullus in Baſilicis extat, ſaltem his, quæ Fabrotus edidit; nec tamen fides Cujacio deroganda, qui eam e Græcis opinionem refert, ſiquidem ex pleriſque titulis, qui adhuc in Baſilicis deſiderantur, quoſque Cujacius promiſerat, duos tantum Labhæus formis literariis excudendos curavit, denato jam Cujacio, reliqui publici juris numquam facti, in Petrum Fabrum, ejuſque hæredes devenerunt, ut Brœus in *Chronologia juris* teſtatur. Sed & corpus integrum Βασιλικῶν cum ſcholiis nactum etiam fuiſſe, Giphanius monet, idque ſe conſtanti fama accepiſſe, quod verum puto, nam in præfatione ad *titulum De excuſationibus*, Jacobo Cambrayo in grati animi obſequium, hæc inter alia ſcribit, *verum etiam collatis etiam poſtea nobis ex tua liberalitate* Βασιλικῶν *libris*, &c. quin ἐκλογὴ Βασιλικῶν a Leunclavio edita *tom.* II. *juris Græco-Romani* ex membranis Sambuci, XXVIII. titulos habet, quibus leges aliquot ſubjiciuntur, deinde recenſentur alii tituli inter quos, *de Magiſtratibus*, nullis ſubjectis legibus, & tamen hanc Synopſim integram Cujacium habuiſſe patet ex *cap.* XXXVII. *obſerv. lib.* XVIII. ubi & laudat incerti Authoris μικρὸν κατὰ στοιχεῖον, quod opus uti & alia, quæ citat in dicta præfatione *ad tit. De excuſationibus*, vidimus nuſquam. Utcumque ſe *res* habeat, ita Cujacius in dicta prima expoſitione eam e Græcis opinionem refert, *ut ſimplicem* juriſdictionem, *nudam* ab omni coercitione, quin improbarint, dubitandum non ſit, cum ab juriſdictione *ſimplici* ea auferant, quæ majoris ſunt poteſtatis, conceſſis iis, quæ minoris cujuſdam poteſtatis eſſe videntur, ut mox dicetur. Et de hac juriſdictione nuda, & inâni non agi in *d. l.* III. conſtans omnium opinio eſt; quippe notio potius, quam juriſdictio appellanda eſt. *Simplicem* juriſdictionem tenui imperio, & levi coercitione nixam, qualis in Magiſtratibus municipalibus, admittunt pene omnes veteres Itali, cultique juris Interpretes, quam juriſdictionem *in ſpecie* appellant. Gentilis in *hoc tractatu* ſtatim initio. Duarenus ad *tit. de juriſdictione cap.* II. Eguinarius Baro, Coraſius, &c. Simplex dicta eſt, quia vix aliquid imperii habet, niſi tantum, ut ad exitum perducatur. Treutlerus *De juriſd. theſi* II. *& hæc eſt juriſdictio, quam DD. ſimplicem appellant*, competit tamen jure Magiſtratus, quique eam habet, Magiſtratus, quamvis minor; in libris juris nuncupatur, ut Magiſtratus municipales, in quibus præcipue diſputatum eſt. Et de hac juriſdictione agi in *d. l.* III. pleriſque perſuaſum eſt, qui tres terminos in illa agnoſcunt, merum, mixtum imperium, & juriſdictionem ſimplicem, quod & tuetur Bachovius ad *Treutlerum*, poſt veteres in ea *theſi*.

Diſſentit ab his Cujacius, & in *d. l.* III. ſolum agi exiſtimat de imperio mero, & mixto, non de imperio mero, & mixto, & juriſdictione *ſimplici*, *vel nuda*; quippe *ſimplex*, *vel nuda* ab omni imperio juriſdictio nulla eſt, prorſuſque incognita JCtis. Duos itaque in ea lege terminos proponi, non tres, hac potiſſimum ratione, qua frequens utitur, & cujus ignoratio Merillium in has ἀλογίας deduxit, quod juriſdictio ſimplex, ſive in ſpecie, ſive proprie accepta, coercitionem habeat, partemque imperii mixtam, unde ſatis comprehenſa videtur ſub imperio mixto, de quo Ulpian. in *d. l.* III. & ea propter, ſi tres termini in ea lege proponerentur, merum imperium, mixtum, & juriſdictio *ſimplex*; eveniret, ut hæc juriſdictio ſimplex eſſet nuda, & expers imperii: nuda autem juriſdictio, & expers imperii nulla eſt, ſiquidem omnis juriſdictio, partem imperii mixtam habeat neceſſe eſt, ergo in ea *l.* III. duo tantum ſunt termini, imperium merum, & mixtum, quod poſtremum cum juriſdictioni inſit, mixtum ideo appellatur, ſi addas juriſdictionem *ſimplicem*, & eam ſepares ab imperio mixto, erit juriſdictio nuda, & inanis, quæ nulla omnino eſt.

Hanc eſſe Cujacii ſententiam, ex eo *cap.* XXX. deprehendes facile; ubi non quærit, an detur juriſdictio ſimplex, ut Merillius perperam ſcribit, ſed docet in *d. l.* III. duos tantum terminos proponi, non tres; *Duo*, inquit, *in ea l. proponuntur imperii genera, duo ſunt in ea termini tantum, merum imperium, & mixtum imperium, non tres, ut plerique opinantur, merum, & mixtum imperium, & juriſdictio ſimplex.* Rationem addit, *quia nulla eſt juriſdictio* ſimplex, vel nuda, *nulla* ſine imperio, cujus *vi ad effectum perducatur, quod ex hac etiam ſocietate, atque junctura, qua juriſdictioni connexum eſt, mixtum appellatur.* Et ut oſtendat juriſdictionem ſine imperio admitti non poſſe, mixtum imperium, & juriſdictionem rem unam, eandemque facit, *quamobrem*, pergit, *mixtum imperium, & juriſdictio res una, & eadem eſt.*

Iiſdem fere verbis utitur in *l.* III. *De juriſdictione* in ſecunda expoſitione. *Duo*, *inquam*, *in hac l.* III. *proponuntur genera imperii, mixtum, & merum, non tres, ut vulgo opinantur, merum imperium, mixtum & juriſdictio* ſimplex, *nam mixtum imperium, & juriſdictio unum, idemque eſt.* Eadem leges in prima expoſitione ad eundem tit. De juriſdictione. *Nego*, inquit, *in illa lege* III., *ullo genere definiendi* ſimplicem *juriſdictionem definiri. Lex proponit hoc tantum initio, duplex eſſe imperium, merum, & mixtum, de juriſdictione nihil proponit*, nempe quia ſine imperio eſſe non poteſt. Eadem in ſecunda expoſitione in *d. l.* III. *Ex his quidem liquido apparet, non definiri hoc loco juriſdictionem* nudam, vel ſimplicem, *ut comminiſcuntur, ſed imperii tantum duo genera conſtitui, atque præſcribi; nihil eſt evidentius.* Mallem vel hunc

ſolum

Source : BIU Cujas

ſolum locum Merillio animadverſum. Et quidem his locis *ſimplicem* juriſdictionem confeſtim *nudam* appellat: quam apte, & ſignificanter! ne ſcilicet imperitus aliquis verbi ambiguitate deceptus, ſimplicem juriſdictionem exploderet, cui modica coercitio ineſt, qua explicatur, & ad exitum perducitur. *d. l.* I. *De officio ejus.*

Hæc ipſa in *d. l.* I. *in quæſtionibus Papin.* illuſtrat clarius. *Mixtum imperium*, ait, *eſt poteſtas, quæ jure Magiſtratus competit, ſeu quæ juriſdictioni immixta, & implicata eſt.* Et aliquot interjectis, recta infert, *nulla eſt juriſdictio* ſimplex, *nulla* nuda *ab imperio, & ſive meam juriſdictionem exerceo, eam exerceo pro meo imperio, ſive alienam, eam exerceo pro imperio alieno, ut eſt in l.* III. *hoc tit. Eam ob rem*, pergit deinde, *illud imperium, quod cohæret juriſdictioni, dicitur mixtum imperium, quia ſcilicet juriſdictioni immixtum, & implicitum eſt.* Et idipſum probans utitur teſtimonio legis ſecundæ De officio Proconſulis, & legis ultimæ De officio ejus, *& hoc eſt*, ſcribit, *quod ait lex ſecunda De offic. Proconſ. cui data eſt juriſdictio, ei videri & ea data, ſine quibus ea explicari non poteſt, ideſt mixtum imperium, hoc eſt, quod ait lex ult. hoc tit. quia juriſdictio ſine modica coercitione nulla eſt.*

Hæc de juriſdictione *ſimplici, vel nuda*, ut appellat Cujacius locis relatis, & dicto *cap.* xxx. *obſerv.* ex quo Merillius hoc caput intexuit, de ea nimirum tradens, non poſſe agi in *l.* III. *De juriſdictione*, cum nulla ſit ſine imperio, cujus ope exitu potiatur: nulla ſane, & ab juris aliena principiis, quæ juriſdictioni ea conferunt, ſine quibus explicari non poteſt, *d. l.* I. *d. l. ult. d. l.* II. Quæ cum ita ſint, quid commune habent cum juriſdictione Magiſtratuum municipalium? quibus juriſdictionem attribuunt omnes Græci, & Latini, ſive illam appellent in ſpecie, ſive proprie, ſive ſimplicem, ſive eos ſimpliciter Magiſtratus nuncupent? tot enim modis locutos memini; aut quid commune habet quæſtio a Cujacio propoſita *d. cap.* xxx., an in *l.* III. *De juriſdictione* ſint tres, an duo termini, cum illa, an detur juriſdictio ſimplex? Si quidem in prima expoſitione ad *tit. De juriſdictione* loco, quem adducit Merillius, hoc ſolum docet, exempla quædam imperii mixti, in quibus vis major elucet imperii, quam juriſdictionis, divelli ab juriſdictione Magiſtratuum municipalium, qui juriſdictionem, *ſimplicem* habent, ſive proprie ſumptam, unde non totum imperium mixtum, ſed partem aliquam exercent; quam ſententiam & alibi proponit, ut oſtendemus. Hæc plane, quo modo degenerent in quæſtionem, an detur juriſdictio *ſimplex*, & ſine imperio, veluti in Duumviris, non video; cum nuſquam apud Cujacium dubitatio hujuſmodi moveatur, qui Magiſtratibus municipalibus veram, & propriam juriſdictionem aſſignat, cum Græcis, & Latinis, dumtaxat ab iis diſſentit, qui de juriſdictione ſimplici agi putant in *d. l.* III. ea prefecto ratione, quod cum imperium mixtum ex parte habeat, & de imperio mixto loquatur Ulpian. in *d. l.* III. neceſſe eſt, ut ſub illo contineatur; alioquin, ſi ſejungas ab imperio mixto, & velis agi in ea lege de imperio mero, & mixto, & juriſdictione ſimplici; erit hæc ſine imperio, & nuda, & vacua; quod recipi non poſſe juris regulæ perſuadent.

Verum age addamus loca, quibus juriſdictionem *ſimplicem* agnoſcit, additis ſemper quibuſdam coercitionibus, parteque aliqua imperii mixti. Ergo in ea expoſitione prima, quam refert Merillius, eodemque prorſus loco, *Hæc ſunt majoris cujuſdam poteſtatis, &c.* ex legibus de limitibus agrorum, juriſdictionem ſimplicem ſeparat a judicis datione. *De eadem re juriſdictio, Judiciſque datio, & addictio eſto.* Et inde paululum digreſſus: *Sic igitur*, inquit, *juriſdictio ſimplex a judicis datione ſeparatur, hæc eſt magis imperii, quam juriſdictionis.* Pariter in *d. l.* I. *De officio ejus, in quæſt. Papin.* poſtquam Magiſtratibus municipalibus juriſdictionem conceſſit, quam ſimplicem cum Græcis appellat, genera ei quædam coercitionis attribuit, quibus traditis, *ergo*, concludit, *juriſdictio municipalis non vacat imperio.* Et in eamdem ſententiam in dicta expoſitione prima, ad eumdem tit. *De juriſdictione. Sunt Magiſtratus, qui imperium mixtum habent, ſunt qui tantum ſimplicem juriſdictionem habent, veluti Duumviri, & Ædiles Urbani*, quibus ſtatim aſſignat pignoris capionem, corporis retentionem, & multæ dictionem, *alioquin*, inquit, *eſſet ludibrio ea juriſdictio, veluti ſine modica coercitione*, & pollicetur, ſe hanc ſimplicem juriſdictionem definiturum. *Et hanc ſimplicem*, addit, *juriſdictionem definiemus infra*, & definiti, ni fallor, cum juriſdictionem *in ſpecie* definiit, *notionem, ſeu poteſtatem, ſtauendi, & pronuntiandi, quæ jure Magiſtratus competit. in ſecunda expoſ. ad l.* I. & prius in paratitl. π. *De juriſdictione*, & in parat. Cod. *eodem*, quibus duobus locis, propriam, & ordinariam juriſdictionem illam appellat, & in *l. notionem de V. S. & in cap. cum contingat. De foro compet.*

Ita enim ad extremum primæ expoſitionis in *d. l.* I. II. III. locutus prius de iis, quæ majoris cujuſdam poteſtatis eſſe videntur, ut dare bonorum poſſeſſionem, jubere poſſidere, &c. in hæc verba concludit, *hoc plus eſt, quam cognoſcere, & ideo hæc non omnes Magiſtratus habent, at juriſdictionem ſimplicem omnes Magiſtratus, vel poteſtates habent, & hoc amplius ea etiam, ſine quibus illa juriſdictio*, ſimplex nimirum, *explicari, expediri, & exequi non poteſt.* Et ita, ne ſim longior, ad libros Pauli ad Edictum, in *l.* XXVI. *ad Municipalem*, & ſparſim in utraque expoſitione ad *eundem tit.* & in Parat. Cod. *De Magiſtratibus municipalibus*, & in *l.* II. in ſecunda expoſitione *De juriſdictione*, & in Paratit. Pand. & Cod. *De juriſdictione, & in l. notionem De V. S.* & iterum ad libros Pauli ad Edictum in *l. ult. De juriſdict.* & in *l.* XII. in ſecunda expoſit. & in utraque recitatione ad titulum *Quod quiſque juris in alterum*, & in prima, & ſecunda prælectione ad tit. *Si quis jus dicenti non obtemperaverit, & in* IV. *Sentent. Pauli* V. *& d. l.* LIII. *Cod. De Decurionibus*, nec ullus locus eſt, in quo magis Cujacius noſter luxurietur, quam hic, prorſus, ut in contrarium niti, non niſi dementis eſſe videatur.

Quid nunc faciemus Merillio? qui primo, ex adverſo Cujacium citat in *d. l.* LIII. ut probet eſſe ſimplicem juriſdictionem, abſque imperio, ſaltem in Duumviris, cum e diverſo Cujacius ibi Duumviris

Source : BIU Cujas

viris aſſignet pignoris capionem, multæ dictionem, legis actionem, & modicam caſtigationem, & quidem per ſummam injuriam verba illa detruncata refert, *Duumviri imperium non habent, juriſdictionem habent* (oblitus Celſi JCti in *l. incivile De legibus*) nempe Duumviri imperium merum non habent, at mixtum habent pro tuitione ſuæ juriſdictionis, ut eo loco probatur ſatis. II. cum opinionem de juriſdictione nuda, & feriata ab omni imperio quibuſdam Latinis adſcribit; *Quidam*, inquit, *ex Latinis aliter ſentiunt, juriſdictionem poſſe ſeparari ab imperio, & quamdam eſſe ſimplicem juriſdictionem abſque imperio*, cum nullus, aut fere nullus Latinorum ita ſit locutus. Sed juriſdictioni cuilibet, etiam Magiſtratuum municipalium, coercitionem adſcribunt, & ea, ſine quibus expediri non poteſt, quorum meminit Accurſ. in *d. l.* I. & III. & ipſe quoque Merillius id fatetur ingenue *obſ.* xv. *lib.* II. *vulgo*, inquit, *omnibus fere perſuaſum*, &c. III. Cum Latinorum, & Græcorum interpretationem variare dicit in hac quæſtione, & non variat tamen, niſi in modo, & ratione explicandæ coercitionis, quæ juxta utroſque Magiſtratui ſimplici competit. IV. Cum Græcos trahit in eam ſententiam, quando iſti juriſdictioni ſimplici majora quædam denegant, cætera concedunt, quod quamvis dubium, ut dixi, videri poteſt, cum non extet locus a Cujacio relatus, latius tamen ex ſequentibus Græcorum locis demonſtratur.

Primo, quod Magiſtratus municipalis in Baſilicis vere proprieque Magiſtratus dicitur, ut Cyrillius, niſi fallor, probat in Scholiis ad *tit.* xxi. *Baſil. lib.* Lx. Quilibet autem Magiſtratus, & habet juriſdictionem, & alia ſine quibus juriſdictio procedere non poteſt *Baſil.* III. *tit.* III. ὁ ἔχων δικαιοδοσίαν καὶ τὰ ἄλλα πράττει, ὧν ἄνευ οὐ δύναται προβαίνειν ἡ δικαιοδοσία. II. Quod Magiſtratibus municipalibus modicam caſtigationem permittunt, ut eodem tit. μετρίως σωφρονίζειν. III. Quod ſententias Magiſtratuum municipalium impune contemni docent, extra locum Præfecturæ ſuæ, ergo impune non contemni in loco Præfecturæ *ibid. th.* xx. quod quid eſt aliud, niſi partes imperii in coercendo poſitas illis aſſignari? ἐξω τῆς ἐπαρχίας ἀζημίως τὶς ἀπειθεῖ τῷ ἄρχοντι, *extra Præfecturam*, ita malim, quam ut vulgo, *extra Provinciam*. Si quidem thema illud xx. deſumtum eſt ex *d. l. extra territorium De juriſd.* ut conſtat ex ſequentibus verbis καὶ τῷ δικαιοδοτοῦντι ὑπὲρ τῆς ἰδίας δικαιοδοσίας, prorſus ut integer *d. thematis* contextus Græce referat, quæ Latine Paulus in *d. l. extra territorium*, ubi de Magiſtratibus municipalibus agi cum vulgo, tum etiam Cujacius docet ibidem; *extra territorium*, inquit JCtus, *jus dicenti, impune non paretur; idem eſt & ſi ſuper juriſdictionem ſuam velit jus dicere*; Baſil. Ἐξω τῆς ἐπαρχίας ἀζημίως τὶς ἀπειθεῖ τῷ ἄρχοντι, καὶ τῷ δικαιοδοῦντι ὑπὲρ τῆς ἰδίας δικαιοδοσίας; Non eſt itaque cur ἐπαρχία vertatur Provincia, alioquin confunderentur Magiſtratus provinciales cum municipalibus; elegantius præfectura, ut ſæpe apud Ariſtidem, & præfecturam dicere apud Plautum *in Captivis*.

Nunc ibo, ut præfecturam, & jus dicam larido.

& præfectura Urbis apud Ulpianum in *l.* I. *ff. De officio Præfecti Urbi*.

A Nec movet, quod Græci municipales Magiſtratus appellent στρατηγὸς, non vero ἄρχοντας, neque enim eſt id temere concedendum Antonio Auguſtino ad *Modeſtinum*: ſæpe quidem, at non perpetuo. Ecce Theodorus in *themate* xxxii. *Baſil.* De injuriis, loquens de Magiſtratibus majoribus, quos ſine fraude in jus vocare non poſſumus *Strategos* appellat, καὶ οἱ λοιποὶ στρατηγοὶ, quos ſcilicet in jus vocare non poſſumus, ideſt majores οὓς οὐ δυνάμεθα καλεῖν, &c. ἄρχων vero pro quolibet Magiſtratu ſexcentis locis apud Græcos; ille inſignis in L. Δόλον *De reg. jur.* δόλον ποιεῖ ὁ τῷ ἄρχοντι μὴ πειθαρχῶν, &c. caute Modeſtinus in *l. Spadonem* §. *ſi civitatis De excuſation.* τῆς B πόλεως ἄρχων, Magiſtratus Civitatis. Videar longius hac in re immoratus, ſed non fortaſſis abs re, ut vel ex hoc quæ ſit Merillii diligentia poſſit intelligi, qui Græcis eam opinionem aſſignat, quam numquam, imo & ei contrariam docuerunt.

Reliquum eſt *modo*, ut quæ adfert hoc capite diluamus, quod facilius, puto, conſequemur, ſi prius, ſimplicem Magiſtratuum municipalium juriſdictionem imperio non deſtitui fuerit demonſtratum. Coercitio imperii eſt, cujus pars eminens gladius *l.* III. *De juriſd.* Juriſdictio ſine coercitione nulla eſt *l.* I. *De officio ejus*, *l. ult. D. eod.* nempe ut exitum haberet, neceſſe fuit quodammodo, ut pars quædam ab imperio divulſa, concederetur C juriſdictioni, atque ex ea junctura imperium mixtum diceretur, ſeu pars imperii mixta juriſdictioni, quod Paulus vocat cohærere juriſdictioni in *d. l. prima*; ita origine ſua juriſdictio ab imperio ſejungitur, unde alia juriſdictionis, alia imperii definitio in *d. l.* III. & Prætor cum jus dicit, juriſdictione utitur, cum exequitur, imperio *l. a Divo Pio De re judicata*, &c. Sed quoniam ut dixi, ſine aliqua imperii parte juriſdictio eſſet inermis, & eluſoria, effectum eſt, ut illam ſecum traheret admixtam, quæ mixtura non ita potuit eſſe exacta, ut interdum vis major non eluceat imperii, quam juriſdictionis, ut Ulp. in *l.* IV. *De juriſdictione*, ſcribit ad edictum, & Græci in *d. l.* xxvi. D Id unde profectum fuerit addendum eſt, nec longe abeſt. Etenim civilium cauſarum, quæ graviores eſſe viderentur, majorum Magiſtratuum fuerunt; Prætoris præcipue, cui multo plura concedenda erant, quam quæ aliis Magiſtratibus permitterentur, quantum Prætor, qui juris anguſtias dilatavit, ut eſt in *tit. De bonorum poſſeſſ.* cæteros prævertitur: minores e diverſo, tenuesque cauſæ minorum Magiſtratuum fuerunt, quales in municipiis Duumviri, minus itaque imperii eis conceſſum, unde ea, quæ ſunt majoris cujuſdam juriſdictionis, non exercent *d. l. ea quæ*, ita ſimplex eorum juriſdictio appellata, ut a majore illa ſecerneretur, vulgo, non habent totum imperium E mixtum, ſed partem; & hæc ita cum ſint, recte dicitur juriſdictionem, & imperium mixtum commeare ſimul, pro tuitione ſcilicet juriſdictionis, ideſt juriſdictio, & id imperium, quod ei admixtum eſt, ſimul incedunt, ſed obſervato Magiſtratuum diſcrimine; ita Præſes, majus habet imperium mixtum, quam Duumviri, majus Prætor, quam Præſes, &c. Et ſolertiſſime Ulpianus in *d. l.* III. *mixtum imperium*, inquit, *cui etiam juriſdictio ineſt*; ineſt enim mixto imperio juriſdictio, cum hæc in pronunciando, & ſtatuendo conſiſtat,

Source : BIU Cujas

ſiſtat, illud ſit amplius, & plenius, nam κατ' ἐξοχὴν ſumptum plurima comprehendit, quæ non ſunt cujuslibet juriſdictionis, ut Cujacius noſter docet in *l.* II. *De in jus vocando*, quod exemplo Prætoris ſatis intelligitur, qui ex mixto imperio habet, unde jus civile privatum inflectat, & moderetur, *l.* VIII. *De juſt. & jur.* edictis, interdictis, actionibus, ſtipulationibus, vetando, ſervando, reſcindendo, animadvertendo, ut ubique Pandectarum patet, & tamen non omnes Magiſtratus majores ea facere poſſunt, qui propterea & mixtum imperium recte habere dicuntur, ſed id imperii, quod ſingulorum juriſdictioni tuendæ, & explicandæ ſat eſt. Quod peritiſſime Paulus expreſſit in *d. l.* I. in notis ad Papinianum, & in *l. ult. De offic. ejus*, traditque, mandata juriſdictione tranſire imperium, quod *juriſdictioni cohæret*, non imperium cui juriſdictio ineſt, ideſt mandata juriſdictione non tranſeunt omnia, quæ ſunt imperii mixti, ſed id, quod mandatæ juriſdictioni explicandæ ſat poſſit videri; exemplo eſt *lex cognitio* IV. *init. & §.* I. *De offic. ejus*, ubi quædam mandari poſſunt nominatim a majore Magiſtratu, quæ tamen mandata juriſdictione, non tranſeunt, licet tranſeant ea, ſine quibus eſſet exanguis; quod oſtendit notam Pauli ad Papinianum ſerio eſſe adpoſitam, non dicis cauſa, & perfunctorie, quamvis cauſam, unde profecta fuerit, nullus animadverterit. Et male Hotomanus in *d. l.* III. legit, *mixtum imperium eſt, quod etiam juriſdictioni ineſt*, quæ lectio ſi recipiatur, totus ordo hujus doctrinæ invertitur. Ex his conficitur, Magiſtratuum municipalium juriſdictionem, cum ſit minorum cauſarum, imperii partem exilem habere, quæ in quibuſdam coercitionibus collata eſt, quod his verbis Cujacius exponit in *l.* I. *De offic. ejus, in qq. Papin. pignoris habet capionem, & modicam coercitionem ex l.* III. *§.* I. *ff. de reb. eorum, qui ſub tutel. l. quemadmodum §. Magiſtratus ad l. Aquiliam, dicta lege* XII. *De juriſdictione l.* XVII. *§.* I. *Qui, & a quib. manumiſ. l.* XV. *§. adjicitur De injuriis*, quibus addi poteſt *d. lex ultima De juriſdictione*, quæ argumento a contrariis, quod Papin. *fortiſſimum* dicit in *l.* I. *De offic. ejus*, idipſum probat. Sic etiam multam dicit, ut ibidem Cujacius, & plenius in *l. aliud fraus de V. S.* eo nomine a Scipione Gentili reprehenſus I. *De juriſd.* VII. quo loci & ejus argumentis reſpondet; quam autem inepte, dicemus in *cap.* LXIV. ubi de multæ dictione agemus nominatim.

Atque hæc ita tradita oſtendunt, quam indiligenter hanc juris partem *DD.* tractarint, etiam ille, qui primas in hac diſquiſitione obtinuiſſe creditus eſt Goveanus, tam ſæpe Magiſtratuum, & imperii, & juriſdictionis nomine abutuntur. Nam quid illud Alciati in *Comment. ad eundem tit.* confundentis Duumviros ſub Regibus cum Magiſtratibus municipalibus? quantus anachroniſmus viri eruditiſſimi diligentia indignus! Quid illud Eguinarii Baronis in *l. unica, ff. ſi quis jus dicenti*, quod ſequitur Gentilis *loc. cit.* poſſe Magiſtratus municipales implorare auxilium ſuperioris Magiſtratus; ſed nonne ita iterum nuda conſtituitur juriſdictio? Quid illud Coraſii ad *eundem tit.* in *l.* III. diſtinguentis duplicem coercitionem, alteram, quæ ſit imperii mixti, ſed divulſa ab juriſdictione, alteram, quæ ſit pars juriſdictionis, hanc habere Magiſtratus municipales. Sed ubi eſt proditum dividi juriſdictionem in coercitionem, & juriſdictionem? cum utriuſque natura in diverſa collineet? hæc ſententiam profert, illa exequitur *l. Præſes D. cit. tit. l.* I. & ſparſim *C. de executione rei judicatæ*, & imperium diſerte dicitur Paulo in *d. l. ultima*. Quid tandem illud Duareni in *Comment. ad eundem tit.* ubi probans recte dici imperium admiſceri juriſdictioni, nec dari juriſdictionem ſine ulla imperii mixtura, objicit ſibi, quod quærimus, an in Magiſtratibus municipalibus ea vera ſint; & reſpondet ſe loqui de Magiſtratibus Populi Romani, non de municipalibus. Eluſoria ſane reſponſio. Quid enim? minime erunt fortaſſis appellandi Magiſtratus, qui tam ſæpe in libris noſtris dicuntur Magiſtratus municipales? an non erit juriſdictio eorumdem juriſdictio? ſententiæne ab his prolatæ carebunt exitu? *tot. tit. Cod. De Magiſtratibus municipalibus*; conjecere ſe in has tricas non probe perpenſis iis, quæ retulimus. Sed redeat ſermo, unde paulo ante digreſſus eſt, & quæ ſint Merillii argumenta videamus.

MERILLIUS. *Alii erant Magiſtratus majores Romæ; & illi cum imperio, ut Conſules, Prætores, Ædiles majores; alii erant minores Magiſtratus, ut Ædiles minores. Gellius lib.* XIII. *cap.* XIV. *& in Provinciis minores Magiſtratus erant Magiſtratus municipales, qui quidem juriſdictionem habebant l. unic. ff. ſi quis jus dicent. non obtemper. non imperium. Magiſtratus majores habebant imperium mixtum, ideſt imperium cum juriſdictione, minores habebant juriſdictionem*; ſed ſine imperio, *l. nec Magiſtratibus* XXXII. *De injuriis.*

GENTILIS. Ex falſa *d. l.* XXXII. interpretatione colligit dari juriſdictionem ſimplicem, & ſine imperio, quam non animadvertit ſtatim eſſe nudam, quæ pura puta notio eſt, & nuda appellantur, quæ nihil habent adjunctum, veluti nuda proprietas in *l.* VIII. *De uſu, & uſufr. leg.* nuda ratio *l.* XLIX. *De peculio*, nudum pactum *in l.* VII. *De pactis*, nuda pollicitatio in *l. nuda C. de contrab. ſtipul. &c.* hac juriſdictione Magiſtratibus municipalibus conceſſa, qui fiet, ut a pedaneis, datiſque Judicibus diſtinguantur? Sed explicanda eſt ſententia Ulp. in *d. l.* XXXII. quæ male expoſita tenebras Merillio offudit. Quærit JCtus, an Magiſtratus injuriarum poſſit conveniri? & poſſe reſpondit; an poſito Magiſtratu, an in ipſo Magiſtratu? & diſtinguit inter majores, minoreſque Magiſtratus, illi, ut poſito, iſti ut in ipſo Magiſtratu conveniantur. Minores dicit, qui ſine imperio, aut poteſtate ſunt. Eadem ſententia exprimitur ab eodem Ulp. in *l.* II. *ff. De in jus vocando*, inde Merillius docet juriſdictionem municipalium eſſe ſine imperio, cum tot locis expreſſum ſit, juriſdictionem imperii expertem eſſe non poſſe. *Videndum*, inquit Hotom. in *epiſt. ad d. tit. De juriſd. ut d. lex* XXXII. *conſiderate accipitur, neque enim inter privatum, & Magiſtratum, quicquam præter poteſtatem intereſt*; & pro majore vi, vel gladii, vel deportationis, vel carceris, imperium, & poteſtatem intelligit, inclinatque in eorum ſententiam, qui in *d. l.* II. de imperio mero agi putant. Certe Græci

Source : BIU Cujas

de imperio mero accipiunt, *lib.* LX. *Basil. tit.* XXI. Si vero, & minoribus non habentibus imperium merum, aut poteſtatem εἰ δὲ τῶν μικρῶν τῶν μὴ ἐχόντων τιμωρητικὴν ἀρχὴν, ἢ ἐξουσίαν. Sed placet Merillio Cujacii verbis, quem variaſſe ſcribit, reſpondere, ergo in *d. l.* II. *ff. De in jus vocando*, tradens *d. l.* XXXII. Sententiam, hæc habet, *majores Magiſtratus, qui majora auſpicia habent, qui imperium habent:* imperium mixtum ſcilicet ſummum, & plenum, &c. & paulo poſt, *minores Magiſtratus, qui minus imperium habent*, qui majus, & ſummum imperium *non habent, veluti Ædiles in Urbe, aut Duumviri in municipiis, &c. etiam in Magiſtratu ipſo ſine fraude in jus vocari poſſunt, d. l. nec Magiſtratibus.* Et deinde, *majores Magiſtratus imperium ſummum habent immixtum juriſdictioni ſuæ, juriſdictionem ſummam immixtam imperio.* Non itaque minores Magiſtratus intelligendi ſunt in *d. l.* XXXII., qui ſine imperio, & poteſtate omni ex parte ſunt, ſed qui majora auſpicia non habent, &c.

MERILLIUS. *In majoribus Magiſtratibus, qui habent mixtum imperium, ſemper juriſdictio ineſt imperio, & imperium ſemper cohæret juriſdictioni; at in juriſdictione minorum Magiſtratuum nihil eſt quidquam imperii, licet Magiſtratuus municipalis pignus capiat, multam dicat, coercitionem inferat, id non facit pro imperio ſui Magiſtratus, quod non habet, ſed quia a lege municipali conceſſum eſt, ut pignus capiat &c.*

GENTILIS. Ingenii ſui divitias referat, jam ſibi ipſi contrarius, Magiſtratus municipalis, *inquit*, quem ſine ullo imperio conſtituit, multam dicit, pignus capit, coercet, ſed non pro imperio, ſed ex conceſſione legis municipalis; ſi flagitas, cur illa conceſſerit lex municipalis, ad tuitionem dicet juriſdictionis, ergo hæc non erit exanguis, & inermis, ſed cum imperio a lege municipali conceſſo; rurſus *inquit*, municipalis Magiſtratus imperium non habet, cur igitur, ea quæ ſunt imperii exercet? eſt enim coercitio imperii *d. l. ult. De officio ejus, d. l.* II. *De juriſd. d. l.* I. *eod. tit. De offic. ejus.* At regerit, pignus capere, multam dicere, coercere non ſunt imperii; quid audio? erunt igitur juriſdictionis, & exanguis illius juriſdictionis, quam ab omni imperio ſejungit. Sic ſane conſequitur, & Authorem habet Coraſium in *d. l. Magiſtratibus cit. tit. & in l.* III. *ff. eod.* qui nullibi incertior quid ſtatuat, quam in hac quæſtione. Ea contingunt, reſpondet, *obſer.* XV. *lib.* II. quia coercitio non eſt mixti imperii, & dolet, ſe eo in errore fuiſſe verſatum, cum præproperus juvenilis ardor, quædam ad *l. imperium, ff. De juriſd.* effundebat, cur autem ſe retractarit, dignum quod ipſius verbis proponatur; *Habent igitur Magiſtratus municipales coercitionem, & tamen ſunt ſine imperio, utpote minores Magiſtratus l. nec Magiſtratibus De injuriis, nec quidquam facere poſſunt ex iis, quæ ſunt imperii l.* IV. *De juriſdictione, l. ea quæ, ad municipalem, ſiquidem Magiſtratus, qui habet imperium, ut Prætor, coercet, coercitio erit imperii. Si Magiſtratus ſit ſine imperio, ut Magiſtratus municipalis, coercitio non erit imperii.* Nobiliſſima ratio; eant nunc Dialectici, nec amplius inculcent, vitioſe ad probandum propoſitæ quæſtionis thema adduci. Quærimus, an Magiſtratus municipales habeant imperium, & an coercitio eorumdem ſit mixti imperii, Merillius reſpondet, Magiſtratus municipales eſſe ſine imperio, & eorumdem coercitionem non eſſe mixti imperii, quia (animum advortite) Magiſtratus municipales non habent imperium, & eorum coercitio non eſt mixti imperii, *teneam quo Protea nodo?*

Subtilius Coraſius id velle videtur, imperium eſſe ſolius Populi Romani, & coercitionem ex *lege municipii*, partem eſſe juriſdictionis, non imperii, *l. Magiſtratus. Ad municipalem, l.* I. *C. De emancipationibus liberorum*; poſtremum horum non conſentire cum juris noſtri poſitionibus, ſupra demonſtratum eſt, cum juriſdictio, & coercitio origine, & natura differant, primum illud aperte eſt falſum, imperium enim ſolius Populi Romani *l.* II. *De orig. jur.* ab hoc tranſiit in Principem *l.* I. *De conſtit. Principum*, a Principe ſubjectis gentibus, pars pro arbitratu conceſſa, vel relicta ex vetere, quod habebant. Ex innummeris ſit exemplum. In Synedrio Judæorum, cui pars imperii, & quidem meri relicta, ſaltem in cauſis adulterii, & religionis, ut ſacer Evangeliſtarum textus oſtendit abunde, ita Civitates, quæ ſub Orbe Romano erant, Magiſtratus ſibi creabant, jus intra territorium dicturos, iis conceſſum, ut de minoribus cauſis cognoſcerent, denegatum, ut ea quæ magis ſunt imperii, quam juriſdictionis, exequerentur *l. Duumviri C. de Decurionibus lib.* X. *d. l. ea quæ*, & ſtulte affirmatur habuiſſe jus gladii ex Apuleii IX. & X. qui vel ibi fabulatur, vel mendoſa ſunt loca.

MERILLIUS. *Non movet, quod juriſdictio nulla ſit ſine imperio, l. ult. De off. ejus; non enim eſt ea mens Pauli in d. l. ult. ut velit dicere, omnem juriſdictionem ſine imperio, ſed eam tantum juriſdictionem, quam Magiſtratus privato mandaret nullam eſſe, ideſt nullius momenti, ut probamus lib.* II. *obſerv. cap.* XVI. *&c.*

GENTILIS. Non movet, ait vir impenſe eruditus, quod juriſdictio nulla ſit ſine imperio, non enim ea eſt mens Pauli in *d. l. ult.* quod probare ſe ſcribit II. *obſ.* XV. videamus, ut probet, mens, *inquit*, Pauli eſt, ut nolit dicere omnem juriſdictionem eſſe cum imperio, ſed eam tantum, quæ privato mandatur, quippe nullius momenti erit, niſi imperium cum mandata juriſdictione tranſeat, & ne putes fortuito loqui, ecce affert Paulum in *l. ſi quis poſtquam ff. de fidejuſ.* ubi ſcriptum eſt *erroris fidejuſſio nulla eſt*, quæ verba ſic interpretatur, *non hoc vult Paulus omnem fidejuſſionem ſine errore fieri, ſed eam fidejuſſionem, quæ fit per errorem nullius eſſe momenti.* O hominis in libris juris non infeliciter verſati oſcitantiam! Et cur mandata juriſdictio, ſecum trahit imperium, niſi ut explicetur? quæ ratio cur non in juriſdictione municipalium locum habebit? tamquam hæc ſententias non proferret, tamquam iſtæ ad exitum adduci non deberent? præſertim cum mandata juriſdictione, tranſeat imperium, quod cohæret juriſdictioni, ideſt modica coercitio *d. l. ultim.* non omne mixtum imperium. Nec ſcite, nec ad rem *d. l. ſi quis poſtquam* affertur, quæ ſola eſt de errore juris, & ſtatuit fidejuſſorem ex errore juris datum, inutiliter dari, non quidem

ipſo

Source : BIU Cujas

ipſo jure, ſed per exceptionem. Ita eam exponit Cujacius in *l. qui erat hæres ff. famil. erciſc. eadem eſt ratio*, inquit, *legis l. ſi quis ff. de fidejuſſ. Quidam liberatus tempore, errore juris dedit fidejuſſorem, quia ſcilicet actionem, qua tenebatur, putabat eſſe perpetuam, cum eſſet temporalis, erroris fidejuſſio nulla eſt, licet tamen dicat nullam eſſe, non tamen dicendum eſt, nullam eſſe ipſo jure, ſed exceptionem dari fidejuſſoribus.*

MERILLIUS. *At juriſdictio minorum Magiſtratuum nulla non eſt ſine imperio, quia non opus habent imperio ad juriſdictionem ſuam exercendam, utpote qui facere non poſſunt ea, quæ ſunt imperii l.* IV. *hoc tit. l. ea quæ. ad municipalem, &c.*

GENTILIS. Nimirum hic docet, cur mandata juriſdictio, opus habeat imperio, juriſdictio municipalis non item. Rationem diſcriminis diligenter retineamus; *quia minores Magiſtratus non poſſunt facere ea, quæ ſunt imperii, l.* IV. *hoc tit. l. ea quæ. ad municipalem.* Ratio belliſſima, ſed quæ falſitate laborat. In *l.* IV. Scriptum eſt, *jubere caveri prætoria ſtipulatione, & in poſſeſſionem mittere, imperii* magis *eſt quam juriſdictionis*. Pariter in *d. l. ea quæ, ea quæ* magis *imperii ſunt, quam juriſdictionis Magiſtratus municipalis facere non poteſt;* inurbanum profecto, legibus falſo abuti ad teſtimonium.

An in mixto imperio quædam ſint magis imperii, quam juriſdictionis; & an magis *in L.* IV. *D. de juriſdictione, poſitive, an comparative ſumi debeat.*

CAPUT IV.

ULPIANUS in L. IV. *D. de Juriſdictione.*

JUbere caveri prætoria ſtipulatione, & in poſſeſſionem mittere, imperii magis eſt, quam juriſdictionis.

CUJACIUS in ſecunda expoſitione Tit. *D. de juriſd. ad L.* IV.

Obſervandum tum hoc, tum illo loco, magis, *accipi* συγκριτικῶς, *& eſſe in comparando; quoniam nihil eſt mixti imperii, quod non ſit & juriſdictionis: & hæc etiam ipſa*, jubere caveri, *nominatim juriſdictioni vindicantur, in d. L.* I. *& L.* IV. *D. de damn. infect. & vice mutata, nihil eſt juriſdictionis, quod non ſit etiam mixti imperii: ſed in hac mixtura eſt tamen aliquid, quod eminet, & excellit.*

Idem CUJACIUS ad lib. I. Pauli ad Edictum, in *L. ea quæ* XXVI. *D. ad municipalem.*

Conſtituamus, Magiſtratus municipales juriſdictionem, atque adeo mixtum imperium habere; ſed ea, quæ ſunt magis mixti imperii, & majoris cujuſdam poteſtatis, quam juriſdictionis nudæ, Magiſtratum municipalem non habere.

Idem CUJACIUS aliter in prima expoſit. Tit. *D. de juriſdict. ad leg. primam.*

Hæc ſunt majoris cujuſdam poteſtatis, quam ſit juriſdictio ſimplex, qualem habet Magiſtratus municipalis: nam ſimplicem tantum juriſdictionem habet: & ita recte Græci ad L. ea, quæ, *ajunt, Magiſtratus municipales non habere ea, quæ ſunt majoris poteſtatis, juriſdictionem ſimplicem habere.*

MERILLIUS. *Quod ait Ulpianus in hac L.* IV. *Jubere caveri, & in poſſeſſionem mittere, magis eſſe imperii, quam juriſdictionis;* συγκριτικῶς, *ideſt, comparative, vel* θετικῶς, *ideſt, poſitive ſumi poteſt. Quam diverſam acceptionem Pyrrho induxerat, ut refert Diogenes Laertius in Pyrrhone, & ex eo Suidas in verbo,* μᾶλλον. Magis *ita comparative ſumitur, veluti cum dicimus, ſanitatem magis optandam eſſe, quam divitias: utrumque optandum eſſe dicimus, ſed fit comparatio ſanitatis ad divitias; & utriuſque comparatione facta, alterum magis optandum eſſe dicimus.* Magis *autem poſitive, ſeu negative, ita ſumitur: veluti cum dicimus virtutem magis laudandam eſſe, quam vitium; utrumque laudandum eſſe non dicimus, ſed ita virtutem laudandam eſſe affirmamus, ut vitium laudandum negemus. Ita Juſtinianus in* §. I. *Inſtit. quib. mod. re contrah. obligat. Indebitum magis eſſe ex diſtractu, quam ex contractu. Latini Interpretes in hac L.* IV. *& L. ea quæ* XXVI. *D. ad municip.* magis *comparative acceperunt: Accurſius, & Odofredus Accurſio antiquior: quaſi cautio, quæ exigitur damni infecti nomine; & miſſio in poſſeſſionem ſit imperii, & juriſdictionis, ſed magis imperii, quam juriſdictionis. Comparatio fit eorum, quæ ſunt imperii mixti ad invicem; & alterum dicitur eſſe magis imperii, quam juriſdictionis: non negatur eſſe juriſdictionis, ſed dicitur magis eſſe imperii.* Cujacius *Latinorum Interpretum ſententiam ſecutus eſt in ſecunda expoſit. tit. D. de Juriſdict. ad hanc L.* IV. *& lib.* I. *Pauli ad Edictum, in d. L.* XXVI. *D. ad municipal. Græci Interpretes* magis *in d.l.* XXVI. *poſitive acceperunt: quorum ſententiam refert, & probat* Cujacius *in prima expoſit. tit. de juriſdict. ad L.* I.

GENTILIS. Appendix ſuperioris capitis, & ex eo catenatus error; vix quicquam, ut immoremur. Scriptum eſt in *l.* IV. *De juriſd. jubere caveri prætoria ſtipulatione, & in poſſeſſionem mittere imperii magis eſt, quam juriſdictionis.* Magis vel *comparative* ſumitur, vel *poſitive*. Si ſumas comparative, ſententia erit, *jubere caveri &c.* eſſe quidem imperii ſimul, & juriſdictionis, ſed magis imperii, quam juriſdictionis; & ita fere omnes Latini, & Græci, quos refert, & ſequitur Cujacius in *d.l.* IV. & in *d.l.* I. iis nempe locis, ex quibus Merillius colligit, variaſſe; e diverſo ſi accipias poſitive, ſententia legis erit *jubere caveri, &c.* eſſe ſolius imperii, non juriſdictionis, & ita Græcos, & Cujacium docuiſſe Merillius ſcribit, hoc capite. Varians interpretatio erit, quod in *d.l.* IV. *comparative* ſumpſerit, in *d.l.* I. *poſitive*; videamus an vere, ſed licet ſtatim mirari viri inconſtantiam, *cap.* III. ſcripſit, quoſdam ex Latinis, admittere juriſdictionem ſine imperio, *lib.* II. *obſer.* XV. vulgo omnibus fere perſuaſum eſſe,

Source : BIU Cujas

nullam eſſe juriſdictionem ſine imperio ; *hoc capite* ait ; Latinos interpretes ſumere *magis* comparative, quod idem eſt, ac ſtatuere, juriſdictionem ſimplicem Magiſtratuum municipalium, numquam imperio deſtitui, quæ quomodo inter ſe conſentiant, non tam facile explicatu eſt. Recte tamen Cujacium refert in *d.l.* IV. ſumere *magis* comparative, quod & omnibus iis locis oſtenditur, quos dedimus, & placet hunc addere ex *d. l.* IV. *reipſa numquam ſecernitur imperium ab juriſdictione, cum alia facimus, & dicimus eſſe magis imperii, quam juriſdictionis, quæ non tribuimus omnibus Magiſtratibus ; omnibus tribuimus imperium, & juriſdictionem, ſed non omnibus omne imperium non id, quod dicitur ἀορικώτερον, quo nihil evidentius.* Hæc ille; & quomodo *magis* in comparando ſumatur, docet ibidem. *Obſervandum*, inquit, *tum hoc, tum illo loco*, ſcilicet in *d. l.* ea quæ. Ad municipalem, magis *accipi συγκριτικῶς, & eſſe in comparando, quoniam nihil eſt mixti imperii, quod non ſit & juriſdictionis, & hæc etiam ipſa, jubere caveri de damno infecto, &c. nominatim juriſdictioni vindicantur in d. l.* I. *&* IV. *& vice mutata, nihil eſt juriſdictionis, quod non ſit etiam mixti imperii ; ſed in hac mixtura eſt tamen aliquid, quod eminet, & excellit ; & in mixtura honeſti, & utilis, valde placet, quod Diogenes Laertius ſcribit ex diſciplina Pyrrhonis*, magis *ſive μᾶλλον modo accipi συγκριτικῶς, ut cum dicimus, mel magis dulce eſſe, quam uvam, nam & uvam dulcem eſſe non negamus, modo &c.* quod exemplis ex jure petitis doctiſſime proſequitur.

Sed variavit, *inquit*, & *magis* poſitive ſumpſit in *d. l.* I. ſecutus Græcos, qui acceperunt poſitive θετικῶς ; id profecto non tam falſum, quam injurioſum eſt, & omnino Lectorem velle decipere. Græci comparative ſumſerunt in *d. l. ea quæ*, eorum ſententiam retulit Cujacius in *d. l.* IV. ubi mota dubitatione, *magis* accipit in comparando, ut diximus, & Græcorum authoritate utitur; & quamvis locus ille non extet in Baſilicis vulgatis, extat tamen apud Cujacium ibidem, *Et Baſil. in d. l. ea, quæ* eſſe ea *jubere caveri, & mittere in poſſeſſionem μείζονος ἕξεως*, dum ita definiunt, *τὰ ὄντα μείζονος ἕξεως πράττειν ὁ στράτηγος ἔ δλώται*. Et quædam addit firmans Græcorum, quam tuetur, ſententiam. Eadem habet in *d.l.* I. quo ex loco, variaſſe dicitur, res mira, Merillio; nam & ibi docens pariter, quæ ſunt imperii mixti, eſſe & juriſdictionis, ſed rectius dici quædam eſſe imperii, objicit ſibi *d. l.* IV. & non obſtare reſpondit, quoniam *magis* ponitur in comparando, Verba conſignemus neceſſe eſt, quæ mutila Merillius retulit. *Huic ſententiæ nihil obſtat lex* IV. *hoc tit. quippe*, inquit, *lex his verbis non negat eſſe juriſdictionis, quoniam* magis *ponitur in comparatione, igitur compoſita eſt vis Magiſtratus propria ex imperio, & juriſdictione, ſed quædam accedunt plus ad imperium, quam ad juriſdictionem, ut jubere poſſidere, jubere judicare, poſſeſſionem dare bonorum, in integrum reſtituere. Et ne ſubſit dubitationi locus*, pergit, *hæc ſunt majoris cujuſdam poteſtatis, quam ſit juriſdictio ſimplex, qualem habet Magiſtratus municipalis, nam ſimplicem tantum juriſdictionem habet :* Et ita recte Græci ad *d. l. ea, quæ* ajunt *Magiſtratus municipales non habere ea, quæ ſunt majoris poteſtatis, juriſdictionem ſimplicem habere*. Eadem legas in *d. l. ea, quæ ad lib.* I. *Pauli ad Edictum, &* II. *obſerv.* XXIX. *&* IV. *De legatis lib.* I. *& notis π. hoc tit.* quibus locis *magis* accipi docet nominatim in *d. l.* IV. *σύγκριτικῶς*. O ſummam Merillii in Græcis, o præclaram in Cujacio evoluendo ſedulitatem, illo ipſo loco, quo *magis* comparative accipiunt, velle poſitive ſumſiſſe.

Exigeret iſtituti operis ratio, ut argumentis Merillii reſponderemus, ſed non ſunt tanti, eſt enim tam evidens, *magis in d. l.* IV. ſumendum *σύγκριτικῶς*, ut nulla poſſit ratione ſubverti, nam θετικῶς ſumtum extrema continet contraria, ut ex Laertio Cujacius refert in *d. l.* IV. ne res exemplis egeat Merillio emendicatis, *modo*, inquit, *magis, accipi θετικῶς, ut cum dicimus virtutem magis prodeſſe, quam obeſſe, &c. in l.* II. §. *mutui. De reb. credit.* ad Edictum Pauli, *magis accipitur θετικῶς poſitive, ac proinde vim negationis habet, ut cum dicimus virtutem magis prodeſſe, quam nocere, quo exemplo utitur Diogenes Laertius in Pyrrone Elienſi, notans hanc hujus articuli ſignificationem, ideſt poſitionem, hoc enim dicimus virtutem prodeſſe, non nocere, &c.* ſi itaque poſitive ſumas, efficies contraria extrema, imperium, & juriſdictionem; quo quid abſurdius? cum imperio inſit juriſdictio *d. l.* III. cum mandata juriſdictione, tranſeat ſimul imperium, quod ei cohæret *d. l. ult.* cum juriſdictio ſine imperio nulla ſit *d. l.* II. denique, quæ miſcentur ſimul, & una gradiuntur, contraria dicere, eſt hominis parum feliciter in Dialectica verſati ; at vero *συγκριτικῶς* acceptum extrema jungit inæqualia, *ut in l. & magis. ff. de ſolution.* & plus uni concedit, quam alteri, quod in utroque conſtituit, ut mel eſſe magis dulce, quam uvam ; inæqualia autem eſſe imperium, & juriſdictionem ſatis, opinor, demonſtratum eſt.

Hinc ego puto pendere rationem legis, *qui clavum* §. I. *ff. De Ædilitio edicto*, ubi Ulpianus ex Pædio docet, inæqualitatem maxillarum, oculorum, brachiorum eſſe extra redhibitionem, veluti, ſi quis emerit ſervum, cui alter oculus ſit major, & negat quidem redhibitioni locum, *ſi nihil ex miniſterio præſtando ſubtrahit*, ideſt ſi recte utatur ad miniſterium, tametſi *magis* altero oculo utatur, *inæqualitatem* appellat acutiſſime, cum ſervus utroque oculo utitur, ſed *magis* uno quam altero ; *magis συγκριτικῶς*.

An Magiſtratus in juriſdictione voluntaria poſſit ſe ſubjicere alii Magiſtratui æqualis, vel inferioris poteſtatis.

CAPUT V.

ULPIANUS in L. eſt receptum XIV. *D. de juriſdict.*

EST receptum, eoque jure utimur, ut ſi quis major, vel æqualis ſubjiciat ſe juriſdictioni alterius, poſſit ei, & adverſus eum jus dici.

CUJACIUS in ſecunda expoſitione *tit. D. de juriſdict. ad L.* XIV.

Volun-

Source : BIU Cujas

Voluntariam juriſdictionem Magiſtratus, nec in Magiſtratum volentem, qui par, aut major ſit, exercere poteſt: *ut puta, Prætor non poteſt manumittere, vel adoptare, vel emancipare apud collegam; qui actus ſunt voluntarii, & exercentur inter eum, qui vult manumittere, & eum, qui vult manumitti, emancipare, & emancipari, adoptare vel adoptari. Denique hæc ſunt voluntariæ juriſdictionis, & tamen hæc Prætor apud collegam exequi non poteſt.* L. apud filium, §. 1. De manumiſſ. vindict. *& ratio eſt, quia apud ſeipſum hæc exequi poteſt, apud ſeipſum ſervum manumittere, aut filium emancipare, apud ſeipſum extraneum in locum filii adoptare.* L. v. ff. De manumiſſ. vindict. L. IV. ff. De adoptionib. L. II. De offic. Præſid.

Idem CUJACIUS aliter in prima expoſitione *tit. D. de juriſd.* ad L. XIV.

Nunc dico, ſi quis major, vel æqualis ſua ſponte adeat minorem Magiſtratum manumittendi cauſa, (neque enim poteſt hoc exequi per procuratorem) non magis ſibi faciet injuriam, hoc eſt, ſuam majeſtatem minuet, quam ſi litiget per ſe. Hoc vero non prohibetur, hoc eſt, litigare poteſt; ergo nec illud, injuriæ illius metu; igitur in majorem, vel æqualem Magiſtratum nullam eſſe juriſdictionem contentioſam, vel voluntariam, niſi ſe ei ſubjiciat.

MERILLIUS. *Satis conſtat, Magiſtratum ſe poſſe ſubjicere juriſdictioni alius Magiſtratus æqualis, vel etiam inferioris poteſtatis, in juriſdictione contentioſa: puta, ut apud eum actiones moveat, litiget, juſque ſuum perſequatur. Sed dubium eſſe poteſt, an idem ſit in juriſdictione voluntaria: puta, cum legis actiones exercentur, L. II. ff. De offic. Præſid.* Cujacius *in ſecunda expoſit. tit. ff. De juriſdict. exiſtimat, Magiſtratum parem, aut minorem non poſſe voluntariam juriſdictionem exercere in alium Magiſtratum, licet, volentem: & ita intelligit L. apud* XIV. *ff. De manumiſſionib. & L. apud* XVIII. *ff. De manumiſſ. vindict. ut Prætor ne volens quidem apud Prætorem poſſit ſervum ſuum manumittere; & rationem iſtam ſubjicit, quod Prætor apud ſeipſum id facere poſſit; fruſtra igitur apud alium faciat, quod apud ſeipſum facere poteſt. Tum quia minuitur dignitas Magiſtratus, ſi ſe alius æqualis, inferioriſve juriſdictioni ſubjiciat. Verum in prima expoſit. ejuſd. tit. de juriſdict. aliter ſenſit, Magiſtratum poſſe apud alium Magiſtratum parem, minoremve, legis actiones exercere; ſeque poſſe ipſius juriſdictioni ſubjicere: quod magis probarem; idque ſuadent verba hujuſce L. XIV. ut ei poſſit, & adverſus eum jus dici. Ei jus dicitur, puta, in juriſdictione voluntaria: in eum jus dicitur, puta, in juriſdictione contentioſa.*

GENTILIS. Una litura delendum eſt Merillii ingenio præſens caput indignum, nam & argumentum Cujacii, quo utitur, ut oſtendat quorumdam interpretum, imperitiam, pro variante interpretatione adducit, & quod Cujacius opponit his, refert tamquam Cujacii ſententiam, & argumentum. Res cognitu facilis, & labor in eo, ut propoſita quæſtione ſingula Cujacii loca percurrendo luſtremus.

Juriſdictionem duplicem facit Marcianus in *l.* II. *De offic. Proconſ.* voluntariam, & contentioſam; hæc tribunal exigit, illa per fori planum exercetur. Contentioſæ, vel ut eſt apud *Apulejum*, controverſioſæ juriſdictioni ſubjicitur quiſque, inferior, par, major Magiſtratus, inferior quidem etiamſi nolit, at illi non aliter, quam ſi ſe ſubjiciant, Ulp. in *l. eſt receptum. De juriſdict.* Quæſitum eſt, an in juriſdictione voluntaria idem ſtatuendum ſit? ideſt, an par, majorve Magiſtratus poſſit ſe ſubjicere alterius voluntariæ juriſdictioni, qui ſit inferior, vel æqualis? *DD.* ſciſſi in utramque partem diſputant. Plerique negant, quorum ſententiam tuetur Cujacius utroque loco per Merillium relato, & primo quidem loco, ideſt in II. *expoſit. De juriſd. ad l.* XIV. rationem ſtatuit hanc eſſe, quod legis actiones, quæ ſunt voluntariæ juriſdictionis, poſſint per ipſum Magiſtratum exerceri, unde fruſtra adit parem, vel majorem, ob id, quod apud ſeipſum exequi poteſt; at altero loco, ideſt in prima expoſitione *De juriſdict.* eadem ſententia propoſita ait, illam non recte quibuſdam probari, & eorum argumentum optima ratione infirmat; quæ ratio in Adverſarios producta, perinde a Merillio accepta eſt, ac ſi proprium eſſet Cujacii pronunciatum, in quo vellet inſiſtere. Ergo varians interpretatio hæc erit, quod Cujacius in ſecunda expoſitione in *d. l.* XIV. docuerit, Magiſtratum parem, vel majorem, nec volentem ſubjici voluntariæ juriſdictioni minoris, vel æqualis; at in prima expoſitione ad *d. l.* XIV. aliter ſenſerit, & Magiſtratum parem, majoremve, poſſe ſe ſubjicere alterius juriſdictioni voluntariæ, vel paris, vel minoris ſcripſerit.

Sed falli ex Cujacii verbis dumtaxat relatis conſtabit abunde, nimirum ex prima expoſitione in *d. l.* XIV. ex qua colligit variaſſe, & docuiſſe poſſe Magiſtratum ſubjici in juriſdictione voluntaria, vel pari, vel majori. *Notandum eſt*, inquit, *Magiſtratum, non habere juriſdictionem, vel imperium, in majorem Magiſtratum, vel in collegam, vel in parem*, & deinde, *Magiſtratus poteſt cogi, ut hæreditatem, de qua rogatus eſt, adeat, & reſtituat*, & paulo poſt, *verum debet cogi a majore; a minore, vel pari Magiſtratu cogi non poteſt, veluti Prætor a Prætore cogi non poteſt, vel Conſul a Prætore, ſed ſi libens ſubjiciat ſe juriſdictioni Prætoris, collegæ, Prætor ſolet jus dicere l. ille a quo §. tempeſtivum, Ad Trebellianum.* Vides jam ſermonem ordiri de juriſdictione contentioſa, de qua eſt ſpecies illius §. *tempeſtivum*; nunc vide, quid de voluntaria ſtatuat, & quidem leviter reprehenſo Accurſio, qui putavit Prætorem apud collegam manumittere poſſe, tuetur Florentinam lectionem in *l. apud. De manumiſ. vindicta*; mox addit, *igitur recte Prætor manumittere apud Conſulem, apud collegam non recte, nempe quia Conſul majus habet imperium, collega par*. Vides ſermonem inſtitui de juriſdictione voluntaria? cujus eſt manumiſſio, quæ eſt legis actio, ſive actus legitimus. Sed pergamus; *alii differentiam eſſe ſtatuunt inter juriſdictionem contentioſam, & voluntariam, quam non probant* (veteres quoſdam Italos innuit) *nam ajunt, ſi major, vel æqualis ſubjiciat ſe contentioſæ juriſdictioni ei, & in eum juriſdictio eſt.* Sed ſi major, vel æqualis, *ſubjiciat ſe voluntariæ juriſdictioni non eſt juriſdictio, & utun-*

Source : BIU Cujas

& utuntur hac ratione differentiæ ; quod major Magiſtratus poſſit contrahere per procuratorem , manumittere autem non poſſit per procuratorem, ne imminuatur majeſtas, inquiunt , majoris Magiſtratus, ſi ipſe adeat minorem Magiſtratum.

Hanc tamen rationem Cujacius recte improbat, loco a conſequenti admiſſo, Græcis κατασκευαστικός; cui opponitur locus a conſequenti deſtructo , Græcis ἀνασκευαστικός, de quo in *l.* 11. *De rebus creditis*, ille autem ita concipitur. Non propterea, quod in voluntaria juriſdictione major magiſtratus non poſſit ſe ſubjicere minori, cum non poſſit id exequi per procuratorem, imminuendo majeſtatem ſuam, conſequitur, eſſe prohibendum in contentioſa, adire per ſe Tribunal minoris , quoties nollet agere per Procuratorem , at hoc poteſt , nec ideo dicitur ſibi facere injuriam, non eſt igitur in voluntaria prohibendus injuriæ illius metu, &c. Conſtat ergo Cujacii ſententiam hanc eſſe, ut nec volens poſſit , par , majorve Magiſtratus inferiori , vel æquali ſubjici, dilucide ita, ut nihil addendum ſit ; Et exinde duplicem habes Merillii lapſum , primus quod pro variante eam retulerit ; alter vero, quod argumentum a dignitate imminuta, quod Cujacius rejecit, tamquam Cujacii refert.

MERILLIUS. *Et quidem ſi Magiſtratus ſeſe alteri ſubjicere poteſt in juriſdictione contentioſa, ubi adverſus eum invitum, & nolentem jus redditur , multo magis in juriſdictione voluntaria , ubi nonniſi volenti jus redditur* . Et addit argumentum a Cujacio improbatum , *non magis minui dignitatem Magiſtratus, ſi ſe in hac, vel illa juriſdictione alii ſubjecerit, &c.*

GENTILIS. Vis argumentationis in eo eſt poſita, ut ſi in contentioſa major Magiſtratus ſubjicit ſe , ergo & in voluntaria , idque potius in hac , quam in illa , cum in contentioſa judicium reddatur in nolentem , & invitum , in voluntaria nonniſi in volentem ; quæ omni ex parte vitioſa collectio juris principiis adverſatur ; ecce in juriſdictione litigioſa profertur quidem ſententia a minore in majorem , ſed nonniſi volentem , ut qui voluerit ſe ſubjicere *d. l.* XIV. deinde in litigioſa neceſſe eſt , ut Tribunal minoris adeat major Magiſtratus, ne in re ſua ſibi jus dicat *d. l. ille* §. *tempeſtivum*, at in voluntaria, nulla ratio id exigit, certe nulla neceſſitas, *d. l. apud* §. 1. *ff. de manumiſſ. vindic. l.* v. *ff. eod. l.* 11. *ff. De offic. Præſid.* ſit e multis exemplum in manumiſſione , hanc ut Prætor exerceat, ſervi voluntas requiritur, ut velit manumitti, itidem & Prætoris, ut manumittat, non eſt id in re ſua jus dicere, cur igitur *Merillius* ſcribit , multo magis poſſe ſubjici in voluntaria, cum ſubjiciat ſe in contentioſa ? nempe negligit animadvertere, ubi ad actiones ventum eſt , neceſſario cogi apud alium , ſeu majorem, ſeu minorem eas promovere , ne in re ſua pronuntiet , quod quidem peſſimi exempli eſſet, *l. ſi quis in tantam, C. Unde vi ; l.* 1. *ff. Quod legatorum , l. cum proponas, C. de legatis*, quæ ſane nulla eſt in voluntaria neceſſitas, in qua nulla lis agitur, ſed legis actiones exercentur dumtaxat.

Hinc cum legatus Proconſulis non habeat juriſdictionem voluntariam , nec legis actiones habere dicitur *l.* 111. *ff. De officio Proconſ.* quo loci inſignis eſt Bodini lapſus 11. *De republ.* ubi contendit, legatum Proconſulis habere legis actionem nomine alieno, pluribus in Cujacium congeſtis, quem ſuppreſſo nomine deſignat , extatque amarulenta Cujacii expoſtulatio XVIII. *obſ.* XXXVIII. ubi Bodinum jubet in ſcholam juris reverti , & ſane vix eſt quicquam ineptius, quam legatum Proconſulis nomine alieno habere legis actionem , ſeu quod legis actio non poteſt per alium exerceri, ſeu quod nominatim certis Magiſtratibus conceditur *l. apud Præfectum ff. de manum. vind.* ſeu tandem , quod adfirmat Ulp. in *l.* 11. *ff. de offic. Proconſ.* omnino apud legatum Proconſulis non eſſe legis actionem : quid, quod ibidem legis actionem accipit pro omni actu judiciario ? quod & Budæus ſcribit in *l.* IV. *De adopt.* ubi negletto voluntariæ, & contentioſæ juriſdictionis diſcrimine , contentioſæ attribuit legis actionem ; ille quidem Græce , & Latine impenſe doctus, ſed non juris ; ſæpe habet pro antinomiis, quæ conſentientia ſunt , & plures colligit in *l. ultima , De Ædilitio edicto* quas Cujacius in amicitiam adduxit in *l.* v. *C. De condict. indebiti* . At Polletus in *Foro Romano lib.* III. *cap. ultimo* , legis actiones ad merum imperium trahit , cum Marcianus in *d. l.* 11. *De officio Proconſ.* juriſdictionis voluntariæ eſſe dicat ; & quid gladii poteſtas cum legis actionibus ? nempe & hi , & nonnulli politioris literaturæ Scriptores moti *l.* 11. §. VI. *De orig. jur.* & quibuſdam Latinorum locis in eas ſententias iverunt , nec tantum illos , ſed & ſummos juris interpretes res iſta fefellit, quam ut illuſtremus, locus hic jure flagitare videtur.

Lege agere duplici ſignificatione apud Latinos invenies, & ut ad contentioſam juriſdictionem referatur , & ut ſententiæ executionem contineat , rarior hæc, frequentior illa , utraque tamen uſurpata. Valer. *lib.* VII. *Egregia Piſonis Præfecti Urbi conſtitutio , cum enim ad eum Terentius , ex octo filiis , quos in adoleſcentiam perduxerat , ab uno in adoptionem dato exheredatum ſe , querelam detuliſſet , bonorum adoleſcentis poſſeſſionem ei dedit , heredeſque lege agere paſſus non eſt ;* lege agere eſt petere bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas, ſiquidem Piſo heredes ſcriptos ab ea petitione ſubmovit , *l. ut ſcriptus. De bonorum poſſeſſ. ſecundum tabulas* . Cicero *primo de Oratore , cum egiſſet lege in hereditatem paternam teſtamento exheres filius , &c.* ideſt , cum egiſſet inofficioſi , *l.* III. *De inofficioſ. teſtam.* Idem eodem libro , *quod alter plus lege agendo petebat , quam lex in* XII. *tabulis permiſerit* , nimirum ultra duplum petitum erat actione tutelæ , quod tantum XII. tabulæ permiſerunt , adverſus tutorem , qui rem pupilli furatus eſt, Triphoninus in *l. tres tutores . De adminiſtr. tutor. Sed ſi ipſi tutores rem pupilli furati ſunt , videamus an ea actione, quæ proponitur ex l.* XII. *tabul. adverſus tutorem in duplum.* Ulp. *in l. nemo. De reg. jur. nemo alieno nomine lege agere poteſt* . Lege agere dixit, quod nos experiri adverſus aliquem apud Magiſtratum. Siquidem ea regula jus antiquum reſpicit, ut titulus demonſtrat , & jure vetere alterius nomine agere non licuit ; niſi pro populo, pro libertate, & tutela, & ex *l. Hoſtilia*, ut monet Juſtinian. *tit.* x. *lib.* IV. *inſtit.* Auguſtinus *in Dialogo de Altercatione Eccleſiæ, & Synagogæ. Idcirco in hoc cœtu veſtro jus recito , tabulas offero . Lege*

agatur,

Source : BIU Cujas

agatur, quia de poſſeſſione contentio eſt, & ſexcenta id genus.

Sententiæ vero executionem, quamvis rarius, ut monui, comprehendit tamen, Livius *eo loco: Fulvius acceptas literas, neque reſolutas, cum in gremio repoſuiſſet, præconi imperavit, ut lictorem lege agere juberet*, nimirum ut ſententiam damnationis exequeretur. Valerius *lib.* III. *Deligatis ad palum hoſtibus, literas a PP. conſcriptis, nequicquam Capuanis ſalutares, accepit; in ſiniſtra enim manu, ſicuti erant traditæ, repoſuit, ac juſſo lictore lege agere, tunc aperuit, poſtquam illis obtemperare non poterat.* Plautus in Mercatore.

Annos natus ſexaginta, qui erit, ſi quem ſcibimus,
Seu maritum, ſive hercle adeo cœlibem ſcortarier,
Cum eo nos hic lege agemus --

His relatis adparet, lege agere idem eſſe, quod per legem agere, per jus agere, & ut Ulp. loquitur in *l.* III. *De offic. proconſ. jure agere*, & lege igitur agit, qui actionem edit, & lege agit lictor, cum juſſu Magiſtratus ſententiam exequitur: unde illud toties apud Latinos, *lictor age*, *&c.* ipſe etiam Prætor, lege agere non ineleganter dicitur. Varro *lib.* V. *De lingua latina. Dies faſti, per quos Prætoribus omnia verba, ſine piaculo licet fari, contrarii horum vocantur dies nefaſti, per quos nefas Prætorem fari, do, dico, addico, itaque non poteſt agi; neceſſe enim eſt aliquo uti eorum verborum, cum lege quid peragitur.*

Hæc ita cum ſint, dices non immerito, lege agere referri quoque debere ad juriſdictionem voluntariam, & illa enim prætoriis verbis continetur, ſed nullus occurrit locus, quo diſerte id exprimatur, & fruſtra eris diligens, ſi quæras, præter Conſtantini conſtitutionem in *l.* II. *C. de his, qui a non domino*, *&c.* ubi de emancipatione ſervi alieni, *lege*, inquit, *actum eſſe doceatur*. Niſi velis huc trahere, illud Ciceronis pro Muræna, *poſſet lege agi, nec ne pauci quondam ſciebant, faſtos enim non habebant*; tamquam referendum ſit ad utramque juriſdictionem, aut illud Taciti *lib.* XII. *Divus Auguſtus apud Equeſtres, qui Ægypto præſiderent, lege agi, decretaque eorum perinde haberi juſſerat, ac ſi Magiſtratus Romani conſtituiſſent*. Sed hæc & his loca ſimilia fortaſſis invita eam interpretationem accipient; longe itaque, lateque, cum lege agere protendatur, frequentius, ut dixi in contentioſa uſurpatur, quod lites componere dixit Macrobius, I. *Saturnalium. Lege Hortenſia effectum, ut faſtæ eſſent nundinæ, ſcilicet uti ruſtici, qui nundinandi cauſa in Urbem veniebant, lites componerent*: ideſt lege agerent.

At non tam lata ſignificatione eſt legis actio Juriſconſultis, quam reſtrictius acceptam juriſdictioni tantum voluntariæ tribuerunt, quod ita verum eſt, ut contra niti ſit libros juris nunquam inſpexiſſe. Ulp. in *l.* I. *De officio jurid. adoptare quis apud juridicum poteſt, quia data eſt ei legis actio*. Marcianus in *d. l.* II. *Omnes Proconſules ſtatim quam Urbem egreſſi fuerint, habent juriſdictionem, ſed non contentioſam, ſed voluntariam, ut ecce manumitti apud eos poſſunt, tam liberi, quam ſervi, & adoptiones dari; apud legatum vero Proconſulis nemo poteſt manumittere, quod non habet juriſdictionem talem*. Rationem addit Ulpianus in *l.* III. ibidem, *omnino enim apud eum non eſt legis actio*. Modeſt. in *l.* IV. *De adoption. Magiſtratus, apud quem legis actio eſt, & emancipare filios ſuos, & in adoptionem dare apud ſe poſſe*, Neratii *ſententia eſt*. Paulus II. *ſententiam* XXV. *apud Magiſtratus municipales, ſi habeant legis actionem, emancipari, & manumitti poteſt*. Gordianus in *l.* I. *C. de adopt. Hi, qui in aliena poteſtate ſunt, juxta jus civile, non niſi apud eum, apud quem plena legis actio, adoptari poſſunt*. Ille ipſe ſanctionis Author Juſtinianus in *Novell.* LXXXI. *emancipationes*, *&c. legis ἀκτιόνας vocat*; *& in l. penult. C. de emancipation. liberor. apud competentem judicem, ad cujus juriſdictionem actus emancipationis pertinet*; ad cujus juriſdictionem, *inquit*, Anaſtaſius, voluntariam innuit, &c.

His, ſi κριτικότατοι illi nolint adquieſcere, monendi ſunt, nullum teſtimonium proferri poſſe ex libris juris, quo legis actio aliter accipiatur, præter unum Pomponii in *d. l.* II. §. *ex his deinde*, qui quomodo explicandus ſit mox dicetur; cæterum quas dicimus legis actiones, Papinianus in *l. actus De reg. jur.* vocat actus legitimos, & quos dicimus actus legitimos appellantur legis actiones in *d. Novell.* LXXXI. *in d. l.* IV. *&c.* obliteratis iis omnibus, quæ Hotoman. ſcripſit *illuſtr.* XXXII. ſcilicet his, quæ diximus non animadverſis, neceſſe fuit, ut Gotofredus in *d. l. nemo*, Petrus Faber *ibidem*, Eberlinus in *d. l.* II. *cap.* VII. Alciatus II. *parergon* 3. aliique plurimi, præcipites ducerentur.

Sed obſtat *d. lex* II. §. *deinde ex his*, ubi Pomponius, diſceptatrices illas legis actiones vocat. Agnoſco, & fateor, illas ipſas eſſe legitimas actiones, tamquam profectas ex *l.* XII. *tab.* tamquam formulas ex *l.* XII. *tab.* conceptas, reipſa tamen eſſe actiones, quibus, quod nobis debetur perſequimur. *Deinde*, inquit, *ex his legibus, eodem tempore fere, actiones compoſitæ ſunt, quibus ſcilicet inter ſe cives diſceptarent*: actiones eſſe compoſitas *ex legibus* XII. *tabul. & legis* XII. *tabul.* actiones in unum idemque collineat; interdum ſimpliciter actiones dictas, & librum actionum, qui eas contineret, patet ibidem §§. *ſequentib.* Ergo rudi ea tempeſtate, ut jus civile propriis nominibus deſignaretur, inter ejus partes numeratæ ſunt legis actiones, quæ mox additis quibuſdam formulis ab Appio Claudio, & a Flavio ejus ſcriba ſubrepto libro, jus civile Flavianum dictæ ſunt, & additis nonnullis aliis a Sexto Ælio, jus civile Ælianum.

Hæc ita ſe habere nulli dubium eſt, ſed non ideo dicendum eſt illas ſolas diſceptatrices eſſe legis actiones, ad exemplum locutus eſt Pomponius, non ad definitionem, ut ceſſio in jure apud Boetium *in topic. Cicer.* appellatur legis actio, quo modo dicimus tutelam legitimam, hereditatem legitimam, &c. non quod ille tantum ſint legitimæ, reliquæ enim tutelæ, & hereditas ex teſtamento, & ipſa legitima non improprie dicuntur; Ulpianus *in fragm. de tutelis. lege obvenire. De V. S.* unde fallitur Hotom. putans apud Pomp. actiones legis, quæ ſunt voluntariæ juriſdictionis omitti. Non ibi definit J. C. legis actiones, cum illas diſceptatrices ait appellari legis actiones; aliud eſt (inquit recte Cujacius) appellari, aliud eſſe. Sed cur Pomponius litium actiones, legis actiones vocavit? nempe ob idipſum, quo dicimus hodie actus legitimos

eſſe

Source : BIU Cujas

eſſe legis actiones; habent enim omne a lege, & ſolis legis ſollemnitatibus conſtant, ut in emancipatione, adoptione, &c. ita & primis illis Reipublicæ temporibus actiones illæ diſceptatrices *lege* XII. *tab.* ortæ, omne ab iiſdem, earumque interpretatione trahebant, & quibuſdam ſollemnitatibus peragebantur. *Certas*, inquit, *ſollemneſque eſſe voluerunt*, numerum demonſtrat, & ſollemnitates, conceptis formulis, quibus lege ageretur; hinc formula pro actione paſſim; apud Plinium *juniorem* v. *epiſtol.* II. *formula ad exhibendum*; Apulejus IX. *de aſino aureo*, *communi dividundo formula dimicabo*, Cicero ſæpe *pro Roſcio*, *pro Muræna*, Ulpianus etiam in *fragm. &c.* hinc auceps ſyllabarum dicitur Ciceroni JCtus *primo de oratore*; hinc vetitum, ne quis alieno nomine agere poſſet *d. l. nemo. De reg. jur.* quæ regula, ut dixi, ex jure antiquo eſt, ex jure XII. *tab.* quod proprium eſt earum legis actionem, quæ voluntariæ juriſdictioni innituntur *l. per Procuratorem. De adquir. hæreditate*. Succeſſu dehinc temporum, ſollemnia illa, quibus litium actiones conſtabant, paulatim inobſervata contemni cœperunt, pluribus jam per Prætores actionibus introductis, qui juris civilis anguſtias dilatarunt, quoad uſque radicitus exaruerint, *l.* II. *C. De Formulis*, *&c.* prorſus ut nihil, aut fere nihil habeant a lege; at adoptio, emancipatio, cæterique actus legitimi omnia a lege conſequuntur, præſcriptiſque ſollemnitatibus perficiuntur, *l.* IV. *C. de emancipationib.* hinc legis actiones eleganter dictæ JCtis, non quæ pertinent ad contentioſam, ubi nonnihil trahunt ab juriſdictione, ſed quæ ſpectant ad voluntariam, ubi nihil non trahunt a lege. Viri eruditione ſummi his neglectis, & juris loca, & Latinos ſcriptores depravarunt. Sed quis non peccet in arte non ſua? Sed redeat ſermo unde longe digreſſus eſt.

MERILLIUS. *Non movet, quod in d. l.* IV. *De manumiſſ. & d. l.* XVIII. *De manumiſſ. vindic. Prætor non poſſit apud Prætorem manumittere, aut emancipare; ita enim debent intelligi, niſi ſe Prætor collegæ juriſdictioni ſubjecerit.*

GENTILIS. Quid facies viro alioqui diſerto? ait eas leges accipiendas ita, ni Prætor ſe ſubjiciat, ſed nonne hoc quæritur, an poſſit? an poſſit in voluntaria ſe, quod poteſt in contentioſa, ſubjicere? cumque objeceris non poſſe, quia Prætor apud Prætorem manumittere non poteſt *d. l.* XIV. *d. l.* XVIII. reſpondet, eſſe intelligendas, niſi Prætor ſe ſubjiciat; ita ne? ſi nec poteſt ſe ſubjicere; ſi id ipſum cauſam diſputationi præbuerat?

MERILLIUS. *Non movet etiam, quod cum Magiſtratus apud ſeipſum legis actiones exercere poſſit, eas fruſtra apud alium exerceret; quid enim ſi legis actiones apud alium, quam apud ſeipſum exercere malit?*

GENTILIS. Eodem revolvitur; nam & ſi velit Magiſtratus legis actiones apud alium exercere, obſtat, quod apud ſeipſum exercere poſſit *d. l.* I. *d. l.* IV. Quid illud? *ſi malit exercere apud alium?* ergo ut exerceat apud alium, ſat eſt, ut velit; quid audio? an potius, ut poſſit; ita ſane: poſſe autem ubi Merillius docuit?

MERILLIUS. *Iſtamne poteſtatem adimemus Magiſtratui, quæ cuivis alii conceditur?*

GENTILIS. Vix feres in viro tam docto tam inſignem errorem, qualem hæc verba declarant; quiſquis enim ille alius ſit, qui velit exercere apud alium legis actiones, quamvis apud ſe poſſit, non ideo dicitur legis actiones exercere, ſed tantum, cum apud Magiſtratum, cui nominatim, voluntaria juriſdictio conceſſa eſt, veluti ſi quis manumittat teſtamento, manumiſſio non eſt legis actio, debet peragi ſollemniter in jure, ut ſit legis actio, quod Cujacius pluribus docet ad Papinian. in *d. l. actus*.

An pœna, quæ imponitur ei, qui jus dicenti non obtemperavit, actori, vel fiſco, vel utrique vindicetur.

CAPUT VI.

ULPIANUS in L. unic. §. ultim. D. ſi quis jus dicenti non obtemperaverit.

HOC judicium non ad id, quod intereſt, ſed quanti ea res eſt, concluditur; & cum meram pœnam contineat, neque poſt annum, neque in heredem datur.

CUJACIUS in repetita prælectione ad *L. unic. D. ſi quis jus dicenti non obtemperaverit.*

Ea pœna, quam ſtatuerit Judex ea de re aditus, utrique partienda erit, inter actorem, & fiſcum; ut plerumque fit in popularibus actionibus, L. lege Cornelia, de SCto Sillan. *vel ut Accurſius tentavit, tota cogenda erit in fiſcum, ut quandoque pœna actionis popularis tota in publicum redigitur.* L. ultim. infr. de term. moto.

Idem CUJACIUS aliter in prima expoſitione ad *L. unic. D. ſi quis jus dicenti non obtemp.*

Hæc actio datur adverſario in adverſarium; non eſt dicendum dari fiſco; non eſt dicendum duas dari, unam fiſco, alteram adverſario, ut male Accurſius: ſed datur hæc actio adverſario in adverſarium, qui jus dicenti non paruit.

Idem CUJACIUS *lib.* XXIV. *obſervat. cap.* XXV. in fine, nihil definit.

MERILLIUS. *Hoc edicto proponitur pœnale judicium, ſeu pœnalis actio adverſus eum, qui jus dicenti non obtemperaverit; cum rem reſtituere juſſus fuerit, eamque non reſtituerit: & datur quanti ea res eſt, non quanti intereſt actoris. Proinde licet actor nullum jus in re petita habuerit, aut reus ſe exceptione tueri potuerit; is, qui non paruit jus dicenti, tenetur quanti ea res eſt: eaque actio non utilitatem actoris, ſed meram pœnam continet. At quæſtionis eſt, an pœna, quæ hoc edicto proponitur, fiſco vindicetur, vel actori, an inter fiſcum, & actorem partienda ſit. Cujacius in ſecunda expoſitione hujus legis, ait, utrique partiendam eſſe, id eſt, inter actorem, & fiſcum eſſe dividendam, vel totam eſſe cogendam in fiſcum. Et lib.* XXIV. *obſervat.* XXV. *in fin. dubitanter ait, partiendam eſſe, vel inter fiſcum, & actorem; vel inter actorem, id eſt, eum, qui*

egit

Source : BIU Cujas

egit populari actione, & cum, cui res reſtituta non eſt. At vero in prima expoſitione, ait dari pœnam adverſario in adverſarium: puta, actori in reum, vel reo in actorem, & non dari fiſco. Quam interpretationem magis admitterem: quia in §. ult. hujuſce leg. pœna mera utilitati actoris opponitur, quaſi actor utilitatem, ſeu id, quod intereſt, ſed pœnam meram iſta actione conſequatur.

GENTILIS. Hoc caput ex iis eſt, quæ Merillium juris imperitia lapſum oſtendunt ita, ut quo excuſes non appareat omnino, dum enim actionem pœnalem, & pœnam, quæ inde ſtatuitur pro una eademque re ſumit, & Cujacio pugnantia excidiſſe immerito ſcribit, & ſe quod non intelligeret improbaſſe demonſtrat; tantam ejus animo caliginem mirabere offuſam, ut malit non J. C. videri, quam non variaſſe Cujacium in utraque expoſitione *ad l. unicam D. ſi quis jus dicenti non obtemper.* quod, ut conſtet liquido, quæ paulo obſcurius ſunt *hoc capite* tradita a Merillio, clariore ſermone referamus, oportet.

Omnibus magiſtratibus igitur juriſdictionem ſuam, vel *majeſtatem*, ut in *l.* IX. *De juriſdict.* tueri licere ait *Ulpian. in d. l. unica* pœnali judicio, exceptis *Duumviris*, complexus certe cæteros magiſtratus, ſive Urbanos, ſive Provinciales; quamvis enim ad eam tuitionem Duumviris ſint pignora, modica coercitio, &c. non ſunt tamen edicta pœnalia. Horum illud refertur *in d. l. unica*, quo Prætor jus dicenti non obtemperantes coercet, propoſita eo nomine pœnali actione; Sed cum non uno modo quis non obtemperare jus dicenti dicatur, tradit Ulpianus ibidem, illum hic intelligi non obtemperantem, qui, quod extremum eſt in juriſdictione non facit, veluti ſi quis conventus rei vindicatione, illam a ſe vindicari non paſſus, ſequentia etiam recuſat, abduci ſcilicet, vel auferri manu militari; Ergo in hunc eſt actio pœnalis, non ad id quod intereſt, ſed quanti ea res eſt, tametſi nihil actoris interſit, mera enim pœna, eſt in heredes non tranſitura §. IV. *ibid.*

Plura a DD. quæruntur. I. Quodnam ſit extremum juriſdictionis, II. Uter agat, adverſarius an Fiſcus? III. Utri cedat ea pœna, actori an Fiſco? IV. Sit ne actio popularis, an privata. V. Quid comprehendatur illis verbis, *quanti ea res erit*. Cujac. II. *obſ.* XXV. & in prima, & ſecunda *recitat. ad titulum De juriſdict.* quæ ſunt loca a Merillio relata, ſingulas tractat quæſtiones illas; & *ad lib. primum Pauli ad edictum in l.* II. *ff. De popular. action.*

I. Extremum juriſdictionis in eo edicto interpretatur ultimam lineam juriſdictionis, ſive, quod eſt ultimum, & poſtremum in juriſdictione, & inde ait, non incidere in hoc edictum, ſi quis jus dicenti non obtemperet initio, vel medio, ut ſi quis in jus vocatus rei vindicatione moretur, nec rem mobilem vindicari patiatur, quamvis non impune id faciat, ſed illum dumtaxat in hoc edictum committere, qui, quod eſt ultimum in juriſd. non facit, puta ſi Prætor manu militari rem abducendam jubeat, & reſiſtat reus, nec ferri patiatur.

Ergo in prima recitatione, inquit, *in hoc edicto jus dicenti non obtemperare, eſt extremæ juriſdict. non parere;* Et in ſecunda *extremum juriſdict.* vocat *ultimam lineam*, & *terminum juriſdictionis*, & in d. l. II. De Popul. Action. *quod extremum eſt juriſdictionis, in extrema linea juriſdictionis, &c.* Ea fuit Bulgari ſententia, quam juvat ſatis non obſervata DD. ἔλλειψις J. Cto uſurpata, intelliguntur, enim hæc verba in *d. l. unica* tunc obtemperaſſe videtur, *Cæterum*, inquit, *ſi & ſequentia recuſavit, tunc non obtemperaſſe videtur*, ubi igitur ſequentia non recuſavit, ideſt, rem abduci, vel ferri, tunc obtemperaſſe videtur, fecit enim, quod eſt extremum in juriſd. Par reticentia eſt *in l. in bello D. de captiv. & poſtliminio reverſis*, ſupplenda ſunt *poſtliminium eſt, &c.* ut etiam *in l. in ſubſtitutione* §. I. *D. vulgari & pupill. & in l. Gallus* initio *D. de liberis, & poſtumis* & alibi. Mirum ſane ſcripſiſſe Donellum XXV. *Commentar.* XXIV. obſcure Ulpianum interpretari, qui dicatur non obtemperare juſdicenti, & quod magis mirere, ſe ad Duarenum remittit, qui non profecto ingenue *primo anniverſariarum* L. neminem, ait, cujus ſcripta in manus ſuas pervenerint, ſatis explicaſſe ſententiam *d. l. unicæ*, ipſo interea idem pene, quod Bulgarus, docente; & ſuavius eſt Faber in rationalibus ad hanc legem, vulgo hanc opinionem adſcribens, quam Jaſon in *d. l. unica*, omnibus improbatam ſcripſit DD.

II. Docet actionem dari adverſario in adverſarium, non fiſco, ut veterum plerique apud Jaſonem *loco cit.* non fiſco ſimul, & adverſario, ut Accurſius in eadem *lege*, ſed ſolum agere adverſarium in adverſarium, ſive ſit reus, qui non obtemperaverit, ſive actor, nam & petitorem hoc edicto poſſe coerceri ex Labeone refert J. Ctus *ibidem*, firmatque lex *cum Papinianus Cod. de ſententiis, & interloc. Hæc actio*, inquit in prima recitatione *datur adverſario in adverſarium, non eſt dicendum dari Fiſco, non eſt dicendum duas dari, unam fiſco, alteram adverſario, ut male Accurſius, ſed datur hæc actio adverſario in adverſarium, qui jus dicenti non paruit*. Et in d. l. II. ad lib. I. Pauli ad edictum, *quæ autem ex edicto datur actio pœnalis in actorem, vel reum &c.* & ita etiam *dicto cap.* XXV. *obſervat. lib.* XXIV.

III. Pœnam, quæ inde ſtatuitur, vel partiri inter ſe actorem & fiſcum, vel totam cogi in fiſcum, utrumque enim probabiliter dici exiſtimat *ex l. ultim. D. de termino moto & ex lege L. Cornelia D. ad S. C. Sillanian. Ea pœna, quam ſtatuerit judex ea de re aditus, utrique partienda inter actorem, & fiſcum &c.*, & omnes ferme *DD.* alteram ex his duabus ſententiis amplectuntur, Pauci pœnam actori adjudicant indiſtincte poſt Coraſium hic, & Geddæum in *l.* XII. *de V. S.*

IV. Actionem hanc eſſe popularem, non privatam, *dicta obſervat.* XXV. *nec ſpectatur ergo quantum actoris interſit, quia & ſi nihil interſit actoris, locum habet, cum ſit popularis*; Et dicto loco ad Paulum, *ea actio videtur quidem fuiſſe popularis, quoniam pertinet ad vindictam publicæ majeſtatis*. Idem quoque repetit *in utraque recitatione ad dict. l. unic.* & ita crebrius receptum eſt, tametſi Treutlerus, poſt Duarenum loco adducto, diſſentire videatur, De in jus vocando *theſi* IX.

V. His verbis, *quanti ea res erit* ſignificari meram pœnam, etiamſi nihil actoris interſit, & etiam ſi jus nullum in re petita habuerit, ut *in l. penult.*

Source : BIU Cujas

penult. D. Ne quis eum, qui in jus vocatus, ita in *prima recitatione*. Pœnam hanc edicto non definitam religioni judicantis æſtimandam, & conſtituendam relinqui pro modo contumaciæ, pro modo delicti, ita in II. *recitatione*. Quanti contumaciam puniri non obtemperantis jus dicenti publice utile eſt; ita *dicta obſerv.* XXV. & plenius *in d. l.* II. ad Paulum, *quanti ob eam rem æquum eſſe videbitur, ad contemtam majeſtatem jus dicentis vindicandam*, ita putat Scipio Gentilis, obtinuitque frequentius; Conſtantinus tamen Harmenopulus *lib.* I. *tit.* II. §. LX., *quanti ea res eſt*, pro vera quantitate interpretatur. Ἡ τοίνη τῶν μὴ πειθαρχούντων ὐκ εἰς τὸ διάφερον, ἀλλὰ εἰς τὸ ἀληθὲς ποσὸν ἁρμόζει. Non ad id quod intereſt, ſed ad veram quantitatem, ἀλλὰ εἰς τὸ ἀληθὲς ποσὸν; nempe rem petitam, quamvis falſo petitam; ita & quidam e noſtris; omnino non male, ut tanti ſcilicet contumacia non obtemperantis puniatur, quanti res juſſa abduci fuerit æſtimata.

His traditis, apparet liquido, *Merillio* eſſe unum idemque, actionem pœnalem, & pœnam, quæ inde ſtatuitur; Vult enim variaſſe Cujacium, quod *actionem pœnalem* conceſſerit tantum actori, non fiſco, nec ſimul fiſco & actori; pœnam vero, vel ſoli fiſco, vel fiſco & actori; Cujacius, inquit, *in* II. *expoſit. hujus legis, ait utrique partiendam eſſe, ideſt inter actorem & fiſcum eſſe dividendam, &c.* At vero in *prima expoſit.* ait *dari pœnam adverſario in adverſarium, &c.* mirum quidem, nomine *pœnæ intellexiſſe actionem*; ſiquidem eo loco Cujacius agit de actione utri danda ſit fiſco, an actori, & vult omnino dandam eſſe actori; *Hæc actio datur adverſario in adverſarium, non eſt dicendum dari fiſco, non eſt dicendum duas dari, unam fiſco, alteram adverſario, &c.* pœnam, vel ſoli fiſco, vel fiſco, & actori concedit, *ea pœna, quam ſtatuerit, &c.* manifeſtum eſt itaque non variaſſe Cujacium, & ejus hanc eſſe ſententiam, ut pœna non ſit danda ſoli actori, ſed ut diximus, vel ſimul cum fiſco, vel ſoli fiſco. At Merillius hic contendit, ſolius eſſe actoris, fiſco excluſo, id ut probet videamus.

MERILLIUS. *Præterea, ut in pœnali judicio, quod datur adverſus libertum, qui abſque venia patronum in jus vocaverit, pœna quinquaginta aureorum patrono datur, L. ſi libertus* XII. *D. de in jus vocand. Ita ex hoc edicto pœna ei dari debet, cui res non eſt reſtituta: ut etiam pœna ei datur, qui in poſſeſſionem admiſſus non fuerit, L.* I. §. *ult. D. ne vis fiat ei, qui in poſſeſſ. Denique ubi pœna edicto definita non eſt, eam actor æſtimat, ſeu quanti ea res eſt, L. penult. D. ne quis eum, qui in jus vocab. At quorſum actor pœnam æſtimaret, niſi ipſi inferretur?*

GENTILIS. Levia argumenta, & diſpar ratio in ſingulis edictis; Pœna L. aureorum datur patrono ſine prætoris permiſſu in jus vocato a liberto, nempe ob reverentiam, quæ ipſi debetur, *l. generaliter D. cit. titulo*, quæ neque a Principe remittitur, cum ſit juris naturalis *l.* II. *Cod. eodem*, cujus pars eſt, ne a liberto vocetur in jus, ſine venia prætoris, ut ait *Theoph. de action.* §. XII. μέρος δὲ τῆς τιμῆς ἐστὶ καὶ τοῦτο, &c. tam igitur ingrato exiſtente liberto, pœnam L. aureorum quam præſtat, recte Prætor patrono conceſſit, quæ ratio facit, ut contemta majeſtate jus dicentis in extremo juriſdictionis, pœna fiſco acquiratur potius, quam actori: ita etiam *in d. l.* I. §. *ult. D. Ne vis fiat ei, &c.* proponitur pœnalis actio in factum adverſus illum, qui dolo malo facit, quo minus, quis in poſſeſſione ſit, prætoris permiſſu, & pœna quidem ei, qui in poſſeſſionem miſſus eſt adquiritur, ſed quantum ejus intereſt poſſeſſionem habere, ita hæc verba *quanti ea res erit* in eo edicto interpretatur Ulpianus *d. l.* I. §. III., unde infert ob falſum creditum, falſamve petitionem nihil prodeſſe edictum illud, & non eſſe locum actioni; at longe aliter in noſtro edicto, *quanti ea res erit* accipiuntur pro mera pœna, etiamſi nihil actoris interſit. Videtur Prætor in duobus illis edictis certarum ratione perſonarum ob oculos habuiſſe, ut earum gratia propoſita pœna illis cederet, puta, patrono, & vero petitori; in edicto autem *ſi quis jus dicenti*, ſolius jus dicentis juriſdictionem contemtam cenſuit vindicandam. Non eſt quærendum ulterius, actiones prætoriæ eam habent naturam, quam prætores dederunt, non recte ducitur argumentum ab una ad alteram; quamobrem illud ineptum eſt, pœnam non definitam edicto æſtimari ab actore *d. l. pen.* §. I. & idcirco inferri actori; ineptum, inquam, cum id locum habeat in edicto, *Ne quis eum qui in jus vocabitur*, Neque eſt temere trahendum ad edictum noſtrum, *in d. l. unica*, deinde falſum eſt, pœnam edicto non fuiſſe definitam adverſus vi eximentes in jus vocatos, hæc eſt pœna edicto definita, ut actor rem æſtimet, ideo hæc actio pœnalis, quippe, qui vi eximit, condemnatur, non quanti vere res eſt, ſed gravius, quanti actor æſtimaverit *d. l.* V. §. I. & nugatur Faber ad hanc legem, expungens ea verba, *quanti ab actore æſtimata eſt*, nugatur ſane, vix enim aliter, ac ne vix quidem erit pœnale judicium, cum Ulpianus diſerte adjungat, *hoc enim additum eſt*, ideſt rem ab actore æſtimari, *ut appareat, etiamſi calumniator quis ſit, tamen hanc pœnam eum perſequi*, nihil eſt certius.

MERILLIUS. *Non movet, quod in popularibus actionibus pœna quandoque fiſco vindicatur, aut inter actorem, & fiſcum dividitur: Nam actio, quæ hoc edicto proponitur, non eſt popularis, ut nec pœnale judicium in factum, quod datur adverſus libertum, qui patronum in jus vocaverit, d. l.* XII. *de in jus vocand. In popularibus actionibus, cuivis e populo agere permittitur; at iſta actio datur tantum adverſario in adverſarium, hac L. unic.* §. *penult.*

GENTILIS. Supra adnotatum eſt, pœnalem actionem ex edicto *d. l. unicæ* Cujacio eſſe popularem, ut & pleriſque interpretum, indeque fieri, ut exemplo popularium actionum, vel fiſco ſoli, vel fiſco, & actori ſimul pœna adjudicari poſſit; rejicit id Merillius, & putat ideo non eſſe popularem, quod nec populare ſit judicium in factum pœnale, quod datur patrono adverſus libertum, *d. l.* XII. *De in jus vocando*, additque in popularibus actionibus, quemlibet e populo poſſe agere, at ex hac actione pœnali, agere tantum adverſarium in adverſarium. Sed non animadvertit, nihil commune habere edictum adverſus libertum, cum

edicto

Source : BIU Cujas

edicto adverſus non obtemperantes jus dicenti; illud privatum profecto, privata enim perſona eſt patronus, cui ob inſigne libertatis beneficium, obſervantia, & obſequium præſtanda ſunt, quo reſpiciunt tituli *De jur. patron. De Obſequiis parent. & patr. præſtandis*. Eleganter Theodorus Hermopolites in *l.* 1. *D. de offic. Præfecti urbi*, *libertum*, ait, *quaſi gigni per manumiſſionem*, *cum antea ignorus juri civili fuiſſet* διὰ τὸ δοκεῖν &c. contra vero, publica perſona eſt magiſtratus, cujus juriſdictione contemta, cuilibet ut agat permittendum eſt, confundit perperam hæc duo edicta Merillius, non tantum hoc loco, ſed, & *cap.* XXXI. *lib.* IV. *obſer.* tamquam utrumque edictum propoſitum fuerit ad tuendam juriſdictionem Magiſtratus; cum primum reſpexerit patronum, alterum vero jus dicentem, quamobrem veniam primi edicti dat Prætor *l.* x. *D. in jus vocan.* quæ debet peti juſtis ex cauſis *d. l.* x. §. IV. & cauſa cognita impetratur; Euſtathius apud Macrobium VII. *Satur. dicturus pro vario cibo*, *ab authoritate veſtra*, *tamquam ab edicto prætoris*, *venia impetrata*, *gulæ patronum*, *quia neceſſe eſt*, *profitebor*; at ſecundi non item. Quod addit in pop. actionibus agere quemlibet, in hac actione agere tantum adverſarium in adverſarium, rejicitur ex *l. ſed ſi* III. *D. de popularib. actionib.*, ubi expreſſum eſt in popularibus actionibus, quamvis quilibet agere poſſit, præferri tamen cujus intereſt; *in popularibus actionibus*; inquit Ulpianus, *is præfertur*, *cujus intereſt*; intereſt autem ejus, qui ob contumaciam læditur, is eſt adverſarius.

MERILLIUS. *Non movet etiam*, *quod ut actio albi corrupti popularis eſt*, *qua vindicatur contempta dignitas Magiſtratus*, *L. ſi quis* VII. *D. de juriſd. Ita & actio*, *quæ hoc edicto proponitur*, *popularis eſſe videatur: quia & hujuſmodi actione contempta Magiſtratus dignitas vindicatur. Etenim actio albi corrupti popularis eſt*, *quia publice intereſt*, *non corrumpi album Prætoris*, *ex quo Prætor jus cuique dicere debet: at non ita publice intereſt*, *rem petitam non reſtitui*, *ut popularis actio detur adverſus eum*, *qui non reſtituerit*.

GENTILIS. Reſpondet Cujacio, qui illa potiſſimum ratione uſus eſt, ſed exanguis eſt reſponſio, non ita ſcilicet publice intereſſe rem petitam reſtitui, ut publice intereſt, non corrumpi album Prætoris, quid eſt hoc quod excidit Merillio? tanquam pluris ſit album Prætoris quam ipſe Prætor? quidquid ſit, quod eo nomine ſignificetur, ſeu paries, ſeu tabula dealbata, ſeu tabula propoſita in albo, ideſt palam, ut apud Livium *lib.* IX. *Gneus Flaccus faſtos in albo propoſuit*, &c. publice ergo interierit, album Prætoris non corrumpi? publice non interierit, Prætoris juriſdictionem vindicari contemtam?

An pactum ſit genus, vel ſpecies conventionis.

CAPUT VII.

ULPIANUS in L. 1. §. *conventionis. D. de pact.*

CONventionis verbum generale eſt, ad omnia pertinens, de quibus negotii contrahendi, trantigendique cauſa conſentiunt, qui inter ſe agunt.

CUJACIUS in *paratit. D. ad tit. de pact.* *Tranſactio eſt ſpecies*, pactum genus; *cujus definitio*, *ut ſit duorum*, *pluriumve in idem placitum conſenſus*, *id eſt*, *nihil niſi conſenſus: ut in definitione legati*, *Donatio teſtamento relicta*, *id eſt*, *non niſi teſtamento*.

Idem CUJACIUS aliter ad *tit. D. de pact. in L.* 1. §. *conventionis*. *Pacti igitur nomine expoſito*, *reliqua erat conventi explicatio: &* pactum quidem (*ut diximus*) ſpecies eſt, *conventum genus: Nam & pacta*, *& contractus*, *conventa*, *ſive conventiones ſunt*.

MERILLIUS. *Probarem magis*, *pactum dici debere ſpeciem conventionis*, *quam genus. Conventionis nomen generale eſt*, *quod continet contractus nominatos*, *& innominatos*, *L. juriſgentium* VII. *in princ. D. de pact. atque etiam pacta nuda continet*, *quæ ſunt tantummodo pacta*, *& remanent in nomine conventionis*, *& placiti fine ſtant*, *L. ſi tibi* XXVII. *C. de locat. & conduct.*

GENTILIS. Nullus hoc capite juris error, ſed quæ referuntur detruncata & manca, non bona fide egiſſe Merillium, demonſtrant; pactum enim eſſe genus, & ſpeciem diverſo ſane obtutu, nemo, opinor, negaverit, abſurdum profecto, ſi in unum, idemque collineans dicatur genus, & ſpecies; ſanior Cujacio mens, *& pactum quidem in tranſactione*, *ait eſſe genus*, *in conventione ſpeciem*; Merillius dum loca mutila, & abſciſa refert, variaſſe Cujacium putat immerito, ſed locis ipſis ex fide relatis, una prorſus eademque ſententia conſtabit.

Triplicis illius conventionis in *l. conventionem ff. de pactis*, quæ juriſgentium eſſe perhibetur, vel parit actionem, vel exceptionem, ideſt, vel eſt contractus, vel pactum, contractus, aut habet cauſam, & nomen, actionemque parit propriam, veluti ex empto vendito, locato conducto, aut habet cauſam vacans nomine, & parit quidem actionem, ſed incertam civilemque in factum, in factum, ideſt in rem geſtam, civilem, ideſt ad inſtar actionis civilis ex contractu nominato, unum ſi excipias articulum, facio ut des, ex quo actio in factum prætoria, aut de dolo *L.* XV. *ad l. Falc. l. cum mota C. de tranſact. l.* VII. *De pactis l. naturalis* §. *quod ſi faciam De præſcriptis verbis*, *l. cum proponas C. de dolo*. Pactum autem ignotum pene juri civili, Prætoris authoritate exceptionem parit; hæc conventio proprie eſt duorum, pluriumve in idem placitum conſenſus, ideſt nihil niſi conſenſus, & præterea nihil, niſi nudus conſenſus *d. l.* 1. §. *& eſt pactio*, quo loco cum pactio omnino idem ſit, quod pactum, aut falluntur, qui diſcrimen ſtatuunt

Source : BIU Cujas

inter pactionem, & pactum, aut legendum est pactum, ne Ulpianus alius, quam pacti definitionem attuliſſe videatur, cum primo pacti originationem tradiderit.

Nunc ſe ſe ingerit quæſtio vetus, utri accedat tranſactio contractui, an pacto? Quædam contractum eſſe perſuadent, contra, nonnulla pactum. Veteres poſt Bartolum *in l. ſive apud C. de tranſaction.* contractum docuerunt eſſe innominatum; & eſt vulgo jam recepta ſententia, quam tamen Coraſius damnat 1. *Miſcel.* XXII. nominatum putans eſſe tranſactionem contractum; Cujacius vero *in d. l.* I. *& in d. l.* VII. *De pactis & in tit. Cod. de pactis* pluribuſque aliis locis, pactum docuit eſſe, non contractum, quod & Donello viſum eſt *in tit. C. De tranſ.* idque multis rationibus oſtendi poteſt. Neceſſe eſt itaque ut tranſactio, in quantum eſt pactum, comprehendatur ſub genere pactorum, unde fit ut pactum in tranſactione ſit genus, verum cum dividatur conventio in contractum, & pactum, conſequitur neceſſario comprehendi ſub genere conventionum, unde fit, ut pactum in conventione ſit ſpecies. Eſt ergo pactum, ſpecies & genus, ſpecies in conventione, genus in tranſactione.

Hæc ita cum ſint, ut ſubverti non poſſint, apparet ſtatim non aliter, atque aliter ſcripſiſſe Cujacium, ſed conſtanter docuiſſe reſpectu diverſorum, pactum eſſe genus, & ſpeciem. Sed jam loca integra proferamus, quæ manca, ut dixi, retulit Merillius. *Et ex d. paratit. De pactis* locus integer eſt: *tranſactio pactum eſt, quod fit inter duos, pluresve negotii, aut litis decidendæ cauſa, vel pactum, quo remittitur lis præſens, aut futura. Ex quo intelligitur, quam recte tractatui de cautionibus judicio ſiſti, ſint adjuncti tituli De pactis, & tranſactionibus, tranſactio eſt ſpecies, pactum genus*, &c. Vides hic tranſactionem eſſe pactum? conſequitur omnino pactum eſſe genus in tranſactione. Ita pariter *ex d. l.* I. *tit. De pactis* locus integer eſt, *conventio autem, quam συμβολὴν vocant, genus eſt, nam & pacta, & contractus conventiones ſunt, & hoc eſt quod ſequitur hac lege, conventionis verbum generale eſt, &c. quod ideo Ulpianus tradit, quia in edicto Prætor ait, pacta conventa; pacti igitur nomine expoſito reliqua erit conventi explicatio, & pactum quidem, ut diximus, ſpecies eſt, conventum genus, nam & pacta, & contractus conventa ſive conventiones ſunt.* Vides hic conventionem eſſe genus? & complecti pacta, & contractus, neceſſe eſt igitur, ut pactum ſit ſpecies in conventione. Hæc docet alibi & ſæpe x. *obſerv.* XXX. *&c.* ſed rei tenuitas, dubitatione remota, omni, amplius immorandi labore nos levat. Quæ tamen ad *tit. Cod. De pactis* ſcribit, quoniam rem proxime tangunt omittenda non ſunt; *eſt igitur*, inquit, *pactum genus, ſed ita tamen pactum vel pactio eſt genus, ut & occupare poſſit ſpeciei locum, non reſpectu ejuſdem, ſed alterius, quæ genera philoſophi dicunt ὑπαλληλα. Eſt etiam ſpecies pactum, eſt enim conventionis ſpecies.* Vide hoc ipſum ex Cujacio probantem Borcholten *cap.* 1. *De tranſact.*

MERILLIUS. *Pactum, ut eſt pactum nudum, eſt ſpecies conventionis; non eſt genus: nec tranſactio eſt ſpecies pacti, ſed contractus innominati, L. cum mota* VI. *C. de tranſactionib. & pactum nudum non eſt, cum aliquid datur, L. legem* X. *C. de pact. cum ſubeſt aliqua cauſa dationis, vel facti, d. L.* VII. *D. de pact. ſed eſt contractus innominatus.*

GENTILIS. Cum multa ſint, quæ docere poſſint, tranſactionem eſſe contractum innominatum, collecta late in *d. l. juriſgentium*, tres dumtaxat rationes adverſus Cujacium Merillius ſelegit. Primam *ex l. cum mota C. de tranſactionib.* ex qua putat oſtendi, tranſactionem non eſſe ſpeciem pacti, ſed contractus innominati, quod ibi dicatur præſcriptis verbis ex tranſactione agi poſſe; ſed reſpondetur facillime, præſcriptis verbis concedi quidem in ea *l.* actionem, verum ex negotio do, ut facias, non ex tranſactione. Eſt enim ſpecies de hac conventione, dabo partem bonorum, ut a lite diſcedas, te ergo diſcedente a lite, & ex parte tua implente placiti fidem; negotium eſt, non pactio, & hinc actio præſcriptis verbis, nec poteſt aliter fingi conventio, veluti, diſcedam a lite, ut des partem bonorum, eſſet enim articulus facio, ut des, & te implente ex parte tua, de dolo adverſus adverſarium competit actio *l.* v. §. *quod ſi faciam. De præſcriptis verbis*. Quod ſi ſtipulatio tranſactioni ſit ſubdita, ex ſtipulatu agendum eſt, *d. l. cum mota l. cum proponas Cod. de pactis*. Non eſt tamen id intelligendum de Aquiliana ſtipulatione, ut eſt error communis; hæc enim perimit priorem obligationem, infirmat potius, non confirmat; Cæterum omiſſa ſtipulatione, reque integra, nulla oritur ex tranſactione actio, ſed exceptio tantum; vetus enim actio perempta non eſt, quæ iterum proponi poteſt, *l. ſive apud Cod. de tranſact.* ſed propoſita tranſactionis exceptione elidetur *d. l. cum proponas*; non eſt igitur tranſactio contractus innominatus, ſed pactum; nec parit actionem, ſed exceptionem *d. l. ſive apud d. l. cum proponas*.

Secundam *ex l. legem* x. *Cod. de pactis*; ubi pactum nudum non dicitur, cum aliquid datur, ſed eſt utilis ad implementum condictio; nec igitur tranſactio, videtur colligere, eſt pactum. Sed eſt animadvertendum *in d. l.* x. pactum de reddenda dote, cohærere ſtatim ipſi dationi dotis, & genere quodam loquendi cenſeri eandem rem, quæ agitur. Id autem quod agitur, contractus eſt; nam dotis datio eſt contractus *l. contractus De Reg. Jur.* aut ſaltem ex parte dantis eſt hoc negotium do, ut reddas, do dotem, ut reſtituas, & inde actio utilis. In *d. l.* x. ſpecies eſt de eo, qui dotem pro alumna dedit, & ſibi reddi dirempto matrimonio pactus eſt, competet condictio utilis inſtar directæ actionis rei uxoriæ lex namque, quæ ei negotio dicta eſt, ſervanda eſt, quæ non ita format actionem, ut directa competat paciſcenti. Rei uxoriæ actio conſequendæ dotis cauſa ſoli mulieri competit, extraneo cuilibet nulli, qui ſibi reddi paciſcitur, matri nec etiam *l. avia. Cod. de jure dotium* ubi appellatur actio præſcriptis verbis, quæ dicta eſt utilis in *d. l.* x. Pater tamen pacto fruſtra cavet, & nulla eſt conventio, ni ſtipulatio interveniat. *D. l. avia*. Quod eſt optime conſtitutum, & ſapienter nimis, patris enim eſt, & dotem filiæ ſtatuere, & ſervare, non auferre temere, & pro arbitratu.

Tertiam ex *d. l.* VII. *de pactis* ibi, *in* §. II. *&* IV. expreſſum

expreſſum eſt, eſſe contractum, non pactum, cum ſubeſt cauſa præter conventionem, veluti dationis, vel facti; at tranſactio, videtur colligere, præter conventionem requirit amplius, ut aliquid detur, vel fiat. Nihil eſt, quod tam facile expediri poſſit, nempe in tranſactione, nec dationem, nec factum requiri, ut perficiatur; ſed præter conventionem de dando, vel faciendo nihil exigi ulterius, *d. l. tranſactio*, ergo ſi dictum ſit, dabo partem bonorum, ut a lite diſcedas, tranſactio eſt perfecta, nec tamen datio intervenit, nec factum, *d. l. cum mota. d. l. tranſactio*. ſunt hujuſmodi ſexcenta in libris juris, puta aliud fidejubere; aliud promittere fidejubere, aliud contrahere, aliud promittere contrahere, aliud vendere, aliud promittere vendere *l. ſi quis ita ſtipulatus ſit §. ult. de V. O. &c.* inde colligitur rectiſſime, tranſactionem eſſe pactum; cum nomen non habeat proprium, & legitimum, nec factum, dationemve requirat, quæ ſi diligentius perpendiſſet Coraſius, nuſquam tam imprudenter contractum nominatum tranſactionem dixiſſet.

An pacta incontinenti appoſita contractibus ſtricti juris, inſint etiam ex parte actoris.

CAPUT VIII.

ULPIANUS in L. Juriſgentium VII. *§. quinimo, D. de pact.*

QUinimo interdum format ipſam actionem, ut in bonæ fidei judiciis; ſolemus enim dicere, pacta conventa ineſſe bonæ fidei judiciis.

CUJACIUS *lib.* X. *obſervationum cap.* XXIV.

Docui in L. juriſgentium, §. quinimo, D. de pact. *male quoſdam colligere ex* L. petens C. eod. tit. *pactum ex continenti adjectum ſtipulationi, ineſſe ex parte actoris; quod loquatur* L. petens, *de ſtipulatione adjecta pacto, non e converſo, de pacto adjecto ſtipulationi: & recte, ſtipulatio enim, adjecta pacto obligat, pactum adjectum ſtipulationi non obligat. Et hac in re diſtat ſtipulatio maxime a contractu bonæ fidei; pactum enim emptioni adjectum ex continenti obligat*, l. venditor, D. commun. prædior. *& ſi obligat, ex eo etiam competit actio, ut ait* l. in bonæ fidei C. de pact. *non quidem propria actio quædam, ſed actio empti venditi; format enim, & præparat pactum actionem ipſam ex vendito, vel ex empto, potius quam pariat novam.*

Idem CUJACIUS aliter in prima expoſitione *L. lecta eſt. D. de reb. credit.*

Poſterior ratio hæc eſt, quia etiamſi concedamus illi; ſi demus, inquit, quod ille exiſtimabat, pactum ſtatim ſubjectum ſtipulationi prodeſſe tantum debitori ad exceptionem, & ipſo jure prima penſione non ſoluta ſortem totam peti poſſe: etiamſi hoc demus, quod tamen non obtinuit; quoniam ipſo jure pactum ineſt ſtipulationi, & ſtipulationem transformat ſtatim.

MERILLIUS. *Conventiones conſiderantur, vel ut ſunt contractus, vel ut apponuntur in ipſis contractibus; vel ut apponuntur ante, vel ſtatim poſt contractum, vel ut apponuntur ex intervallo poſt contractum. Siquidem apponantur contractibus bonæ fidei, partem faciunt contractus, & pariunt actionem ex eo contractu, cui inſunt, L. venditor* XIII. *D. comm. prædior. L. contractus* XXIII. *D. de regul. jur. Idem eſt, ſi ante, vel ſtatim poſt contractum, ſeu incontinenti apponantur contractibus bonæ fidei, L. in bonæ fidei* XIII. *C. de pact. & L.* VII. *§. quinimo. Sed ex hoc, quod Ulpianus dixerit, pacta incontinenti appoſita bonæ fidei judiciis ineſſe ex parte actoris, ſeu proficere ad actionem; pleriſque aliter viſum eſt in contractibus ſtricti juris, veluti in mutuo, & ſtipulatione. Stephanus Græcus Interpres ad L. rogaſti* XI. *§. ſi tibi decem D. de reb. credit. ſcripſit pacta in contractibus ſtricti juris incontinenti appoſita, ineſſe tantum ex parte rei, non ex parte actoris; id eſt, proficere tantum ad exceptionem, non etiam ad actionem.* Cujacius *hanc Græci Interpretis ſententiam ſecutus eſt in expoſit. hujus tit. ad L.* VII. *in §. quinimo: & lib.* X. *obſervationum cap.* XXIV. *quæ pluribus rationibus juvari poteſt. Prima eſt, quam Stephanus colligit ex d. L.* XI. *D. de reb. credit. ſi tibi decem dedero, ut undecim debeas, amplius quam decem peti non poſſe: ſcilicet, quia pactum mutuo adjectum non inſit ex parte actoris: ſi tibi decem dedero, ut novem debeas, non niſi novem peti poſſe: ſcilicet, quia pactum inſit ex parte rei. Alia ratio petitur ex verbis Ulpiani in §. quinimo: cum enim ait, pacta incontinenti adjecta bonæ fidei judiciis ineſſe ex parte actoris, aliud videtur conſtituere in contractibus ſtricti juris: ut pacta ipſis adjecta incontinenti non inſint ex parte actoris: veluti alias ſæpe judiciorum bonæ fidei facta mentione, judicia ſtricti juris excludunt. L. mora* XXXII. *§. in bonæ fidei, D. de uſur. & fructib. L. in actionibus* V. *D. de in litem jurand. Tertio, in L. lecta eſt* XL. *D. de reb. cred. pactum incontinenti ſtipulationi adjectum ineſt tantum ex parte rei, ut exceptio ipſo jure inſit; non etiam ex parte actoris, ut agere poſſit. Latini Interpretes, & Accurſius ad hunc §. quinimo, aliter ſentiunt; pacta incontinenti appoſita contractibus ſtricti juris, veluti ſtipulationi, ineſſe ex parte actoris, & ex parte rei, eorumque ſententiam* Cujacius *ſecutus videtur in prima expoſitione d. L.* XL. *D. de reb. credit. ubi ait, pactum incontinenti ſtipulationi adjectum ipſo jure ineſſe ſtipulationi, & ſtipulationem transformare confeſtim. Quod ſi verum eſt, pactum in continenti ſtipulationi adjectum inerit etiam ex parte actoris, & hoc magis admitterem.*

GENTILIS. Et nullus quoque hoc capite juris error, ſed eſt Merillio quæſita diligenter cauſa diſputandi, ut in fœcunda quæſtione pluribus adverſus Cujacium pugnaret argumentis. Eam Cujacius dicta *obſerv.* XXIV. *lib.* X. attingit quidem, ſed in *l. lecta de rebus creditis libro* III. *QQ. Pauli* tractat abunde, utrobique docet, pacta in continenti adpoſita contractibus ſtricti juris ineſſe *ex parte rei tantum*, non ex parte actoris, contractibus bonæ fidei, ineſſe etiam *ex parte actoris*, putatque id eſſe præcipuum ita in *d. l. lecta*, ut eo neglecto, nec legis ſententia, nec ratio poſſint iniri,

Source : BIU Cujas

iniri, eamque extitiſſe cauſam, cur Bartolus vetereſque fere omnes *lectam illam*, non intellectam pronunciarint; facileque diceres ejus ignoratione hoc eſſe caput Merillio concinnatum. Sed cum idem ſcribat ſupra *capite* IX. ad lectorem & III. *obſerv.* XXIV. nullus relinquitur hæſitationi locus, quin eo animo variantem hanc ſtruxerit interpretationem, ut integram Cujacii expoſitionem *d. l. lecta* convelleret & infirmaret, uſque eo, ut hujus rationibus ſimulata cauſa reſponderit; Verum priuſquam ad Merillii argumenta viam ſibi ſermo patefaciat, Cujacii in amicitiam loca adducamus.

Et locus quidem ex *d. cap.* XXIV. *lib.* X. *obſerv.* pacta ſtrictis judiciis ſtatim adpoſita probat ineſſe, ineſſe tamen ex *parte rei*, ut recte ad teſtimonium retulit Merillius; eſt tamen addendum eodem *capite* XXIV. Cujacium quæri, male opponi *legem lecta De rebus creditis & l.* IV. §. *ult. de pactis*, quaſi velint ineſſe etiam *ex parte actoris*, & duobus locis ſe contumacibus eas leges dolet expoſuiſſe fruſtra: *& lex lecta* (inquit) *De rebus creditis, ut duobus locis memini, me jam contumacibus expoſuiſſe fruſtra, ſimul ac lex* IV. *De pactis non hoc dicunt, ex pacto ſtipulationi adjecto ex continenti parari ſtipulatori actionem, ſed reo parari ipſo jure defenſionem, ideſt pro jure tutum eſſe reum, ipſo jure non eſſe in reum actionem.* Duobus locis inquit, cum *liber* X. *obſervat.* editus fuerit anno 1669. quo jam tempore ad Paulum ſcribebat, duo illa loca poſſunt intelligi, & in *d. l.* IV. *lib.* III. *Pauli ad edictum*, *& in d. l. lecta lib.* III. *quæſt. Pauli*, plures enim e recitationibus excerpſit obſervationes; ſed magis eſt, ut indicarit alterum in *d. l. juriſgentium* §. *quinimo*, & alterum in *l. ſi ita quis D. de verbor. obligat.* ubi oſtendit ex *l. lecta*, non poſſe colligi, pacta incontinenti adjecta contractibus ſtricti juris ineſſe ex parte actoris, & hoc quod ſcripſerat, præſertim in *d. l. ſi ita quis*, memorat in *l.* XIII. *De pactis*, *ex parte actoris non ineſſe pactum factum in continenti, niſi in judiciis bonæ fidei, ex parte autem rei ineſſe pactum factum in continenti, non tantum in judiciis bonæ fidei, ſed & ſtrictis*, & paulo poſt, *eodem modo dicendum eſt de lege lecta, nam lex lecta, cujus ſpeciem totam detexui quodam loco de V. O.*, is eſt in d. l. ſi ita quis, *non dicit pactum ſtipulationi adjectum in continenti ineſſe ex parte actoris, ſed ex parte rei*, *&c.* Cæterum adverſus Robertum non duobus, ſed multis locis ait, ſe *d. leg. lecta* reſpondiſſe. *Audes etiam adfirmare in contractibus ſtricti juris, pacta in continenti facta, parere actionem, idque confirmas ex* l. lecta *ſi certum petatur*, *&* l. CXXV. §. *Seja De V. O. & l.* XXVII. *De R. J. quibus maligne diſſimulas, te neſcire, ut dominus jam pridem reſponderit multis in locis, nempe hoc modo, pacta in continenti facta ſtipulationi ineſſe ex parte rei &c.* Idipſum probat in *d. l.* IV. §. *hujus rei*, & in *l.* XVII. *De pactis lib.* III. *Pauli ad edictum*, & in l. XXIV. *De præſcriptis verbis tractatu* VIII. *ad Africanum*; Adde & ad *Papinianum lib.* IV. *reſponſ. in l. inter ſocerum* §. *filia De pactis dotalibus*, in hæc verba, *& quod dicitur in l. lecta de rebus creditis pacta facta in continenti ſtipulationi ineſſe, hunc habere intellectum ea ipſa lex oſtendit, ut inſint ſtipulationi ex parte rei, ideſt, ut pariant exceptionem, non etiam ex parte actoris, ut pariant actionem*; Idem ſcribit *in l. nec ex prætorio De R. J.* Et ne ſim longior, eandem ſententiam firmat in *l. rogaſti* §. *ſi tibi decem De reb. cred.* ubi hanc Græcis attribuit, latinis vero illam, ut inſint etiam ex parte actoris; verba referamus, *ſed ex parte actoris alii etiam ineſſe dicebant, ut hodie latini interpretes; alii negabant, ut Græci, quorum ſententia verior eſt*; Denique in *d. l. lecta lib.* III. *Quæſt. Pauli* pro hac ipſa opinione, lege, & ratione pugnat, ab eaque, ut memini, pendere ait ejuſdem legis interpretationem, laudatque propterea ſolum ex Veteribus Caſtrenſem, qui id viderit, & aſſeveraverit (nam *Fulgoſius*, inquit, *eundem ſenſum afferre tentavit, ſed diffidenter, ſolus* Paulus Caſtrenſis *aſſeveravit*.

Eſt ergo Cujacii hæc opinio, pacta addita ſtatim contractibus ſtrictis non ineſſe ex parte actoris, ſed ex parte rei, ſive ut jocatur adverſus Robertum *loco cit.* ineſſe ex parte actoris, ut noceant, non ut proſint; ex parte autem rei ineſſe, ut proſint, & ita quidem, ut ipſo reus jure ſit tutus, neque eſſe opus, ut exceptio opponatur, ſed ipſa juris cenſura proficere, ut dicitur in *d. l. rogaſti* §. *ſi tibi*, ibi ſcriptum eſt ita. *Si tibi dedero decem ſic, ut novem debeas*, Proculus *ait*, *& recte non amplius te ipſo jure debere, quam novem.*

Verum ab hac ſententia diſceſſiſſe Cujacium contendit hoc capite Merillius & vult contrariam ſcripſiſſe in prima explicatione *d. legis lecta*, ibique docuiſſe, pacta adpoſita illico contractibus ſtrictis ineſſe etiam ex parte actoris; atque his Cujacii verbis movetur; *Quin etiam ſi concedamus, inquit, quod ille exiſtimabat, pactum ſtatim ſubjectum ſtipulationi prodeſſe tantum debitori ad exceptionem, & ipſo jure prima penſione non ſoluta ſortem totam peti poſſe, etiamſi hoc demus*, quod tamen non obtinuit, quia ipſo jure pactum ineſt ſtipulationi, *& ſtipulationem tranſformat confeſtim.* His igitur verbis, vult Merillius, exprimi pacta etiam ineſſe ex parte actoris, *ipſo jure ineſſe ſtipulationi, & ſtipulationem transformare confeſtim*; Res dictu mira illa ipſa expoſitione illis ipſis verbis, quibus Cujacius probat pacta non ineſſe ex parte actoris, velle ut docuerit, ex parte actoris ineſſe; & quantus juris interpres Merillius? & tamen ignoraſſe diceres, quid ſit ineſſe ſtipulationi & transformare ſtipulationem ex parte rei, aut ex parte actoris; inſunt ex parte actoris, cum huic præbent actionem ex contractu, vel præſcriptis verbis; inſunt ex parte rei, cum ipſo jure relevatur reus; utroque modo contractum transformant, recte ergo Paulus, recte Cujacius in *d. l. lecta*, pactum ineſſe ſtipulationi, eamque transformare confeſtim, *ſed ex parte rei, non ex parte actoris*; Hoc erat in diſputatione præcipuum, hoc quærebatur in auditorio Papiniani, inter Paulum & Ulpianum, ſive quiſquis ille fuerit, qui Paulo contradixit, an pactum ineſſet ipſo jure ex parte rei, an per exceptionem; & ineſſe Paulus, ille autem ad exceptionem dumtaxat proficere, *itaque* Cujacius ibidem, *hoc tantum dicit author hujus legis, pactum ſubjectum ſtipulationi in continenti ei ineſſe ex parte rei debendi tantum, ut ſcilicet ei ipſo jure proficiat, non etiam*,

tiam, ut præbeat creditori actionem ex ſtipulatu, vel præſcriptis verbis ; & ut videas quam fuerit diligens hoc capite Merillius, concludit Cujacius eodem loco ; *hoc enim poſtremum ex hac lege nullo modo colligi poteſt* ; nempe id erat poſtremum adnectere, *ineſſe etiam ex parte actoris*. Immutat igitur ſtipulationem pactum, ſed *ex parte rei*. Transformat, *ſed ex parte rei*, ineſt, *ſed ex parte rei*, quod tam crebro Cujacius repetit in *d. l. lecta*, ut pudeat loca tranſcribere, ſed & illud eſt diligentiæ Merillii ſpecimen inſigne, quod citet *primam expoſitionem*, tamquam extet altera Cujacii dictæ legis lecta *expoſitio* cum multis lectionibus, unica tamen expoſitione interpretatus ſit illam *lib.* III. *Quæſt. Pauli ; & hæc*, inquit, *in præſenti lectione ſufficiant ; & in extremo ; hæc velim addi iis, quæ ante tradidimus ad d. l. lecta*. Primæ ſcilicet lectioni, non primæ expoſitioni.

Cujacii igitur locis jam in concordiam adductis, ſola ſuperſunt Merillii argumenta, ut probent ineſſe & ex parte actoris pacta in contractibus ſtrictis, adverſus Græcos adverſus Cujacium.

MERILLIUS. *Et probatur manifeſto ex L. petens.* XXVII. *C. de pact. ex ſtipulatione agi poſſe, ſive anteceſſit pactum, ſive poſtea ſecutum eſt. Propter pactum datur actio, quod ſtipulationem ſecutum eſt, quaſi ſtipulationi inſit ; Igitur pactum, quod incontinenti ſtipulationi adjectum eſt, etiam ex parte actoris. Si quæ dubitatio eſt, cur pactum ſtipulationi adjectum non inſit ex parte actoris ; ea eſt, quod non continetur verbis ſtipulationis, & ſequatur ſtipulationem : at nihilominus parit actionem, d. L.* XXVII. *C. de pact.*

GENTILIS. Primum e pharetra Merillii emiſſum telum retuſum omnino eſt. Dicta *lex petens* eſt de ſtipulatione ſubjecta pacto, non de pacto ſubjecto ſtipulationi ; hæc ſive antecedat, ſive ſubſequatur pactum, ea quæ placuerunt, robore & actione firmat ; Id oſtenditur verbis reſcripti ; *petens ex ſtipulatione, quæ placiti ſervandi cauſa ſecuta eſt ſeu anteceſſit pactum, ſeu poſt ſtatim interpoſitum ſit recte ſecundum ſe ferri ſententiam poſtulat*. Non eſt idem in pacto ſtipulationi ſubjecto, nam ad agendum inefficax, ex parte rei ſolum ineſt, illique prodeſt dumtaxat, qua in re *Antonii Fabri* ingenuitatem licet demirari ; Hic cum Cujacium nominatim reprehendat in rationalibus ad *d. l. lecta*, eidemque multa objiciat, fatetur tamen *d. l. petens* inepte opponi, nec ex illa probari poſſe, pacta ineſſe & ex parte actoris in contractibus ſtrictis ; *Illud tamen poſt Caſtrenſem*, inquit, Cujacius *bene notat, nihil ad hunc tractatum pertinere, quod ſcriptum eſt in l. petens C. de pactis, ibi enim agitur, non de pacto in continenti poſt ſtipulationem adjecto, ſed de ſtipulatione interpoſita, ſervandi placiti cauſa*. Placuit referre, ut Merillio, Fabrum pro Cujacio opponerem. Is Cujacii locus, ſi quis, deſiderat, eſt in *d. l. in bonæ fidei Cod. De pactis*, quamvis, & alibi repetat.

MERILLIUS. *Præterea, ſententia Pauli obtinuit, in d. L.* XL. *D. de reb. credit. qui dicebat, pactum incontinenti ſtipulationi adjectum ineſſe ſtipulationi ; at ſi ineſt, non minus ineſt ex parte actoris, quam ex parte rei : Nam idem eſt pactum ineſſe contractui, & contractu contineri, hac L.* VII. §. *adeo, & L. pacta* LXXII. *D. de contrahend. emption. Sed cum pactum contractu continetur, ex eo agi poteſt, d.* §. *adeo : igitur ſi pactum inſit ſtipulationi, inerit etiam ex parte actoris.*

GENTILIS. Secundum telum eſt brutum, & nullo metuendum ictu, jactum antea a Duareno poſt Veteres ; Pauli, inquit, ſententia obtinuit in *d. l. lecta*, ſententia Pauli hæc fuit, ut pactum ſtipulationi ineſſet ; ineſt igitur, ex parte actoris, & ex parte rei, ſed eſt in promtu reſponſio, ineſſe quidem, verum ex parte rei ſolius, non ex parte actoris, eam fuiſſe Pauli ſententiam, ut paulo ante dictum eſt, eamque obortam lecta cautione quæſtionem. Quæſtio enim fuit hujuſmodi, an pactum ineſſet ex parte rei, pactum inquam, quod ſtatim ſubjectum eſt de ſolvenda ſorte per partes, promiſerat enim reus ſe totam fortem ſoluturum Kalendis proximis, verum illico placuit, ſubdito pacto ſtipulationi, ut ex ea treceni menſtrui denarii ſolverentur. Hoc pactum ineſſe ait Paulus, & reo proficere ipſo jure ad uſurarum petitionem, nec poteſt ullo modo colligi, ineſſe ex parte actoris, cum id in quæſtionem adductum non fuerit : hoc ſi Merillius ignoravit, quod præcipuum eſt in *d. l.* ignoravit ; ſed pactum, inſtat, quod contractu continetur, ad agendum eſt efficax, *d. l.* VII. §. *adeo* ergo & pactum, quod ſtipulationi ineſt ſiquidem ineſſe contractui & contineri contractu paria ſunt. Verum in luto hæſitat eodem ; reſpondetur enim pactum contineri contractu eo modo, quo ineſt, addatur in continenti contractui bonæ fidei, continetur, & ineſt ex parte actoris & parte rei. Addatur illico contractui ſtricti juris, continetur, & ineſt, ex parte rei, non ex parte actoris ; & hoc ſibi velle Ulpianum in *d. l.* VII. §. *adeo*, ex ipſo paragraphi contextu elicitur liquido.

MERILLIUS. *Et quænam eſſet ratio diverſitatis, ut pactum ineſſet ex parte actoris, & impediret actionem ; & non ineſſet ex parte actoris, ut actionem pareret ? At in d. L.* XL. *debitor propter pactum incontinenti adjectum ſtipulationi, tutus fuit exceptione ipſo jure ; ita ut creditoris actionem impediret. Si pactum ita transformat ſtipulationem, ut actionem impediat ; ita etiam transformare debet, ut actionem pariat : ſi ineſt ex parte actoris, ut actionem non habeat, ineſt etiam ex parte actoris, ut ad actionem proficiat. Denique Paulus in d. L.* XL. *D. de reb. credit. ait pactum incontinenti ſtipulationi adjectum, perinde valere, ac ſi P. Mævius ſtipulatus eſſet : ſed ſi P. Mævius ſtipulatus eſſet, ex ſtipulatione agere potuiſſet : igitur ex pacto incontinenti adjecto agere potuit. Finge, P. Mævius ſtipulatus erat a Titio quindecim millia reddi poſt annum ; poſtea incontinenti pactum ſtipulationi adjectum eſt, ut Titius quindecim millia Kalendis proximis redderet : Ex hoc pacto Mævius adverſus Titium agere poterit, & quindecim millia Kalendis proximis petere ; quia pactum incontinenti adjectum perinde eſt, ac ſtipulatio: id eſt,*

Source : BIU Cujas

ideſt, non minus ineſſe creditur ſtipulationi, quam ſi ſtipulationis verbis comprehenſum eſſet. Et ut pactum incontinenti adjectum ſtipulationi parit actionem ex ſtipulatione: ita pactum incontinenti adjectum mutuo parit actionem. L. frumenti XII. *C. de uſur. Nec quidquam intereſt, ſi intereſt, ſi in ipſa dationem fructuum acceſſionem præſtari conveniat; an ſtatim poſt dationem. Igitur ſive pacta in continenti ſtipulationi adjecta ſint, ſive mutuo, etiam ex parte actoris inſunt.*

GENTILIS. Tertium Merillii argumentum nulla vi intenditur, promptaq; reſponſione declinatur, nempe illam eſſe rationem diverſitatis, quod non ſint iidem contractus ſtricti juris, qui bonæ fidei, & multa Judici in his permittuntur, quæ denegantur in illis, ea vis eſt formulæ, authoritatiſque prætoriæ, cum igitur longe inter ſe diſſitos plerumque animadvertamus, æqua interpretatio facit, ut etiam in hac quæſtione diſcrimen agnoſcamus, inde fit, ut ſi pactum in continenti ineſt ex parte actoris, & parit actionem in contractu bonæ fidei, non idem ſtatuamus in ſtricti juris contractu, ſiquidem pacta ex intervallo adpoſita, quandoque inſunt ex parte actoris, & ex parte rei contractibus bonæ fidei, *l.* VII. §. *adeo De pactis*, at neutra ex parte inſunt contractibus ſtrictis, pactum vero ſtatim adpoſitum contractibus bonæ fidei ineſſe ex parte actoris, ideſt, parere actionem, expreſſum eſt in *d. l.* VII. §. *quinimo etiam*, inquit, *ex parte actoris inſunt*, conjungit enim vox illa *etiam* reum, & actorem, vultque ineſſe, & ex parte actoris, quæ inſunt pacta, ex parte rei in contractibus bonæ fidei, ergo non inſunt, nec actionem pariunt ex parte actoris in contractibus ſtrictis; Aliter reſpondet Donellus in *l.* III. *Cod. De pactis*, quod pacta in continenti in contractibus bonæ fidei, ſint veluti pars contractuum, illiſque contineantur, quod, non eſſe in ſtrictis pluribus rationibus oſtendit.

Quæ ſequuntur objecta *ex l. lecta*, una litura delenda ſunt. Monuimus enim ſupra quæſtionem eam fuiſſe, an pactum ineſſet ex parte rei, & ineſſe obtinuit, & quidem ipſo jure, quod quid eſt aliud, quam non ineſſe ex parte actoris? Non uno modo hic fallitur Merillius *finge*, inquit, *Mævius ſtipulatus erat a Titio quindecim millia reddi poſt annum, poſtea in continenti pactum ſtipulationi adjectum, ut Titius quindecim millia Kalendis proximis redderet; ex hoc pacto Mævius adverſus Titium agere poterit, & quindecim millia Kalendis proximis petere*, imo non poterit agere ex hoc pacto pactum hujuſmodi non ineſt ex parte actoris, non ſtipulationem transformat, non ſtipulatione continetur, ea Pauli ſententia eſt, in *d. l. lecta*, ex parte tamen rei ſtipulationem transformat ſtatim, ineſtque ipſo jure, quod, & in mutuo obſervare licet, nam pactum de reddendis undecim, numeratis decem, ex parte actoris non ineſt, pactum vero de reddendis novem, numeratis decem, ex parte rei ineſt, *d. l.* XI. *De rebus creditis*; nec movet dicta lex *frumenti Cod. de uſuris*, ubi ex nudo pacto frumenti, vel hordei acceſſio præſtanda eſt, non movet inquam, cum propria ibi ſit ratio, ut mox latius dicemus.

MERILLIUS. *Non movet in contrariam ſententiam ratio Stephani Græci Interpretis, ex d. L.* II. *D. de reb. credit. Titius decem Mævio dedit, & convenit, ut Mævius undecim redderet; Titius non niſi decem petere poteſt: non quia pactum non inſit ex parte actoris, ſed quia mutuum re contrahitur, nec pacto poteſt contrahi ultra, quam datum eſt, L. ſi tibi* XVII. *D. de pact. L. cum ultra* IX. *C. de non numerat. pecun. Niſi in iis rebus, quarum pretium incertum eſt, d. L.* XII. *& L. oleo.* XXIII. *Cod. de uſur. at ſemper pecuniæ æſtimatio certa eſt. Finge præterea, Titius decem dedit Mævio, & convenit, ut novem redderet; Titius non niſi novem petere poterit: non quia pactum inſit ex parte rei, ſed quia Titius Mævio novem credendi animo, & reliquum donandi animo dediſſe intelligitur.*

GENTILIS. Suavia ſane verba ad ridendi materiam, pactum de reddendis undecim datis decem, non valere, quia mutuum fit re, non pacto, nec poteſt contrahi ultra id, quod numeratur, pactum de reddendis IX. datis decem valere ideo, quia creditor unum donare cenſetur, & cur quæro, non eſt eadem ratio in priore ſpecie, cenſeri ſcilicet debitorem donare unum tamquam ad ἀντίδωρα obligatum; quod rectius, & æquius affirmari poſſe videtur, ex *l. ſi non ſortem*, initio, *De condictione indebiti*, ubi uſuræ indebitæ ſortis indebitæ, ſi fuerint ſolutæ, non repetuntur ex antidotali obligatione, ſi vera eſt Latinorum lectio, Græci legunt *debitas*, detracta negatione, & Harmenopulus *lib. 3. tit. De uſuris*, uſuras debitas, τοκοῦς κεχρεωστημένους. Video quid opponat, nempe mutuum fieri numeratione rei, ultra pacto non contrahi, at ego non contendo, ſed nonne *idipſum recta in* Merillium intorquetur? ſi non valet pactum in XI. datis decem, quia in X. contractum eſt mutuum, ſolaque X. debentur, nec valet pactum in IX. datis decem, quippe X. in mutuum numerata ſunt, & decem omnino debentur, utrumque concludit ratio Merillii, utroque modo eliditur mutuum, ſolida ergo ratio erit, quod pactum in IX. ineſt ex parte rei, & ideo ſubſtinetur, pactum in XI. ineſſet ex parte actoris, & ideo collabitur. Et pueriliter ſane Antonius Faber, in *d. l. lecta*, comminiſcitur diſcrimen pacti addentis, & pacti detrahentis, & ſcribit pacta detrahentia admitti, & recipi, rejici vero, & expelli pacta, quæ addunt, indeque fieri, ut pactum in IX. valeat datis decem, non valeat in XI. Pueriliter ſane, quippe diſtinctio illa pacti in detrahens, & addens, recepta eſt tantum in contractibus bonæ fidei, *l. pacta De contrah. empt.* nuſquam legitur in contractibus ſtrictis, nec eſt locus in libris juris, ubi liceat invenire, & fruſtra adlabores ſi quæras, nam in contractibus ſtrictis nunquam inſunt pacta ex intervallo, ſive detrahant, ſive adjiciant, in contractibus vero bonæ fidei quandoque inſunt, cum detrahunt, & inde locus diſtinctioni in hujus generis contractibus.

MERILLIUS. *Non movet etiam, quod Ulpianus in hoc §. differentiam quandam ſignare voluerit, inter contractus bonæ fidei, & contractus ſtricti juris: quia differentia non eſt inter hos, & illos*

Source : BIU Cujas

& illos contractus, circa pacta incontinenti apposita, quæ insunt contractui; eodem enim modo insunt, & ex parte actoris, & ex parte rei. Sed est differentia circa pacta ex intervallo apposita, quæ quandoque insunt contractibus bonæ fidei, hac L. VII. §. adeo, & d. L. LXXII. D. de contrab. empt. At nunquam ex intervallo inesse possunt contractibus stricti juris, puta, mutuo, stipulationi. Non est differentia, quod aliter insint his, & illis contractibus, sed est differentia, quod quandoque contractibus bonæ fidei ex intervallo facta inesse possint; nunquam vero ex intervallo contractibus stricti juris inesse possint. Denique in d. L. XL. D. de reb. credit. pactum incontinenti factum stipulationi inesse creditur, id est, perinde habetur, ac si stipulatione comprehensum esset; igitur non minus ex parte actoris, quam ex parte rei inest.

GENTILIS. Respondet Cujacio, qui omnibus pene locis, quos dedimus, eo utitur præcipue argumento, & tam sibi placet in hac responsione Merillius, ut illa etiam utatur *d. l. III. observ. XXIV.* suppresso tamen Cujacii nomine, adversus Stephanum Græcum interpretem, sed amans veritatis ingenium animadvertet statim, in *d. §. quinimo* agere Ulpianum de judiciis bonæ fidei primo, & de pactis, quæ his insunt ex continenti, deinde de pactis ex intervallo, quinimo, inquit *format ipsam actionem ut in bonæ fidei judiciis, solemus enim dicere, pacta conventa inesse bonæ fidei judiciis.* Hoc, quia subobscurum videri poterat, dilucidum reddidit, nempe tunc inesse, cum ex continenti pactum est subsecutum, *sed hoc ita accipiendum est, ut si quidem ex continenti pacta subsecuta sint, etiam ex parte actoris insint.* Cum sermo fuerit de bonæ fidei judiciis institutus, consequens est, ut illa, *etiam ex parte actoris*, intelligamus conjunctim, *& ex parte rei* in judiciis bonæ fidei, *l. in bonæ C. De pact. in* bonæ fidei contractibus *ita demum ex pacto actio competit, si in continenti fiat*, ergo his insunt pacta ex continenti utroque modo, ex parte actoris, & ex parte rei, non igitur insunt utroque modo in judiciis strictis, sed ex parte rei dumtaxat, & inde non possunt peti usuræ ex pacto, quamvis in continenti adjecto in *l. Titius De præscriptis verbis, in l. III. C. de usuris*; rectissime, ut quemadmodum est discrimen in pactis ex intervallo appositis, eadem ratione sit hæc differentia admittenda inter bonæ fidei, strictosque contractus. ut paulo ante dixi; nec aliter Authores nostri loquuti sunt; sane Græci constanter, cum de pacto egerint ex continenti, inesse quidem docent ex utraque parte, sed in bonæ fidei judiciis addunt expressim, ut Stephanus aliique *in Basil.* Harmenopulus etiam *lib. I. tit. XI. De pactis*, τυποῖ τὴν ἀγωγὴν ὡς ἐπὶ τῶν καλῇ πίστει δικαστηρίων, scripserat antea, ἐν ἀρχῇ δὲ γειόμενον initio, in ingressu.

Sed separandum est in hujus quæstionis controversia mutuum, quod eo genere rerum constituitur, quas species appellamus, veluti frumentum, hordeum, inest enim huic mutuo pactum ex continenti, transitque in contractum, & parit mutuatori actionem, ut in *d. l. frumenti C. de usuris* Nec longe abest ratio, quippe pretium incertum est, fieri potest, ut crediti tempore magno constent, contra solutionis parvo, hæc ratio incerti pretii fecit, ut pactum inesset ex parte actoris cum mutuum alioquin sit stricti juris; & hæc eadem ratio extorsit, ut hujusmodi usuræ esse possent graviores *l. XXIII. Cod. eodem, Novell. XII.* quæ ratio est plana, & verissima, habetque locum, ut dixi in his rebus, quas supra retulimus, in frugibus, & ut scriptum est in *l. XXVI. C. eod. in datione specierum*, τῶν καπρῶν Græci malunt, & non recte Salmasius *De modo usurarum* putat, id eo esse statutum, quod hujus generis mutuum speciem exhibeat emptionis venditionis, quid est hoc, quod scripsit? nisi omnem evertere jurisprudentiam, turbatisque juris regulis, contractum, qui re celebratur, trahere in contractum, qui fit consensu, sed quis non peccet in arte non sua? male etiam Faber distinguit inter fœnus, & accessionem, tanquam accessio possit peti in frumento, & id genus speciebus, non possit autem fœnus, ex pacto addito in continenti, quod fœnus sit odiosum, & citra stipulationis vinculum non debeatur. Male omnino, si quid mei judicii est, nam in contractibus bonæ fidei fœnus debetur ex pacto, citra stipulationis vinculum, si pactum subsequatur confestim, cur igitur fœnus, ex eodem pacto in his debetur, in strictis contractibus non permittitur, nisi addas stipulationis vinculum? Si ratio sumenda est ex odio fœnoris, illi etiam locus esset in contractibus bonæ fidei. Sed, & illud summam Fabri ostendit peritiam, quod fœnus trajectitium ex nudo pacto debetur, quemadmodum, & in argentariis receptum est *l. In quibusdam VII. De nautico fœnore*, jure singulari, fateor, sed non erant hæc omittenda subtilissimo interpreti, tam audacter scribenti *hactenus autem odiosæ sunt usuræ, nempe fœnebres, ut ex nudo pacto, quamvis incontinenti appositio deberi non possint*, verum hæc alii excusabunt, vel sine delectu scriptum dicent, illud autem quis ferat, omnes *DD.*, præcipue Cujacium in explicanda *d. l. lecta* fuisse deceptos, non observato discrimine, inter stipulationem, cæterosque contractus stricti juris; *sed quod præcipites egit omnes interpretes, præcipue vero Cujacium illud est, quod differentiam, quam attulimus inter stipulationem, cæteros; contractus stricti juris non observarunt.* Hæc turbidus juris interpres in Rationib. *ad. dic. legem lecta*; & inde colligit, pactum in continenti additum stipulationi inesse ex parte actoris, & rei, non idem esse in reliquis contractibus strictis, *quippe*, inquit, *constat pactum verbis & consensu, non minus, quam stipulatio, nec aliter differunt, quam in animo stipulandi, aut paciscendi, & in solemnitate verborum, quam requirit stipulatio, non etiam pactum*; Hoc erat illud, quod omnes DD. præcipue Cujacius ignorarunt, pacta fieri verbis, & consensu, animoque paciscendi, stipulationes verborum solemnitate constare, animoque stipulandi, sed est monendus tam pulchræ, & absconditæ doctrinæ repertor prima juris elementa ejus animo excidisse, omnesque contractus consensu celebrari, tam differre pactum a stipulatione, quam a reliquis contractibus, denique contractus omnes fieri verbis, & consensu *l. I. §. conventionis De pactis l. in omnibus De obligation. et action.* hinc illis

Source : BIU Cujas

qui consentire plerumque nequeunt contrahere denegatum *l. in negotiis De Reg. jur. &c.* Illud interest, quod certis perscriptisque verbis consensus declarandus est, certaque forma, hæc contractum a contractu disterminat, prorsus, ut pactum tam distet a stipulatione, quam ab aliis contractibus, siquidem ab illa secernitur verborum solemnitate, ab emptione venditione pretio, a mutuo rei numeratione, a societate rerum communione, verbis interea, & consensu constant omnes, *d. l. prima §. adeo autem. Ex his vero concludamus*, sunt Cujacii verba, *nullum esse locum in jure, quo probatur pactum factum in continenti inesse stipulationi ex parte actoris, quoniam inest duntaxat ex parte rei.*

An procurator ex re domini sibi stipulando, domino acquirat actionem.

CAPUT IX.

PAPINIANUS in l. quod procurator. LXVIII. *D. de procuratoribus.*

QUod procurator ex re domini, mandato non refragante stipulatur, invito procuratore dominus petere potest.

CUJACIUS ad lib. III. Responsor. Papiniani, in *L. quod procurator* LXVIII. *D. de procuratorib.*

Apparet loqui Papinianum de procuratore, qui sibi stipulatus est ex re domini; alioqui non posset cedere actionem: & cessionis significatio inest illis verbis, invito procuratori: *atque ideo non loqui Papinianum de procuratore, qui domino stipulatur.* Et postea. *Tota quæstio est de procuratore, non qui domino stipulatur, sed qui sibi stipulatur.*

Idem CUJACIUS aliter in *tit. De verbor. obligat. ad L. si procuratori* LXXIX.

Per liberam personam nonnunquam utiles actiones parantur nobis, si quid sibi procurator præsentis stipuletur: quod ita intelligendum est, si ex re, & ex negotio domini stipuletur. Alioquin, si quid extra rem domini sibi stipuletur, domino præsente nullam ei parabit actionem, nec enim res procuratoris quidquam habet commune cum re domini; & ob id recte mihi videtur a quibusdam accepta de procuratore præsentis, L. quod procurator, sup. De procuratorib.

Idem scripsit in not. Digestor. ad *L.* LXVIII. *D. de procuratorib.*

MERILLIUS. *Græci Interpretes hanc L.* LXVIII. *intelligunt de procuratore, qui ex re domini, si-*

A *bi non domino dari stipulatur. Finge: Titius procurator Mævii pecuniam fœneravit Sempronio, & usuras hujus pecuniæ sibi dari stipulatus est. Græci legunt, inserta negatione, Mævium usuras hujus pecuniæ petere non posse, nisi Titius Mævio actiones mandaverit. Græcorum sententiam refert Cujacius ex lib.* VIII. *Basilicon, tit.* II. *in recitationib. ad lib.* III. *Respons. Papiniani, ex quo sumta est d. L.* LXVIII., *eamque multis rationibus tuetur: sed præcipuæ sunt, quod per liberam personam actio nobis acquiri non potest, L. solutum.* XI. *§. per liberam. D. de*
B *pign. act. L. stipulatio.* XXXVIII. *§. alteri* XVII. *D. de verb. oblig. L. quæcunque* XI. *D. de obligat. & actionib. Tum quia hæc verba, invito procuratore, inferunt cessionem actionum: at si procurator domino stipulatus esset, non posset cedere actiones. Igitur dicendum est procuratorem sibi, non domino stipulatum fuisse, & dominum petere non posse, quod in stipulationem deductum est; nisi procurator domino actiones cesserit. Latini vero Interpretes aliter hanc L.* LXVIII. *intelligunt de procuratore, qui ex mandato, & ex re domini, ipsi domino præsenti dari stipulatur. Finge: Titius procurator Mævii præsente Mævio,*
C *nec refragante, aut vetante, dedit mutuam pecuniam Mævii, & stipulatus est usuras: Mævius invito Titio usuras pecuniæ petere poterit; (ita legunt, ut in Pandectis Florentinis, absque negatione,) invito Titio, ideſt, etsi Titius Mævio actiones non cesserit. Ratio illorum est, quod cum præsens fuerit Mævius, ei utilis actio ex stipulatione acquiratur. L. si procuratori.* LXXIX. *D. de verb. oblig. Nec enim sufficit Titium ex re Mævii stipulari, ut ei acquirat; sed & præsentem esse Mævium, d. L.* LXXIX. *nec mandatum refragari, hac L.* LXVIII. *ideſt, Mævium, non vetare, aut contradicere. Latinorum sententiam retulit Accursius ad hanc L.* LXVIII. *eamque probat Cujacius in exposit. tit. de verbor. obligat. ad d. L.* LXXIX. *& in notis Digestorum, ad hanc leg.* LXVIII. *quam & magis probarem;*
D *quia licet regulariter per procuratorem nobis actio non acquiratur, tamen quandoque acquiritur, L. per procuratorem.* LXXII. *D. de procuratorib. ut in stipulationibus Prætoriis, L. in omnibus.* V. *D. de stipulat. Prætor. Sed hac potissimum ratione, quod Græci negationem inferant in d. L.* LXVIII. *quæ deest in Pandectis Florentinis, & aliis Codicibus vulgatis: nec temere negationes, quæ contrarium sensum inducunt, sint admittendæ.*

GENTILIS . . . . . .

Ab ungue Leonem.

Source : BIU Cujas

JACOBUS CUJACIUS
VINDICATUS

In interpretamento L. pen. Cod. ad L. Corneliam de Sicariis

ADVERSUS

Quaſdam conjecturas JACOBI RÆVARDI: JACOBI GOTHOFREDI; & GERARDI NOODT.

TUM

Contra nuperum ejuſdem L. Expoſitorem.

Opuſculorum hujus libelli conſpectum averſa pagina exhibet.

Source : BIU Cujas

I.

Cæſaris Guaraſii JC. Expositio *In L. penult. Cod. ad l. Corneliam de Sicariis* adverſus Jacobum Cujacium.

II.

Philippi de Caro Thomæ filii: Paſchalis Roſſi: Franciſci Pirò: Lucii Capozuti: Vincentii Celentani: Joſephi de Leo: Nuncii Coccii: Antonii Sarnelli: Joſephi Petruzelli: & Bernardini Capozuti Dispunctio ad Cæſarem Guaraſium pro Jacobo Cujacio in expoſitione ejuſdem legis.

III.

Dominici Albanenſis Vindiciæ pro Jacobi Cujacii ſententia *In interpretatione L.* Si quis necandi *penult. Cod. ad L. Corn. de Sicariis* adverſus Jacobum Rævardum: Jacobum Gothofredum: Gerardum Noodt; Cæſaremque Guaraſium.

Source : BIU Cujas

CÆSARIS GUARASII J. C.

CONSENTINI, ATQUE AGATHENSIS PATRICII

EXPOSITIO

In L. pen. C. ad L. Corn. de Sicar.

ADVERSUS

JACOBUM CUJACIUM

SERTORIO GUARASIO

JURISCONSULTO CLARISSIMO

JOSEPHUS PALMERIUS

S. P. D.

QUi virtutis, atque bonarum litterarum est cupidus, is profecto ibi sit oportet, ut earum incrementum, atque studium in aliis promoveat. Quod quidem, quum alienos commendat; eos vero, qui consanguinitate sunt proximi, quibusque suorum credita est institutio (opus sane magnum atque mirificum) maxime facit honestissimos. Namque ex Plutarcho, *Nihil majus, nihil præstabilius homini libero educatione, eruditione congrua, & debita excogitari possit.* Ego quidem, nedum consilium tuum in eo laudavi, verum etiam suspexi, quod filii tui illa Dissertatio in toto tibi fuerit probata, quum dignam putasti, quæ per formas emitteretur, duorum vitiorum, alioqui negligendorum, rationem non habens; sermo enim nonnihil est quaesitus; ordo autem non satis accuratus: eo nimirum consilio, ut videretur esse suo sibi marte. Hoc sane pacto, sapientis, qui vere es, speciem prætetulisti; tuum enim filium adhuc juvenculum, fervidum in studia animum quum patefecisset, laudari oportuit. Adolescentibus namque eximio ingenio instructis, quum laudantur, copia fit crescendi, atque illustriora spectandi. Tibi ergo gratulor, mi Sertori, quod stirpem alis tam præstantem, cujus fructus spes elucet, quæ nos non frustrabitur; ab ipso enim ea sedulo irrigatur, & colitur. Deum precor, te ut prosperet, tuæque gratiæ me permitto. Vale.

U. J. D. ac Pauperum Patrono Citerioris Calabriæ, Constantium Academiæ Principi, ac Civitatis S. Agathæ Rhegiensis Patricio Sertorio Guarasio Cæsar Filius obsequentissimus.

S. D.

NOsti Genitor amantissime, quid contigerit, cum ego inter studendum considerarem Textum juris Romani in L. pen. Cod. ad L. Corn. de Sicar. vidisti enim me fluctuantem, & agitatum super Legis perdifficilis intellectu: & cum jusseris, ut Cujacium consulerem, parui statim: inventaque in doctissimo Interprete explicatione, hæc magis, magisque ita ingenium meum contorsit, ut (licet tremebundus) male explicasse Virum insignem putaverim: quod vix, & summis labiis tibi ausus sum proponere, qui risu primum excepisti: verumtamen, textu, & Interprete bene, serio, & diligenter perspectis; & ERRORE vere comperto, taliter me commendasti, ut mandaveris, Dissertationem super ea re per me faciundam. Hoc jussu obstupui ego, & quasi ingemiscens silebam, nihil de viribus meis confidens, vix impubertatem egressus. At, heus tu! exclamasti, ne timeas; ego enim, & ordinem, & methodum dabo, librosque perquirendos. Quamobrem, timore demisso, & paterno imperio obtemperans, studui, diu elaboravi, opus mediocriter, ut non

Source : BIU Cujas

ignoras, conſummavi. Nec diffiteor, & ERROREM Viri clariſſimi, & veram, genuinamque Legis interpretationem in propatulo poſuiſſe. Mea nunc ferret opinio, typis evulgare in gratiam veritatis, & ſi minimam, & male ornatam, Diſſertationem meam. Sed adeo vereor de hoc, & de permiſſu tuo ſermonem inſtituere, ut calamum quaſi fugere videam; ſcio enim, quam ab hoc propoſito abhorreas; nam, etſi varia, & valde utilia, & egregia opuſcula, acri, & longo labore, multiſque vigiliis compoſueris, Hiſtoriam nempe Chronologicam Juris civilis Romanorum, Inſtitutiones Feudales ad veram normam civilium, & Fundamenta Juris civilis deprompta ex tit. Digeſtor. de Regulis juris; nihilominus, non ſolum inutiles fuere amicorum impulſus pro eorum publicatione, verum & eam mihi tam rigide vetuiſti, ut fidem cum ſacramento exegeris, ne luci darem poſt obitum tuum (quem Deus Opt. Max. abeſſe faciat). Ut ergo mihi hac vice permittas, de tuaque in hoc ſeveriſſima diſciplina ad utilitatem publicam aliquid relaxes, te Pater digniſſime reverenter oro, & exhortor. Vale.

Cæſari Guaraſio Juris Civilis Profeſſori, & Filio dilectiſſimo Sertorius Pater.

S. D.

VIdi, & perlegi Diſſertationem tuam, Nate dulciſſime, & dulce decus meum. LAPSUS Viri clariſſimi evidenter apparet; atque, ni fallor, optime Legi aptatur, & vera videtur interpretatio tua, de quo lætatus ſum nimis, gratiaſque ſummo Deo egi, & agam ſemper, quod immature quidem de te, ac de tuo litterario progreſſu mihi argumenta miniſtret. Maximum boni publici præſidium eſt veritas. Quapropter, nec tua licet, nec mea talia ſint, ut prælo digna eſſe poſſint; verumtamen in veritatis obſequium tibi, tuiſque votis aſſentior, ea lege adjecta, ut prius, & videant, & probent Viri doctiſſimi. Age interim, proſequere ſtudia tua ea cura, & methodo, qua incepiſti. At, ſuper omnia timor Domini ſit in corde tuo, te circumſepiat, in te veteraſcat; memorans, quod ſine vera ſapientia, quæcunque ſcientia hujus Mundi, ſtultitia eſt. Vale.

OBSTUPEBUNT quidem literariæ Reipublicæ Cives, cum viderint, qualem, & quantam provinciam aſſumpſerim ego, qui, tribus non expletis luſtris, Jacobi Cujacii locum audacter expugnare præſumpſi. Illius Cujacii dicam, ſola cujus nuncupatio obſequium, & venerationem parat; & qui non Gallis ſolum ornamentum facit, ſed cunctam Europam ejus nomine, & fama implevit? Quapropter videbitur prodigioſe colluctari cum Gigante Pygmæus. maximuſque ſtupor excreſcat, cognito, per manum nimis imbecillem patefactum ERROREM illum, qui vel latuit doctum Joannem Robertum; hic enim lividus Æmulus, immo detractor acerbiſſimus Cujacii, quærens nodum in ſcirpo, ut eſt in proverbio, inter tot errores, quos in eum notare nixus eſt (quamquam non feliciter ut plurimum) HUNC VERUM INEXCUSABILEMQUE NON VIDIT. Sed quoniam veritas ſemper praevalere debet, & huic ſummum, præcipuumque ſtudium dirigitur; libenter operi accingor, & præmiſſa veneratione inſigni Auctori debita, qui tam bene, copioſe, & egregie ſcripſit: nec mirum, ſi in uno erraverit, teſte Horatio *de Art. v.* 360. qui & de magno Homero loquebatur,

Verum opere in longo fas eſt obrepere ſonum:

quoad imbecillitas mea ſuſtinebit, aperiam manifeſtum ERROREM, in quem Vir magnus lapſus fuit, exponendo textum *in leg. ſi quis necandi, penultima Cod. ad leg. Corn. de Sicar.* cum explicatione FALSA, ET ERRONEA, non ſolum eruditionis ratione, & hiſtoriæ, ſed etiam in ſenſu legali, literalique: ita ut oportet credere, vere eam dormitantem produxiſſe celeberrimum illum hominem.

Imperatores Valens, Valentinianus, & Gratianus ita Probo reſcripſerunt *in leg. pen. Cod. ad leg. Cor. de Sic.* ſunt præciſa textus verba: *Si quis necandi Infantis piaculum aggreſſus, aggreſſave ſit, ſciat se capitali ſupplicio eſſe puniendum.*

Nullius fere admirationis eſſe debet, Baldum, Accurſiumque peſſime in hoc abberraſſe: dicente primo: *aggrediens infantem, cauſa occidendi, punitur, ut homicida; & gloſſante ſecundo* (riſum teneatis amici?) *infantis, qui nondum eſt natus, vel etiam ſi natus ſit: piaculum; hoc eſt crimine* (1) *piandum; vel quod pietatem promovet: aggreſſus, etiam ſi non necavit &c.* Quoniam, ut omnibus manifeſtum eſt, erant hi NUDI, ET SIMPLICES LEGULEI: quinimmo prorſus expertes tum hiſtoriæ tum eruditionis. Sed quod celeber, inſignis, eruditiſſimus Jacobus Cujacius poſt eos abierit, & tam GRAVITER ERRAVERIT; hoc quidem maximæ admirationis eſt: utque hoc pateat, in primis afferre noſtrum erit interpretationem, quam duobus in locis, ſemperque ſimilem ille dedit textui ſupradicto; ut deinde, manuducta demonſtratione, oſtendam, nullo modo poſſe eam ſubſtineri, inſpecto ſenſu tum literali, tum legali, & multo minus juxta ſaniorem eruditionem.

Explicat ille igitur textum noſtrum non minus *in libro ſexto Obſervationum cap.* 21. de occiſo infante; quam *ad nonum librum Codicis tit. decimo ſexto ad l. Corn. de Sicar.* imponi ab illis Imperatoribus ultimi ſupplicii pœnam contra Infantis occiſorem.

Propria ejus verba in primo indicato loco ſunt, *Imperatores capite puniendum cenſent eum qui infantem occiderit leg. pen. ad leg. Corn. de Sic. qua pœna etiam plectitur qui virum occiderit.* Homi-

(1) Scribere voluit Guaraſius SANGUINE, ut eſt lectio Accurſii.

Source : BIU Cujas

Homicidas enim lex ultore ferro perſequitur: de infante DUBITARI POTERAT (verba hæc ſignis duplicibus demonſtrata bene ſunt denotanda) *quoniam lex Cor. ait qui hominem occiderit ; & inde crimini nomen homicidium ſive viri cædem ; ſimili modo de fœmina dubitari POTUIT: infans, homo nondum eſt: Fœmina item proprie non eſt homo leg. ſi quis aliquid §. qui abortionis ff. de pœnis. Sed ut in leg. Julia, & Papia hominis ſignificatio augetur a juriſconſultis leg. hominis ff. de verb. ſignif., ita & in leg. Cornelia ut fœminam quoque demonſtret, & infantem d. leg. pen.; nam Homerus Iliade 23. eis verſibus qui referuntur in leg. aut facta ff. de pœnis, infantis cædem ſive viri cædem vocat ; Sed per abuſionem Euſtachius inquit his verbis :* quæ verba tamen ex græco latino idiomate tradu-ta ſunt , & per hæc verba ſonant : *puerum occidens non perfectum hominem; aliter enim hominis cædes, aliter pueri cædes dicitur per ſignificationem totius ex parte hominis ; viri occiſor enim qui ſimpliciter hominem occidens ; ſive puer fuerit occiſus, ſive adoleſcens, ſive mulier ;* Et eodem in loco Cujacius proſequendo ait , *ſic Æ-dicto Publiciano, hominis appellatione continetur etiam infans leg. cum Sponſus §. Publiciana ff. de Publiciana in rem actione.*

In poſteriori autem prænotato loco Cujacii verba hæc ſunt, *Hæc lex homicidia, capitali pœna coercet ; & ait generaliter qui hominem occiderit, & ideo cujuslibet conditionis hominem comprehendit : non dicit , ut lex Numæ,* qui hominem liberum dolo malo ſciens morti duit ; *ſed qui hominem occiderit : proinde cujuslibet* (2) *conditionis hominem comprehendit , etiam ſervum , & peregrinum , qui fuerit occiſus leg. 1. §. & qui hominem ff. eodem tit. leg. inde Neratius §. ſi dolo ff. ad leg. Aquiliam ; Imo , & cujuſcumque ætatis infantem , ſeu imperfectum hominem leg. pen. Cod. hoc tit. & generaliter quoque quemcumque hominem qui occiderit , modo fuerit pubes , aut impubes doli capax &c.*

Ecce quot in ERRORIBUS hæc explicatio involvitur ; ego dico , nunquam in homine ratiocinante cadere poſſe tam impropriam ſententiam noſtræ legi affictam ; & primo quomodo eo ſenſu in quo ab Auctore PESSIME uſurpatur , verbum *aggredior* pro *invadere* ſumi poteſt? quoniam nullo modo poteſt denotare occiſionem infantis: Immo ſequeretur aggreſſionem , ſive invaſionem eſſe erga piaculum , non infantem : habente textu : *Si aggreſſus ſit piaculum infantis &c.* Neque invaſio dicit ex neceſſitate occiſionem : quæ res ex ſubſequenti verbo *necandi* ſignificatur in textu: ſed in ſenſu præparatæ, aut futuræ necis, non autem præſentis, ſive etiam alterius violentiæ, quæcumque invaſio accipitur.

Verbum *piaculum* ALIUD NON DENOTAT, NISI SACRIFICIUM , prout opportuno loco clare patebit auctoritate inſignium , & claſſicorum Scriptorum.

Præmiſſo igitur, quod verbum *piaculum* ſignificet Sacrificium; ſumendo illud verbum *aggredior* in ſenſu invadendi; ſequeretur illud tam horribile inconveniens, quod omnino veracem offendit hiſtoriam, & eruditionem : fuiſſe nempe (ut ex neceſſitate dici deberet) ab ea lege impoſitam capitalem pœnam contra Invaſorem præparati Sacrificii infantis; ita ut pœna tam aſpera foret puniendus quicumque diſturbare, atque impedire auderet tam horrendam oblationem : quaſi leges, pœna ſuperindicta, illam ſartam tectam conſervare voluerint : quando, tenentibus Romanum Imperium Chriſtianis Imperatoribus, in maxima abominatione habebatur; immo uſque a temporibus Adriani rigidis pœnis hujuſmodi impia Sacrificia fuerunt prohibita , ut apud doctiſſimum Vives ad Divum Auguſtinum de Civitate Dei lib. 7. cap. 19. lit. C. Nec non apud noſtrum Janum Vincentium Gravinam *lib. de Legibus, & Senatuſconſultis pag.* 346. Ulterius conſequeretur & merito , ſub hac mortis pœna voluiſſe conſummationem hujus horrendi, & prohibiti Sacrificii Imperatores Valentem , Valentinianum , & Gratianum , qui & ſi Arrianorum Fautores , non tamen Idolorum Cultores, ſed Chriſtiani fuere , ut habemus *ex Cod. Theodoſiano ſub tit. de Maleficis, & Mathematicis .* Et en quomodo in hoc juxta Auctoris ſenſum in Hiſtoriam peccatur , communiter , & ubique comprobatam; cæteros omittendo, nos monet etiam Heinnecius *cap. 5. de Statu juris a Conſtantino Magno pag.* 387. Hæc occurrebant quantum ad ſenſum literalem pertinet , unde excurrunt ERRORES , de quibus hactenus effuſe actum eſt. Sed paulatim ſermonem vertamus ad alium perſcrutandum non minus GRAVEM ERROREM, inſpecto ſenſu legali.

Et primum, cum abſolutum ſit, quamcumque legem a ratione dubitandi ortum habere , atque ad eam tollendam Sanctionem conſiſtere : videamus modo dubitandi rationem a Cujacio aſſumptam in interpretatione, quam dare ei placuit noſtræ Legi, *ſi quis necandi &c.*

Ille igitur (& hic memorare eſt verba ſuperius ſignis denotata) pro dubitandi ratione aſſumit ad ſuam firmandam explicationem , quod nempe hæſitari potuiſſet, an infantis occiſio, tanquam non adhuc perfecti hominis, plectenda foret mortis pœna. Nec tam FALSA, neque magis ERRONEA ratio præſupponi poterat ; & ad eam deſtruendam ſufficit ſolum obſervare inter leges Divinas, humanaſque, & apud omnes optimos Auctores , inter quos eſt doctiſſimus Antonius Matthæus mox citandus, pro certo eſſe , capitali, & ultima dignum eſſe pœna abactorem fœti (3) animati , qui, cum non adhuc viderit mundi lucem, eſt infinite minus perfectus homo infante jam nato. Septuaginta Interpretes Sacri Codicis ſuper textum Moyſis Exodi cap. 21. 22. ita hæc habent : *Si rixati fuerint viri, & percuſſerint mulierem prægnantem, exieritque fœtus ejus, ſi quidem informis, multa multabitur : ſi vero jam formatus, dabit animam pro anima. Juriſconſultus in leg.* 38. §. *qui abortionis ff. de Pœnis. Matthæus tit. 5. cap. 1. de Partu abacto nu.* 2. quinimmo (quod mirum valde eſt) Cujacius ipſe immemor ſui ipſius, & ejus quod viriliter, ſolideque ſcripſerat, & ſuſti-

(2) Voluit dicere Guaraſius CUJUSCUNQUE , ut Cujacius inquit.

(3) Voluit dicere Guaraſius FŒTUS.

Source : BIU Cujas

ſtinuerat *in Obſervationibus lib.*15.*cap.*1. (4) debere mortis pœna puniri reum abacti partus, ſequentibus elegantiſſimis verbis ex Tertulliano quem citat: *Homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci: nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet: homo eſt, & qui eſt futurus: etiam fructus omnis jam in ſemine eſt*: immemor, inquam, ejus, quod ipſemet egregie tradidit, pro tuenda interpretatione a noſtra lege penitus extranea, aſſumpſit pro ratione dubitandi, utrum occidens infantem, veluti non perfectum hominem, pœnam capitalem ſubire debeat; at ubi nam eſt hic dubitandi occaſio? Si homo eſt etiam futurus homo; non ne homo erit infans jam natus, & præſens, jam Reipublicæ membrum conſtitutus? Si igitur eſt pœna ſupplicii ultimi ſtatuta contra reum abacti partus, pro ut ſolidis fundamentis, ſolitoque egregio ſtylo idem confirmat doctiſſimus Auctor; quid nam aliis erat opus legibus quoad infantem occiſum? Quoniam ſi bene ponderetur, eſt centies, immo millies levius homicidium per abactionem partus, quam illud infantis jam nati, qui jam Reipublicæ civis, & membrum eſt, nec amplius utero incluſus, in quo ſive abortu, ſive alio caſu deficere poterat: ex quo bene dignoſcitur, non ſolum circa ſenſum literalem, hiſtoriamque cucurriſſe aberrationem, verum etiam quantum ad ſenſum legalem pertinet, hoc eſt circa rationem dubitandi, quæ FALSISSIMA EST, EXTRANEA, ET INCONGRUA, ut pro mea imbecillitate aperui, ad hoc ut patefieret undique interpretatio, non vera, & impropria, quam præfatæ Legi, *ſi quis necandi*, vir magnus adſtruxit.

Cum itaque ſit viſum, FALSISSIMAM hujuſmodi interpretationem eſſe, operæ pretium erit inveſtigare & aperire, quænam ſit vera, & quæ juxta literam, legalemque ſenſum, veracem hiſtoriam, & eruditionem ſit ei aptanda. Ideo ad eam tranſeo, quam reor veram eſſe, propriam, ac textui genuinam explicationem. Opinor igitur, Imperatores Valentem, Valentinianum, & Gratianum aliud in ea lege non ſenſiſſe, niſi ſtatuere ultimi ſupplicii pœnam contra quemcumque hominem, qui incipere, & attentare auderet barbarum, nefandumque Sacrificium alicuius infantis jam jam expoſiti pro victima mendacibus offerenda Diis: & hoc juxta uſum antiquæ, & ſeveræ prohibitionis Romæ habitæ uſque a temporibus Adriani Imperatoris, & ſucceſſive ab aliis Imperatoribus confirmatæ.

Ad meam tuendam explicationem ſolidiſſimis argumentis oſtendam, omnem aliam habere in eo loco ſignificationem voces, *aggreſſus*, & *piaculum*, quibus uſi fuere tres Legislatores, quam illam, perperam, & inconſiderate a doctiſſimo Auctore uſurpatam. Et quantum ad verbum, *aggredior*, primo loco id certiſſimum eſt, non denotare invaſionem ſolum, quo ſenſu Cujacius male aſſumpſit, ſed ſumi apud optimos Auctores in ſenſu etiam *incipiendi*, *ſe accingendi*, *ſuſcipiendi*, pro ut, omittendo Dictionaria, quæ pluſquam clariſſime hoc indigitant, habemus apud Salluſtium in illis verbis: *naturam loci vincere aggredior*: & pariter apud Ciceronem de Officiis: *omnibus*

(4) Voluit ſcribere Guaraſius lib.19.cap.9.

A *in rebus priuſquam aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens*. Sed ut verba legum Romanarum ipſis Romanis legibus percipiamus, quæ melior, & aptior auctoritas illa Domitii Ulpiani in l. 1. ff. ad l. Jul. de Adulter. ubi hæc habet? *Si non legem prodidiſſe dicatur, ob hoc, quod aggreſſus accuſationem Adulterii, deſtitit*; en quomodo Ulpianus voce, *aggreſſus*, in proprio noſtro ſenſu *ſuſcipiendi* in hac Lege uſus fuit.

Nomen vero, *piaculum*, quod voci infantis adhæret expers certe eſt ſignificatione illa, quam Accurſius inepte produxit, eam legem gloſſando; verumtamen apud Latinos meliores non aliud denotat, niſi Sacrificium. Et quod ita res ſe habeat, doctiſſimus Roſinus in ſuis Antiquitatibus pag. 41. litt. A. adducit locum Catonis *de Re ruſtica*, quo verbum hoc bene percipitur, explicaturque, dum de porci ſacrificio ſermo erat, dicendo: *Ejus rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, ut ſies, volens propitius mihi, domo, familiæque meæ, liberiſque meis. Harumce rerum ergo macte hoc porco piaculo immolando eſto*. Et hujus rei meminit etiam Plinius *in lib.* 12. diligens Calepinus quoque in hac ſe firmat ſignificatione, afferendo verſus Virgili, & Horatii; Virgilii verſus *in ſexto Æneidos* eſt ſequens

. . . . *ea prima piacula ſunto.*

C Secundi, ideſt Horatii verſus *in primo libro Carminum Od.* 28.

Teque piacula nulla reſolvent.

Gullielmus Stuchius clariſsimus Auctor in ſuo Tractatu *de Gentilium Sacrificiis pag.* 148. in noſtra firmatur opinione, ideſt, proprium eſſe ſignificatum verbi, *piaculum*, Sacrificium; non ſolum citatos adducendo verſus Horatii, Virgiliique, ſed ſequentes Plutarchi adjungens; *mene piaculum oportet fieri propter ſtultitiam tuam, ut meum tergum ſtultitiæ tuæ ſubdeat ſuccidaneum; ideſt oportet ne tuam ſtultitiam mea pœna expiari?* porro quid clarius in his verbis Plutarchi deſiderari poteſt.

D Cum itaque viſum fuerit, qualis nam ſit proprius, veruſque ſenſus earum vocum *aggreſſus*, & *piaculum*; hinc ejus Legis naturalis, & purus ſenſus inſurgit: velle nempe puniri capitali pœna eum, qui audeat incipere, & jam præparavit infantis ſacrificium mox pro victima perituri: ſenſus verbis proprius, uniformiſque barbaro mori omnium ferme Gentilium ſacrificandi falſiſſimis Deitatibus miſerrimos præcipue infantes; ſubminiſtrantibus etiam Sacris litteris millia luctuoſa exempla talium iniquorum Sacrificiorum, ut paulo poſt notabitur, per inhumanam cædem tot miſerabilium innocentium in eorum tenera, & inculpabili ætate, modoque inhumano, & crudeli; quoniam, ut a E viris probatæ fidei habemus, reponebant miſerum puerulum, junctis manibus, intra quaſdam concavas ſtatuas, ſtolaque involutum a perfidis excogitata, ut ad incendium eſſet apta, & ita enorme, horrendumque compleretur Sacrificium, talem innoxiam vitam eorum falſis Numinibus offerendo, pro ut habetur a citato Gullielmo Stuchio de Sacrificiis Gentilium pag. 42.

Non ſolum, ut dixi, recognoſcitur in his Sa-

Source : BIU Cujas

Sacrificiis iniquitas, ſed ſtultitia etiam per maxima, quæ in modo præſertim circa animalium ſacrificia verſabatur; & hujuſmodi ineptorum ſacrificiorum diviſio hæc erat. Alia enim animata, ut animalium communium, inanimata, ut plantarum, frugum &c., mixta, animalium, plantarumque, nobis tradit idem Stuchius de Gentilium Sacrificiis pag.43.rurſus addendo & aliam diviſionem: animalium nimirum ratione utentium, ut hominum, & ratione expertium, ut beſtiarum: confirmando ibi, quod ſupra a nobis dicebatur, iniqua hominum Sacrificia divina Lege eſſe ſevere prohibita, tum in libro Levitici, tum in libris Deutoronomii, & Regum infra cum aliis etiam a nobis citandis.

Uſitatiſſimum vero, & magis frequens erat, ut proſequitur idem Auctor, ſacrificare infantes Diis gentilibus plurimis in Libyæ locis; & ita, ut dici poſſet, hunc iniquum, impiumque ſacrificandi modum in conſuetudinem abiiſſe: & nihil mirandum, ſi ſevera Lege Valentis, Valentiniani, & Gratiani opus fuerit, actu proximo maleficio dumtaxat inſpecto, pro ut ejus iniquitas a Legiſlatoribus ſolet exigere. Sed non ſolum, ut refert contra eos ſcribens diligentiſſimus Plinius, ſacrificabantur ab ipſis Gentilibus infantes, ſed integri quoque homines: res quippe inhumanior, atrociorque juxta egregium Tullium in Oratione pro Frontejo. *Quis ignorat ad hanc diem retineri illam barbaram, & immanem conſuetudinem hominum immolandorum?* Porphyrius, comprobando quod dixi, ait: *apud Rhodios in honorem Saturni mactabatur* XII. *Kal. Decembris homo; quod cum perdiu ſervatum fuiſſe, in conſuetudinem abiit.*

Ex eodem, in citato loco, Stuchius refert, alteram tamen horrendam conſuetudinem ab Ægyptiis Eliopolis ſervatam ſacrificandi in Deorum honorem in unaquaque die tres homines. Similiter non parum proclives erant ad hoc immane piaculum Lacedæmones; ſed hoc, comparatum ſi fuerit impiæ Ariſtomenis conſuetudini, nihil profecto eſt. Ea enim erat, ut a Philone Hiſtorico admonemur, ſacrificandi uno in momento tercentum homines.

Diverſa tamen Taurorum conſuetudo, qui pro piaculo faciundo advenas, quibus, & honor, & omnis humanitas exhibenda eſt, ſacrificabant. Proclives Laodicæi erant ad iniquum infantis virginis ſacrificium; alii ad illud captivorum inclinabant, eos per centurias dividendo, & tot in honorem Martis jugulabant, quot capiendo unum ex ſingulis centuriis, collegiſſent.

Ex quo maxime patet impia proclivitas horum Gentilium in ſimilibus ſceleribus perpatrandis, ſacrificando pro more, & diverſitate regionum, modo homines, modo virgines, advenas, captivos, plantas etiam, boves, aliaque animalia. Sed maximum, & præcipuum ſcelus; ex quo ad immolandos miſerrimos infantes faciliores erant, ut nobis tradunt Stuchius de Gentilium ſacrificiis mox citato loco, doctiſſimus Vives in additione ad Divum Auguſtinum de Civitate Dei *lib. 7. pag. 86.*, Plutarchus *tom. 1. pag. 529.* Roſinus *de Antiquitate pag. 146.* fuitque magnum nefas taliter dijudicatum, ut multi ipſorum Gentilium tales immolationes deriderent, abominarentur, deteſtarenturque velut ineptas, & ſceleſtiſſimas, ut oſtendit Plutarchus citato loco *pag.* 530., qui in iis derendis his utitur verbis. *Stultum porro eſſe numina putare quædam, quæ cæde, & ſanguine hominum delectentur. Et profecto ſi ſint aliqui talis generis, nihil eos poſſe, contemnendos fore. Abſurdas enim has eorum, & immanes cupiditates impotentia, vel animi malitia proficiſci.*

Et hæc quidem, & non alia fuit ratio, quæ merito impulit Imperatores ad pœnam capitalis ſupplicii comminandam, contra attentantes enorme pueruli ſacrificium. Hæc ſi animadvertere voluiſſet; pro ut NOLUIT inſignis, oculatiſſimus Auctor, in ſcopulum, in quo vere fataliter reperitur, non incidiſſet.

Sed proh Deum Immortalem! quando omnia defeciſſent, atque hiſtoriam de Gentilium Sacrificiis fuiſſet dedignatus purgatiſſimus oculus; non ne vel in Sacris paginis millia habebat ſincera monumenta hujuſmodi immanis infantium Sacrificii? Forſan graviſſima flagella ignorabat, quibus manus Omnipotentis armata, de talibus impiis piaculis ſeveriſſima ſumpſerat ſupplicia, ita ſanguinem innoxium tot miſerabilium puerulorum vindicando? loca Scripturæ quamplurima ſunt, ſed ſequentia adnotare ſufficiat. *Levitici* 18. 22. *Deutoronomii* 18. 10. *Regum lib.* 2. 32. *Sapientiæ* 14. 33.

Sed quod maximam admirationem parit, illud eſt, Virum excellentiſſimum, qui merito dici poteſt Hiſtoriæ, & Legalis eruditionis emporium ne quidem animadvertiſſe, annos fere biſcentum quinquaginta, ante Flavios, Valentem, Valentinianum, & Gratianum conditores noſtræ Legis penultimæ Cod. ad L. Cornel. de Sicar. uno ex celebrioribus Senatuſconſultis ſevere vetita, & proſcripta fuiſſe hujuſmodi horrenda Sacrificia in toto Orbe Romano tempore Adriani Imperatoris, ut diſerte nobis tradit Vir clariſſimus noſter Janus Vincentius Gravina de *Origine juris tit. de legibus*, & *Senatuſconſultis pag.* 346. Adrianus enim, ut cunctis eſt obvium, regnavit anno Urbis conditæ DCCCLXIX. Valens vero, Valentinianus, & Gratianus anno Urbis conditæ MCXX. regnavere.

Nec Romæ defuere poſt Adrianum ſimiles pœnales juſſiones, & præcipue, ut habemus ab Henrico de Coccejo ad Grotium lib. 2. cap. 20. §.47. litt.Y. Y. tempore Claudii Imperatoris, qui & per centum annos in Imperio præceceſſit Valentem, Valentinianum, & Gratianum. Quinimmo cœptum fuiſſe interdici tali genere Sacrificii ab Auguſto, & Senatusconſultum factum de ea re fuiſſe anno Urbis conditæ DCLVII., Publio Licinio Craſſo, & Gneo Cornelio Lentulo Coſs. nobis tradit Ludovicus Vives ad Divum Auguſtinum de Civ. Dei lib. 7. cap. 19. Quodque Romani poſt Adrianum ſemper perſequuti fuerint impias hujuſmodi immolationes, ſat ſit pro omnibus Hugo Grotius *de Jure belli, & pacis lib. 2. cap. 20. §. 47. num. 5.* En ejus verba: *nec minus illi, qui Deos colunt hominum innocentium ſanguine, a quo more, quod Chartaginenſes abſtinere coegerit, laudatur Darius Perſarum Rex, & Gelo Syracuſarum Tyrannus, narrat & Plutarchus barbaros quoſdam, qui humanis victimis Deos colebant, pœnas daturos Romanis fuiſſe, ſed cum antiquitate moris ſe excuſarent, nihil mali paſſos; vetitos tamen, ne quid in poſterum tale facerent.*

Hi

Source : BIU Cujas

Hi ergo ad compescendam hominum audaciam, ut pote qui, non obstante severitate antiquissimi Senatusconsulti, aliarumque legum posteriorum, proni adhuc Romani videbantur ad easdem fœdissimas immolationes, vim Senatusconsulti augentes, earum solum CONATUM, capitali pœna proposita, interdixere in dicta Lege penult. Cod. ad Legem Corneliam de Sicariis. Hoc voluere, hoc voluisse debuerunt Imperatores, qui licet Arriana labe infecti, Christiani erant, ac subinde nefandorum Sacrificiorum persecutores. Et Cujacii interpretatio, ut supra visum est, geminate habita de occisione infantis, & de pœna ibi statuta contra infantis occisorem UNDIQUE FALSA redditur, & nulla ex parte substineri potest. In ea enim Lege, non de infante necato sermo est, sed de infante necando per enormis, & jamdiu prohibiti Sacrificii præparationem verbo illo *aggressus* plane, & evidentissime denotatam, ita cum supplicio, etiam simplicis conatus pœnam, quæ ex antiquo Senatusconsulto erat, augendo.

Nec defendi unquam potest, quod hujusmodi præparatio, infantis occisionem jam secum ferebat; tum quia hæc inductio necessaria non est, cum multa perfectionem criminis impedire valeant, & pessima Logica esset: præparata fuit infantis cædes, ergo fuit infans occisus; tum quia alioquin de pœna Sacrificii, non vero occisi infantis, in quo figit pedes auctor, juxta hanc interpretationem textus esset intelligendus, pro ut vere intelligendum esse, satis, ut credo, fundavimus: de attentato nempe, & dispositio infantis Sacrificio, in augmentum antiquæ pœnæ, ad quod inverecunda, immanisque criminis frequentia traxit Imperatores. Si ad hæc dignatus fuisset tantisper oculum admovere Vir clarissimus, atque ad ea, quæ ex littera, ex historia, & eruditione adlatæ interpretationi fortiter resistunt, omni dubitatione cessante, ab ea recessisset.

Hæc mihi occurrebant, quantum ad veram, propriamque interpretationem textus in Leg. pen. Cod. ad Leg. Cornel. de Sicar. circa quam nescio, quo fato PESSIME se habuit Vir maximus ille, & præceptor, qui omnia scivit, & perenne dedit lumen Romanis Legibus. Tu lector humanissime non severo excipias supercilio, sed ætati indulgens, meum æquo animo suscipe laborem.

Ita fiet, ut saltem ab humanitate tua vires quasdam accipiat oratio mea. Scio enim Zoilos non defuturos, & amara fronte mihi objurgantes: quis tu, ut Cujacii locum corrigere, & reprobare præsumas? Sed utique, vobis etiam, obsequentissimus respondeam ego. Verumtamen, non quis scripserit, sed quid scriptum fuerit attendentes, dijudicate.

JACOBUS RÆVARDUS

LIBER III. CONJECTANEORUM.

CAPUT I.

QUi hominem occidit Lege Cornelia de Sicariis tenetur cap. 1. ad Legem Corneliam de Sicariis: ergo & qui Infantem occidit: Infans enim homo est; idque adeo verum est, ut mulierem visceribus suis vim inferrentem, quo partum abigeret, interpretatione justa legi etiam Corneliæ obnoxiam esse Veteres voluerunt cap. 8. d. Tit. Quanto igitur magis, quæ Infantem occidit: qua de re Tertullianus in Apologetico ita ait: *nobis vero homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur dissolvere non licet: homicidii festinatio est prohiberi nasci, nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet: homo est, & qui futurus est, & fructus hominis jam in semine est:* & in Octavio, Minutius felix: *sunt* inquit, *quæ in ipsis visceribus medicaminibus epotis originem futuri hominis extinguunt, & parricidium faciunt, antequam pariant:* & Cicero pro Cluentio: *memoria teneo Milesiam quandam mulierem cum essem in Asia, quod ab heredibus secundis accepta pecunia, partum sibi ipsa medicamentis abegisset, rei capitalis esse damnatam, nec injuria, quæ spem parentis memoriam nominis sustidium generis, heredem familiæ, designatum Reipublicæ civem sustulisset:* & quia hoc exemplum pro Lege laudat Triphoninus, addens insuper mulierem post divortium visceribus vim inferentem temporali exilio mulctari Principes voluisse cap. 39. de Pœnis; quis credat eo tempore Infanticidio nullam fuisse pœnam irrogatam? Non est quod sibi persuadeat aliquis, primos Valentinianum, Valentem, & Gratianum Imperatores videri constituisse, ut is qui Infantem occidit capite puniretur, cap. penult. C. de Lege Cornelia de Sicariis: illud enim Rescriptum quædam ambigui intellectus verba continet, ex quibus ambigua, & incerta eruitur argumentatio; sic enim Imperatores scribunt. *Si quis necandi Infantis piaculum aggressus aggressave sit:* Piaculum DUPLICEM admittit significationem; scelus, piaculum est, ut apud Virgilium. *Distulit in seram commissa piacula mortem* Sacrificium item denotat, ut apud eundem Virgilium Æneidos VI.

Duc nigras pecudes, ea prima piacula sunto.

Hæc si vera sunt, necandi igitur Infantis piaculum, tam de singulari Sacrificio, quo a parentibus Infantes immolabantur, quam de vulgari quovis Infanticidio accipi potest, præsertim, quum sic in Octavio scripserit Minutius Felix: *Saturnus filios suos, non exposuit, sed voravit*, merito ei in nonnullis Africæ partibus a Parentibus Infantes immolabantur, blanditiis & osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immolaretur; & Tertullianus in Apologetico: *Infantes* inquit, *penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad Proconsolatum Tiberii, qui eosdem Sacerdotes in iisdem arboribus, Templi sui obumbratricibus sce-*

lerum,

Source : BIU Cujas

lerum, votivis crucibus expoſuit; ſed & nunc in occulto perſeverat hoc ſacrum facinus: Hæc Tertullianus. Ad hujuſmodi Sacrificium, ut credam, necandi Infantis piaculum hos Imperatores referri voluiſſe, variis adducor conjecturis; certo enim certius eſt hujuſmodi Infantium immolationem PIACULUM dici, nam ſic non Valentinianus dumtaxat, ſed Lactantius etiam illud Sacrificium appellat lib. 1. cap. 21. his verbis: *Peſcennius Feſtus in libris hiſtoriarum per ſatyram refert Carthaginenſes Saturno humanas hoſtias ſolitos immolare, & cum victi eſſent ab Agatocle Rege Siculorum iratum ſibi Deum putaviſſe, itaque ut diligentius PIACULUM ſolverent, ducentos nobilium filios IMMOLASSE:* nec eſt etiam veriſimile uſque ad tempora Valentiniani Imperatoris Infanticidium relictum fuiſſe impunitum, tam quod Infans homo ſit, quam quod mulier partum abigens graviter olim puniretur cap. 39. de Pœnis. Et quia ſacrum hoc facinus ad uſque ſua tempora, in occulto perſeveraſſe expreſſe teſtatur Tertullianus, certe necdum etiam Valentiniano A Imperante videri poteſt radicitus extirpatum fuiſſe, ejuſque extirpandi gratia hoc reſcriptum ad Probum, per Italias Præfectum Prætorio directum fuiſſe, ſub cujus diſpoſitione Italia, Illyricum, & Africa in notitia Provinciarum numerantur: fuiſſe autem Probum hunc Præfectum Prætorio per Italiam, ſatis in eo carmine demonſtrat Auſonius, quo libellum ſuum ad hunc Probum mittebat: Hunc enim Probum exceptis tribus heris Valentiniano, Valente, & Gratiano Herorum primum appellat, Prætorioque Præfectum maximum hiſce B verſibus:

Qui ſolus exceptis tribus
Heris, herorum primus eſt
Prætorioque maximus,
Duo hunc Senatus Præſulem
Præfectum eundem, & Conſulem.

Eſt igitur in hoc reſcripto piaculum, necandi Infantis ſacrum facinus, non autem vulgare quodvis Infanticidium, ut putant Interpretes.

DISPUNCTORES
AD GUARASIUM
In Expoſitione *L.* Si quis necandi *C. Ad L. Corn. de Sicar.*

DOMINICO ALBANENSI
In Supremis Regni Neapolitani Tribunalibus Cauſarum Patrono.

TYRONES PRÆCEPTORI
HUMANISSIMO.

S. P. D.

PAucis ab hinc diebus, Præceptor humaniſſime, noſtras in manus libellus appulit, cui titulus Cæſaris Guaraſii J. C. Conſentini, atque Agathenſis Patritii Expoſitio in L. pen. C. ad L. Corn. de Sicariis adverſus Jacobum Cujacium. *Animum titulus expectatione accendit: utque Nobis nuperæ illius legis expoſitionis maxima inerat cupiditas, integrum libellum lenta feſtinatione percurrimus, perluſtraturi videlicet quidnam erroris in Cujaciana explicatio-* C *ne irreptum detegeretur. Triluſtris Juvenculus* (1) *ejus auctor, quum* ordinem, methodum, libroſque *a Sertorio ſuo Patre accepiſſet* (2), *Cujacio obſtrepere molitus eſt, adgreſſus novam, quam cudit illius legis ſub verbis* Piaculum, & Aggreſſus *explicationem. Percurſa, ut par erat, ejus expoſitione, & ſemel atque iterum fidelibus oculis ſubjecta, quid dubitaremus in ea Juvenis ingenium vel audax vel tenue hallucinatum dignoſcere? Senſimus profecto eam Juri repugnantem,*

(1) Guaraſius *col.* 283. *A.* ſe talem fatetur.
(2) *Idem Epiſt.* Sertorio Guaraſio Patri *col.* 282. fatetur.

Source : BIU Cujas

& Juvenem in Cujacio carpendo fuiſſe temere progreſſum.

Operæ pretium eſſe viſum Nobis eſt, ſi quidquid ille peccarit, apta reſponſione palam proferremus: quare viribus ad opus adjectis, Diſpunctionem *elaboravimus, ſimili quo uſus fuit titulo Oſius Aurelius adverſus Merillium. Neque vero cui labores noſtros dicaremus quærere paululum hæſimus, quippe qui tibi ſumus omnes pluribus nominibus obſtricti: An enim non tibi dicaremus Nos, qui in legali facultate patrocinium tuum ſelegimus? Tibi, qui tanta benignitate Nos erudis, tuumque ſtudium, ut Nos legum doctrina ex Cujacii ſententiis præcipue petita informemur tam aſſiduum, tam ſolers & adhibuiſti, & adhuc in dies adhibes? Adminiſtros Nos præterea voluiſti elucubrationis Promptuarii tui univerſorum Jacobi Cujacii operum* (3) *& Nobis frequenter demandaſti collationem textuum cum Cujacianis interpretationibus, varianteſque legum lectiones Florentinæ cum vulgata editione Pandectarum; quæ omnia Nobis non mediocrem ad Adoleſcentis errorem patefaciendum opem contulere. Sed & Nos eum te eſſe, cujus ſincerum, politumque judicium nihil ſequutum, niſi quod foret æquitati conſonum præclare meminimus. Summus ille vero tui prudentis, religioſique animi modus etiam ante noſtros oculos obverſabatur, cum eas Clientum cauſas agendas accipere etiam prærogato ære (quod Nobis, aliiſque maxime fuit admirationi) recuſaris, quæ modo aut veritati, aut juſtitiæ vel minimum diſſentire videntur. Conſtanti proinde animo expectamus, ut Diſpunctionem hanc noſtram, vel adprobes, vel ſi ita videatur improbes, reijciaſque.*

Illud ſupereſt, ut pro ea, qua erga Nos ſingulari præditus es humanitate, vigiliolas haſce noſtras lubens ſuſcipias, in iiſque & grati noſtri animi ſignum, & quidquid ſub tua diſciplina profecimus (quod totum quantum eſt tibi debemus uni) intuearis. Faxint boni Superi ut diu tibi, inde noſtro etiam, communique bono Valeas (4).

NEmini eorum, qui primas in legali facultate tenent mirandum eſt, Cæſarem Guaraſium ad tertium ætatis luſtrum non adhuc appulſum (5), celeberrimæ legis *Si quis necandi C. ad L. Corn. de Sicar.* adverſus JACOBUM CUJACIUM expoſitionem edere non dubitaſſe. Ex ipſis imo ſuis auſis, eſt in eum laus derivanda. Quanquam enim in eum Virum nervos intendere, cui omnes jure lubenterque primum ſubſellium dederunt, falſamque ejus mentem dicere, audacioris quidem animi fuerit, vel nimium confidentis, tamen commendandus in arrepto conſilio is videtur, qui Parentis amantiſſimi juſſibus morem gerens, eique obſequutus, ſe ſe quamvis imbecillem, viribuſque imparem ſummo diſcrimini concredidit. Quin etiam, & Sertorium ejus Parentem commendare fas eſt, qui non affinis modo nomine, verum animo etiam illuſtri illi Sertorio, nulli Romanæ gentis Imperatorum ſecundo, de quo meminit Gellius (6), tantos filio indidit animos, ut mentem hic ad egregia ejuſmodi facinora, eo ætatis præſertim adjecerit.

Quod autem Juvenis iſte, in eo quod eſt adgreſſus negotio decipi potuerit, non eſt ſane mirum; cum cæteroqui ad eundem lapidem Rævardus Vir alioqui probatiſſimus impegerit (7).

Quidquid tamen id eſt, Nos ſuſceptum munus perſequi conabimur, demonſtrandi videlicet, nihil officere veræ CUJACII interpretationi quæ in contrarium Guaraſius jactitat, quæque per partes enucleabimus.

Oportet vero primum in hoc quaſi orationis veſtibulo verba legis de qua ſermo eſt, referre, quæ ſic habent: *Si quis necandi Infantis piaculum aggreſſus, aggreſſave ſit, ſciat ſe capitali ſupplicio puniendum.* Legis hujus ſex in locis meminit CUJACIUS (8) in quorum duo, tanquam in ſcopum, peculiariter ingenii ſui vim intendit Guaraſius (9): hoc eſt lib. 6. Obſervat. cap. 21. & in Commentariis ab Lib. 9. Cod. tit. 16. ad L. Cornel. de Sicariis, iique textus ab ipſo referuntur. Nos utriuſque loci ea ſolum verba referemus, quæ magis ad quæſtionem faciunt, ut quænam eximii Viri fuerit interpretatio dignoſcatur.

Obſervationum lib. 6. cap. 21. ait „ *Impe-*
„ *ratores capite puniendum cenſent eum, qui In-*
„ *fantem occiderit l. pen. Ad L. Corn. de Sicar.* Et Commentariorum Codicis lib. 9. tit. 16. Ad L. Cornel. de Sicar. *Hæc lex homicidia capitali pœna coercet* & ait generaliter. *qui hominem occiderit, & ideo cujuslibet conditionis hominem comprehendit . . . . Immo & cujuſcumque ætatis Infantem, ſeu imperfectum hominem l. pen. h. t. & generaliter quoque quemcumque Hominem qui occiderit, modo fuerit pubes, aut impubes*

(3) Dominicus Albanenſis T. 1. Promptuarii Jacobi Cujacii operum in Præfatione ſub *n. XIX.* Tyrones ſuos nominat, eoſque diligentiæ adminiſtros, laboriſque participes appellat.

(4) Huic epiſtolæ reſpondet Albanenſis in limine ſuarum vindiciarum.

(5) Gellius *Lib. 15. cap. 28. Noct. Att.* inſimulat Cornelium Nepotem, qui Ciceronem pro Sexto Roſcio, orationem quæ proxima eſt a prima habuiſſe dicit, anno tertio & vigeſimo, & probat eum pro Quintio, hoc eſt tunc primum in Foro perorantem, ſeptimum ſupra vigeſimum ætatis annum egiſſe: quid profecto dixiſſet, ſi Cæſarem Guaraſium triluſtrem adverſus Cujacium attollentem iras audiviſſet?

(6) Idem Noctium Attic. lib. 15. cap. 22. inquit: *Sertorius vir acer, egregiuſque Dux & tuendi, regendique exercitus peritus fuit. Is in temporibus difficillimis & mentiebatur ad Milites, ſi mendacium prodeſſet, & literas compoſitas pro veris legebat, & ſomnium ſimulabat, & falſas religiones conferebat, ſi quid iſtæ res eum apud Militum animos adjutabant:* cum ſequentibus.

(7) Rævardus III. Conjectaneorum cap. 1. exiſtimavit hanc legem non ad vulgare quodvis infanticidium pertinere, verum ad infantium immolationem, & ſacrificia a Paganis uſurpari ſolita, & quidem in Africa.

(8) *T. II. 597. A. tom. III. 152. E. & 153. A. Tom. V. 246. D. T. VII. 375. D. T. VIII. 597. B. T. IX. 1434. D. Neapolitanar. editionum.*

(9) *Col. 284. C.*

Source : BIU Cujas

bes doli capax. Hactenus CUJACIUS, qui docet Imperatores Valentinianum Valentem, & Gratianum capite puniendum cenſuiſſe eum, qui Infantem occidiſſet.

Guaraſius autem hos, qui modo dicti ſunt, Impp. *aliud in ea lege non ſenſiſſe*, dicit (10) *niſi ſtatuere ultimi ſupplicii pœnam contra quemcunque hominem, qui incipere, & attentare auderet barbarum, nefandumque ſacrificium alicujus Infantis jam jam expoſiti* pro victima mendacibus *offerenda Diis*. Plura deinde congerit argumenta, ſi id nominis appellanda ſint, ut CUJACII interpretationem refellat, ſuamque firmet opinionem. Primum, & præcipuum eſt verbum hocce *Piaculum*, cujus meminit *l. ſi quis necandi*, uno *ſacrificii* ſenſu eſſe ſumendum. Si ergo oſtendere contingat eodem verbo *Piaculum* crudele ſcelus, nefaſque ſignificari (quod ceteroqui ab Auctoribus quamplurimis, tum iis, quos pro ſua parte eſſe Guaraſius opinatur, cum ex pluribus aliis legibus a Guaraſio prætermiſſis, ſolerter didicimus), liquet CUJACII interpretationi ſuum robur ineſſe integrum, Guaraſii expoſitionem radicitus evelli: cui proinde ſimile quidpiam eveniet quod ſacris literis (11) proditum eſt eveniſſe ſtatuæ, quam ſomniatus eſt Nabuchodonoſor, quæ ſuperba pridem eminens, humi deinde vel unius ſcrupuli ictu procubuit.

Ipſe ergo firmo animo aſſerit (12) & Nos ejus verba reſcribemus, quoniam fundamentum indigitant, cui vis ferme omnis ſuæ expoſitionis nititur: *Verbum Piaculum aliud non denotat, niſi ſacrificium, prout opportuno loco clare patebit auctoritate inſignium, & claſſicorum ſcriptorum*. Si res ita ſe haberet, corrueret profecto Cujacii opinio, corruet Guaraſii, ſi oppoſitum patebit. Ad opus ergo aggredimur, remque totam diſcutiemus.

Falſum eſt verbo *Piaculum* dumtaxat ſignificari *Sacrificium*. Guaraſius quidem refert (13). Roſinum in elucubrationibus de Antiquitatibus, qui textum Catonis de Re Ruſtica indicat, Calepini auctoritatem, in quo aliquot Virgilii, atque Horatii carmina ad id operis opportuna enumerantur, & Gullielmum Stuchium tractatu de Gentilium Sacrificiis, qui Plutarchi teſtimonium profert: hæc ſcilicet in cauſa fuerunt, cur animum induxerit ad ſtatuendum *Verbum Piaculum aliud non denotare niſi Sacrificium*.

Ab auctoritate diligentis (ſic enim eum appellat Guaraſius) Calepini exordiamur, & ejus præſertim, qui recentiſſime ex typis in lucem prodiit Patavii MDCCXLI. accurante Jacobo Facciolato: quicumque textus Virgilii, & Horatii, & Catonis a Guaraſio adducuntur, ii omnes inveniuntur ſub verbis *Piacularis*, *Piaculo*, *Piaculum*, ibique legere eſt ſingulos; nobis enim mens eſt excribere quidquid neque vidit, neque fortaſſe legit triluſtris Guaraſius verbo *Piaculum*.

Piaculum, i; n. ſcelus, delictum a pio Virg. 6. Æneid. v. 596.

Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem, ubi Serv. *piacula commiſſa, propter quæ expiatio deberetur. Metonymice ſumitur pro quolibet ſacrificio piaculari, ſeu expiatorio, ſacrifizio, purgazione Horat. lib. 1. Od. 28.*

Teque piacula nulla reſolvent.

Atque hæc illa auctoritas eſt, quam proferre unam voluit Guaraſius, prætermiſſo quidquid diligens Calepinus ante diſſeruerat. Eam propterea appoſuit verbo *piaculum legis ſi quis necandi*, in qua habetur denominatio profluens a Metonymia, quæ nonniſi Tropus eſt, *per quem ponitur cauſa pro effectu, vel contra, vel continens pro re contenta, vel ſignum pro re ſignificata*, ut idem Facciolatus teſtatur verbo *Metonymia*.

Quidquid tamen id eſt, illud unum ſcire Nobis abunde, eodem verbo *Piaculum*, *& ſcelus, crimenve denotari*, ut ſui erroris fiat certior Guaraſius, qui ſerio aſſeruit, *aliud non denotare, niſi ſacrificium*, idque luce ipſa clarius progrediendo patebit.

Aulus Gellius (14) referens celebre Senatuſconſultum, eruditiſſime ſi quis alius, diſſerit de hoſtiis victimiſque ſeu *præcidaneis*, ſeu *ſuccidaneis*, quae immolabantur in ſacrificiis, quorum jubendorum ille ſcopus erat, aut deprecandi videlicet aliquod infortunium, vel crimen, aut *luendi PIACULI gratia*. Aperte hinc liquet ex verbo *PIACULUM* non intelligi *ſacrificium*; ſecus ſi foret illa verba *luendi piaculi GRATIA* edixiſſent luere ſacrificium non autem delictum, oſtentum, vel quidpiam ſimile, unde offerendae eſſent victimæ iſtiuſmodi præcidaneæ, vel ſuccidaneæ.

Nieuport (15) de portentis loquens, quæ procul arcenda erant ſacrificiis, haec habet: *Ad hanc claſſem etiam debent referri ſacrificia expiatoria, vel piacularia, quibus portentum aliquod, vel piaculum expiabant, hoc eſt piaculum quidem purgabant, portentum vero avertebant: Piaculum enim proprie ſignificat crimen expiandum. Metonymice*

ſibus.

Men piacularem oportet fieri ob ſtultitiam tuam
Ut meum tergum ſtultitiæ tuæ ſubdas ſuccidaneum

Succidaneæ autem hoſtiæ dicuntur e littera per morem compoſiti vocabuli in i. litteram commutata, nam quaſi ſuccedaneæ appellatæ, quoniam ſi primis hoſtiis litatum non erat, aliæ poſt eaſdem ductæ hoſtiæ cædebantur, quæ quaſi prioribus jam cæſis *luendi PIACULI gratia* ſubdebantur & ſuccidebantur: ob id ſuccidaneæ nominatæ, littera i. tractim pronunciata . . . . Eadem autem ratione verbi præcidaneæ quoque hoſtiæ dicuntur, quæ ante ſacrificia ſollemnia pridie cæduntur. Porca etiam præcidanea appellata, quam *PIACULI gratia* ante fruges novas captas immolari Cereri mos fuit ſi qui familiam funeſtam, aut non purgaverant, aut non aliter eam rem, quam oportuerat procuraverant.

(10) *Col.* 287. *D.*
(11) *Daniel. cap.* 2. *n.* 31.
(12) *Col.* 285. *E.*
(13) *Col.* 288. *B.*
(14) Gellius *Noct. Att. lib.* 4. *cap.* 6. inquit: In veteribus memoriis ſcriptum legimus, nunciatum eſſe Senatui, in ſacrario, in Regia haſtas Martias moviſſe, ejus rei cauſa Senatuſconſultum factum eſt a M. Antonio & A. Poſtumio Coſs., ejuſque exemplum hoc eſt.

Quod C. Julius L. F. Pontifex nunciavit in ſacrario, in Regia haſtas Martias moviſſe, de ea re iſta cenſuerunt, uti M. Antonius Conſul hoſtiis majoribus Jovi, & Marti, & ceteris Diis, quibus videretur placandis uti procuraſſet ſatis habendum cenſuerunt, ſi quid ſuccidaneis opus eſſet Rogibus accederet: quod ſuccidaneas hoſtias Senatus appellavit quæri ſolet, quid verbum illud ſignificet? in Plauti quoque comœdia, quæ Epidicus inſcripta eſt ſuper eodem ipſo verbo requiri audio in his ver-

(15) *Sect.* 4. *c.* 3. §. 8.

Source : BIU Cujas

autem ſacrificium, quo illud crimen expiatur.

An vero non hoc ſenſu capienda ſunt verba *luendi*, & *piaculi* quibus Gellius utitur? Eodem ipſo in ſenſu profecto adhibet tum Tullius ad Act. lib. 8. ibi: *Itaque mei peccati luo pœnas*, & 3. Philip. *Utrum ille pœnas Reipublicæ luat:* tum Livius lib. 1. *Ut tamen debito ſupplicio ſcelus lueret*: & lib. 38. *cap.* 38. *Pro dignitate imperii veſtri coactis luere peccata ſua.*

Quod Gellius, id ipſum Roſinus (16) affirmavit: *Succidaneæ hoſtiæ dicebantur ſi primis hoſtiis litatum non erat, aliæ poſt eaſdem ductæ cædebantur, quæ quaſi prioribus jam cæſis,* LUENDI PIACULI GRATIA *ſubdebantur, & ſuccedebant, ob id ſuccidaneæ nominatæ.*

Noſter Alexander ab Alexandro (17) differens de Romanorum aliarumque Nationum ſacrificiis, ait: *apud Athenienſes, & Lydos ſacrum piaculare fit ut conciones, theatra, & populum minutis porcellis luſtrent per periſtiarchos, & ita calamitates averterent, & averruncarent. Sed quod eſt de ſulphure dictum, idem de lauro, & verbena compertum eſt: ſiquidem verbena, & laurus ſuffitionibus frequens fuit propter religionem animo incuſſam, quod qui aliquo eſſent piaculo polluti, ſæpius ſulphure, nonnunquam aqua, ovo, igne verbena, & lauro expiantur.*

Intelligat modo Guaraſius *Piaculum* denotare crimen, ſcelus, atrox facinus juxta ſimplicem vocis acceptionem, & *ſacrum piaculare* dici ſacrificium, quo hujuſmodi crimen, aut quicunque alius ſiniſter caſus expiabatur.

Id ipſum eruditiſſimus Caſſiodorus (18) confirmat his, quæ ſequuntur verbis, & ad ſuam rem, & ad noſtram facientibus. *Alioqui* PIACULUM *quoddam eſt inter triſtes velle gaudere, & humanitatis refugit affectum, qui dolorem non ſequitur alienum.*

Dignum tandem eſt quod adnotetur, a Barnaba Briſſonio (19) apertiſſime enunciatum, verbo *Piaculum* crimen adſignificari, & ad id noſtræ legis *Si quis necandi C. ad L. Cornel. de Sicar.* verba per ipſum allata fuiſſe; quare ſi mens tanti auctoris attendenda eſt, liquet verbum *piaculum* legis commemoratæ *crimen*, ſeu *delictum* denotare.

Sed tempus jam derivandi argumenta ex ſublimioribus principiis validioribuſque: oſtendemus videlicet in aliis quoque legibus verbo *piaculum* crimen intelligi, ut inde hujus, quæ ad trutinam revocatur, expoſitio vera pateat. Non enim in ſola *L. Si quis necandi* verbum *piaculum* offenditur, ſed ipſius creber incidit uſus in aliis etiam quamplurimis. Eſto initium ex ſententiis J. C. Pauli a Cujacio collectis (20).

Primum Paulus lib. 1. tit. 29. alias 21. §. 4. de ſepulchris, & lugendis (21) que ſubjiciuntur dixit: *Qui corpus perpetuæ ſepulturæ traditum, vel ad tempus alicui loco commendatum nudaverit, & ſolis radiis oſtenderit,* PIACULUM *committit; atque ideo ſi honeſtior ſit, in Inſulam, ſi humilior, in metallum dari ſolet.* Ibidem

A §. 2. *neque juxta monumentum, neque ſupra monumentum habitandi jus eſt. Adtactu enim converſationis humanæ* PIACULUM *admittitur, & qui contra ea fecerit, pro qualitate perſonæ, vel opere publico, vel exilio multatur.*

Primæ harum Pauli ſententiarum erudite meminit Rodulphus Fornerius *Rerum quotidianarum lib. 6. cap.* 13. in Theſauro Everardi Othonis (22) illuſtrans legem antepen. C. Theod. de Sepul. viol. Ad ſecundam vero refertur. l. 2. Conſtantis Imp. in C. Theod. de Sepul. viol. (23) quæ ita ſe habet: *Eadem etiam pœna qui diſſiparunt, vel ornatum minuerunt, teneantur, & qui poſita in a-*
B *gris ſuis Monumenta calcis coctoribus vendiderunt, una cum his, qui auſi ſunt comparare: Quicquid enim adtingi nefas eſt, non ſine* PIACULO *comparatur.*

Operæ pretium hic eſt obſervare quod Jacobus Gothofredus (24) commentariis illuſtrans relatam legem adfert ad confirmandum Pauli effatum. *Qui poſita in ſuis fundis monumenta calcis coctoribus vendiderunt, ut & qui auſi ſunt comparare. Ut de hoc poſtremo dicam, vult ſcilicet emptorem, velut calcis coctorem, eadem pœna puniri, qua venditorem. Nam ut eleganter Imp. addit: quicquid adtingi nefas eſt, non ſine piaculo*
C *comparatur.* PIACULUM *non minus admittit qui emit, quam qui vendit.* PIACULUM IDEST VIOLATÆ RELIGIONIS CRIMEN ADMITTIT.

Non inficiamur Gothofredum in ſuo commentario adfirmaviſſe idem verbum Piaculum indicare etiam ſacrificium, ob veterem quandam inſcriptionem, quam & ipſe refert, & noſter Cujacius (25) lib. 21. cap. 13. ſuarum obſerv. commemorat: nequit tamen in dubium revocari noſtra in lege non pro ſacrificio, ſed tantum pro crimine accipiendum eſſe, quemadmodum eodem cum Gothofredo paulo ante firmavimus.

D Neque ſolum id *l.* 2. verum etiam clare denotat l. 5. tum quæ in Theodoſiano de ſepulchris violatis, tum quæ in Juſtiniani Codice de ſepulchro violato habetur, licet inter utramque quædam diſcrepantia intercedat, quæ inferius proferetur. En verba: *pergit audacia ad buſta defunctorum & ageres conſecratos, cum & lapidem hinc movere, & terram evertere, & ceſpitem evellere proximum ſacrilegio majores noſtri ſemper habuerint: ſed & ornamenta quædam tricliniis, aut porticibus auferri de ſepulchris. Quibus primo conſulentes ne in* PIACULUM *incidat contaminata religio defunctorum.* ita in Cod. Juſtiniani, expreſſius ta-
E men in Theodoſiano: *quibus ne in piaculum incidant contaminata religione buſtorum hoc fieri prohibemus.*

Gothofredus in commentario legis Cod. Theoſiani (26) jure videtur, meritoque in Tribonianum aſſurgere, qui verba hæc *ne in piaculum incidat contaminata religio* in Juſtiniani Codicem detulit: ait enim, *Tribonianus ſatis incondite. Non enim religio incidit in piaculum, ſed violatores incidunt*

(16) *Lib. 3. cap. 33. de Veterum ſacrificiis.*
(17) *Lib. 5. cap. 27. Dierum genial.*
(18) *Lib. 11. variar. epiſt. 17.*
(19) *De Verbor. quæ ad jus pertinent ſignif. verbo* PIACULUM.
(20) *Tom. I. edit. Neap. a pag. 373. ad 520.*
(21) Vide *Cujac. tom. 1. pag. 380.*
(22) *Tom. 2. p. 125.*
(23) *In Cod. Theod. t. 3. p. 142.*
(24) *D. T. 3. p. 145.*
(25) *Tom. 3. p. 614. A.*
(26) *Tom. 3. C. Theod. p. 143. ſub litterula p.*

Source : BIU Cujas

dunt in piaculum propter contaminatam religionem.

Supereſt jam illud ut palam fiat ex quibus præterea legibus eruatur, verbo *Piaculum* non ſacrificium, ſed crimen, atque adeo atrox, denotari. In C. Theod. perlegere eſt celebrem legem, quæ in C. Juſtin. prætermittitur: ea eſt l. 122. tit. de *Decurion.* qua Impp. Valentin. II. Theodoſ., Arcadiuſque decreverunt quidquid modo ſubjicitur. *Hii quibus detulimus ſplendidos Magiſtratus, quoſque etiam ornavimus inſignibus dignitatum, ſi non habent Curiam, cui aut neceſſitudinis fœdere, aut nexu ſanguinis teneantur, in ſplendidiſſimum ordinem Senatorium, & illam nobiliſſimam Curiam cooptentur. His vero ratio diverſa ſit, qui ſtatim ut nati ſunt, Curiales eſſe cæperint. Hii namque prærogativa quidem conceſſæ dignitatis utantur, atque eos præſtiti honoris ſplendor exornet; ſed maneant in ſinu patriæ, & veluti dicati infulis, myſterium perenne cuſtodiant: ſit illis* PIACULUM *inde diſcedere.*

Hac ſuper l. ita Gothof. (27). *Obiter notandæ alluſiones, quibus Curiales Theodoſ. M. cum Sacerdotibus, & Flaminibus comparat. Nempe. 1. & illis infulas tribuit, infuliſque veluti dicatos ait. 2. Myſterium perenne eos ſimiliter cuſtodire. 3. ſine* PIACULO *patria diſcedere non poſſe.* Jam quis dubitet ex allatis verbis l. 122. Cod. Theodoſ. de *Decurion.*, quæ deeſt in C. Juſtin. ſcelere ſe, crimine, hoc eſt PIACULO obſtringere, ſi quis in aliqua dignitate conſtitutus Patria diſceſſerit, proindeque PIACULUM idem eſſe atque ſcelus? Ex hac quidem l. profluxit ut hoc ipſum ſtatueretur in poſterum, ſicut a Magiſtratibus hujus Urbis, totiuſque Regni obſervatur.

Lege 2. C. Juſtin. Ne ſanctum baptiſma iteretur per Impp. Honorium, & Theodoſ. ſapientiſſime ſancitum eſt, ut capite damnarentur quiqui iterandi baptiſmatis ſcelus patraviſſent, tum miniſter, qui baptiſma contuliſſet, tum qui ſuſcepiſſet: *Si quis rebaptizare quempiam de Miniſtris Catholicæ ſectæ fuerit detectus, una cum eo, qui* PIACULARE *crimen commiſit (ſi tamen criminis per ætatem capax ſit); & hic, cui perſuaſum ſit, ultimo ſupplicio percellatur.* Illud *piaculare crimen* expreſſum invenitur l. 6. C. Theod., quin imo ita ſub initium procedit lex *Nullus rebaptizandi ſcelus* adripiat: quod magno argumento eſt, in legibus, ſi quando crimen, ſcelus infandum ſignificari debeat, plerunque verba hæc *piaculum*, vel *piaculare* adhiberi. Utque magis ad *L. ſi quis necandi* confirmandam adverſus Juvenis impugnationem accedamus, advertere oportet quod Gothofredus in ſuo gloſſario nomico C. Theodoſiani verbo *piaculum* expreſſe docuit *Piaculum ideſt ſcelus; ſi quis infantis necandi piaculum aggreſſus.*

Nullus tamen inficias iverit, interdum, ſed raro verbum *piaculum* pro ſacrificio acceptum. Id ipſe Gothof. in eodem ſuo gloſſario teſtatur. *Piaculum ſecretius, ideſt domeſticum, & familiare ſacrificium*; teſtatur enimvero ob l. 12. de Pagan. quam idem auctor indigitat; ſubdit tamen fretus auctoritate Theodoſii in Nov. 3. de Pagan.: *ita & qui duræ frontis OBSTINATO PIACULO locum veniæ non relinquent*, per quæ verba ſcilicet *obſtinato piaculo* non revera ſacrificium denotatur, ſed crimen frontis audaciſſimæ deteriora prave ſequentis.

Neque unus hic ſenſus ineſt verbo *Piaculum*, ut nempe crimen ſignificet; quemadmodum legibus modo adlatis patet: ſolet quandoque & pro infortunio, periculove adhiberi, ut aperte conjicitur ex l. 7. §. *in cauſæ de Jure delib.*, ibi lectio Flor. Pandect. ita habet: *in cauſſæ autem cognitione hoc vertetur, an juſta cauſa ſit ut deminuere Prætor permittat. Ergo & funeris cauſa deminui permittet. Item eorum, quæ ſine* piaculo *non poſſunt præteriri.* Lectio autem vulgata non verbo *piaculo* utitur, ſed *periculo* quod certe neque ſacrificii, neque criminis, ſed una ſignificatione infortunii intelligendum eſt, ſaltem id genus infortunii, quod conjicere eſt ex Senatuſconſulto, quod ex Gellio excerptum ſub initium expoſuimus.

Ut ergo eo revertatur prima hæc Diſpunctionis noſtræ pars unde diſceſſit, illud demum ex dictis arguendum: Impp. Valentin. Valent. & Gratianum, cum in *l. ſi quis necandi* verbum *piaculum* adhibuerunt, non ſacrificium, ſed crimen, neſaſque horrendum indicaviſſe. Quare qui ſapientes & ſunt, & audiunt, modo ad ea quæ dicta ſunt, animum advertant, iniquis auribus accipient quod temere effutivit Guaraſius *verbum piaculum aliud non denotat, niſi ſacrificium.*

ALTERA jam laboris noſtri ſupereſt pars, ut ſcilicet poſtquam aperte demonſtratum ſit, non ſacrificium, ſed crimen verbo *piaculum* denotari in *l. ſi quis necandi*; ad ſecundam rationem, quam Guaraſius adfert, ut Cujacii opinionem evertat, gradum faciamus. Is ergo (28) fingens hoſtem quem feriat, id affirmat, quam re tamen vera nullibi, niſi in ſua imaginatione exiſtit: Cujacium nempe ſumpſiſſe verbum *aggreſſus pro invadere*, ita enim ait: *Et primo quomodo eo ſenſu, in quo ab auctore peſſime uſurpatur verbum aggredior pro invadere ſumi poteſt?*

Cujacii mens per nos ſuperius jam eſt patefacta, eamque rurſus in medium proferre non pigeat. Sic ait (29) *Imperatores capite puniendum cenſent eum, qui Infantem occiderit l. pen. C. ad l. Cornel. de Sicar.*

Dicat modo Guaraſius quonam gentium Cujacius verbum aggredior pro invadere uſurpavit? Nonne Juvenis qui talia mentitur, dignus eſt profecto cui quis e rigida Philoſophorum ſchola, caperata fronte, exerſis nudatiſque lacertis, gravi ore horrendum illud intonet *Nego ſuppoſitum*. His ergo a fundamentis ejectis, ſtatim omnino concidit quidquid abſurdi col. 285. D. putat manaturum, ſi verbum *aggredior* pro *invadere* capiatur, ut cæteroqui a Cujacio captum Guaraſius fortaſſe per ſomnium eſt opinatus.

Verum quanquam falſo nitatur principio, ulterius progreditur ad probandum quod *uſque* (ſunt ipſiſſima Guaraſii verba col. 286. A.) *a temporibus Adriani rigidis pœnis hujuſmodi impia ſacrificia fuerunt prohibita, ut apud doctiſſimum Vives ad Divum Auguſtinum de Civitate Dei lib. 7. cap. 19. lit. C. Nec non apud noſtrum Janum*

(27) *T. 4. C. Theod. p. 406.*
(28) *Col. 285. D.*
(29) *T. 3. p. 152. E.*

Source : BIU Cujas

num Vincentium Gravinam lib. de Legibus & Senatuſconſultis pag. 346. Eſto : imo ad confirmandum quod Guaraſius aſſerit, ſit argumento ipſius Cujacii (30) auctoritas *Eadem lege tenentur, qui hominem pro victima immolant, vel humano ſanguine litant quod & Tiberium & Adrianum voluiſſe proditum eſt.*

Joanni Vincentio Gravinæ tamen in ſuo tractatu de Legibus, & Senatusconſultis (31) placuit Cujacii ſententiam amplecti. Ejus verba tum eam ob rem, tum etiam quod non parum ad integram hiſtoriam horrendorum id genus ſacrificiorum conferunt, juvat hic referre. *Ad nefaria etiam ſacrificia ex S. C. legis hujus pœna porrigitur, ut ſi quis impia ſacra nocturna fecerit, faciendave curaverit, quo aliquem incantaret, interficeret, obligaret, quive hominem immolaverit, ejuſve ſanguine litaverit, fanum, templumve polluerit, humilior quidem cruci affigeretur, honeſtior vero capite plecteretur : Tiberio & Adriano decernente. Cujac. ad Pauli ſent.* 5. *cap.* 23. §. *qui hominem immolaverit, ubi Cujac. &* §. *qui ſacra. Feralis autem* (proſequitur Gravina) *hæc atque ſtigia ſuperſtitio non minus horrenda eſt, quam vetuſta. Homines enim enormes moribus, & errabundi mente, quaſi Deus immanitate placaretur, ſcelera ſceleribus expiabant, & publicam calamitatem oblatione cariorum pignorum, immo & Regiæ prolis mactatione propulſare ſtudebant, ſi ita ſuperſtitio poposciſſet. Hinc illa fabuloſa de Saturno, qui filium unicum cœlo patri, fami, peſtilentiæque avertendæ immolavit. Ab hac fabula dira ſuperſtitio de gente in gentem dilapſa, Chananæos inceſſit, qui liberos Molocho Idolo comburebant, & Phœnices eorum finitimi peſte, aut fame ingruente Regum filios nefario ritu devotos Diis mactabant. Et Ægyptii ad ſepulchrum Oſiridis homines Typhoni colore ſimiles, nempe Ruſos, qui ea in regione variores erant, ideoque peregrinos ad immolandum auferebant; unde origo fabulæ de ſævitia Buſſiridis in advenas : Oſiridis enim tumulus Ægyptia lingua Buſiris appellabatur.*

Gallos etiam, refert Cæſar, in ſuis calamitatibus aut immolare pro victimis homines, aut immolandos vovere conſueviſſe. Nec hujuſmodi cædibus abſtinuere Græci utcunque omnium cultiſſimi, quod in fabulis ab exemplo Iphigeniæ diſcimus ; neque Chartbaginenſes, utpote a Phœnicibus oriundi, qui Saturno ſanguine humano litabant. Immo nec Latini, qui victimas humanas cædebant Ægeriæ Deæ, ut opus fuerit, quod Plinius memorat, DCLVII. demum anno ab V.C. Senatuſconſulto prohibere hominem immolari. Adeo inſederat omnibus, non poſſe Deorum numen aliter placari, niſi pro ſalute hominis, Hominis vita redderetur.

Hactenus Gravinæ erudita commemoratio omnium ſacrificiorum, quæ priſcorum ætate fiebant. Sane ſi verum foret verbo *piaculum, ſacrificium*, non autem indignum *facinus* ſignificari, ignarus dicendus eſſet Gravina, utpote qui non calluiſſet id ipſum ſacrificium fieri quoque conſueviſſe, ut

(30) *Lib.* 5. *tit.* 21. *alias* 23. *Sentent. Pauli* §. 5. *tom.* 1. *edit. Neap. p.* 106. *E.*

(31) *Cap.* 103.

A Guaraſius commentatur, temporibus Valentiniani, Valent. & Gratian., qui *l. Si quis necandi* ediderunt. Ipſe quidem Gravina docte meminit celebris Senatuſconſulti promulgati teſte Plinio A. DCLVII. ab V. C. Cn. Domitio Ænobarbo, & Cajo Caſſio Longino, aliquot annis ante bellum cum Mithridate geſtum, quo interdictum tunc primum fuit victimas humanas immolare.

Temporibus etiam Adriani Imperatoris, enarrat & Gravina, & Guaraſius (32) & Cujacius, ejuſmodi ſacrificia vetita fuiſſe. Adrianus autem regnare cæpit A. DCCCLXX. ab V. C., qui æræ Chriſtianæ eſt 119. contra vero a Valentin. B Valente, & Grat. rerum ſumma adminiſtrabatur, præſertim quum anno 374. æræ Chriſtianæ prolata eſt *l. Si quis necandi* A. ab V. C. MCXXV. Neque tempore quod ab Adriani regno uſque ad regnum Valentin. Valent. & Gratiani interfluxit, ſacrificium victimæ alicujus humanæ perpetratum eſſe memoriæ proditum, perinde quaſi opus eſſet lege vel nova, vel rurſum edita interdicere ea ſacrificia, quæ pridem edita fuerant.

Nullius autem obicis eſſe poteſt auctoritas Henrici Coccei ad Grotium (33) ipſiuſque Grotii (34), quas refert Guaraſius a col. 290. D. ad col. 91. B. ſuæ expoſitionis: neque Coccejus enim, neque Grotius dicit ab Adriani regno adhibita fuiſſe id genus ſacrificia. Non abs re erit utriuſque verba ſubdere, ut inde longe clarius veritas noſtræ ſententiæ eluceſcat, quum præſertim ea Guaraſius afferre recuſaverit. Hæc Grotius. *Nec minus illi, qui Deos colunt hominum innocentum ſanguine, a quo more quod Carthaginenſes abſtinere coegerit, laudatur Darius Perſarum rex, & Gelo Syracuſarum tyrannus. Narrat & Plutarchus, barbaros quoſdam, qui humanis victimis deos colebant, pœnas daturos Romanis fuiſſe : ſed cum antiquitate moris ſe excuſarent, nihil mali paſſos : vetitos tantum, ne quid in poſterum tale facerent.*

D Quæ ſequuntur; Coccejus. *Qui deos colunt hominum innocentum ſanguine. Adeoque qui victimis humanis Deos placare ſolent, bello puniri poſſe, putat : Quod itidem verum non eſt, quia aliis gentibus non fit injuria.*

Et Gelo Syracuſarum tyrannus *Plutarchus in apophth. c.* 20. *tradit, Gelonem Carthaginenſes ad Himeram devictos coegiſſe inter conditiones pacis etiam hanc adſcribere, ipſos in poſterum liberos Saturno nunquam immolaturos. Conf. Pindar. ſchol. in Pythys ad II. At hoc non dedit cauſam bello. Alii Iphycretem finem impoſuiſſe huic mori apud Athenienſes recepto, ajunt.* E *Vid. Porphyr. de abſtinent. l.* 2. *Alii hunc morem uſque ad excidium Urbis continuatum, tradunt Curt.* 4. 3. 39. *Tertullianus Apolog. cap.* 8. *notat, Chartaginenſes ſub principatu Tiberii prohibitos fuiſſe ut humanas victimas Diis offerant, cruci quoque affixis ſacerdotibus : nihilominus tamen perſeveraſſe in eo ſacrificandi more, etiam ſua ætate ſed occulte. At certum eſt, ideo bellum geſtum non eſſe, victis autem hoſtibus tales conditiones imponi poſſe, negari nequit.*

Pœnas daturos Romanis fuiſſe *ſed barbari illi*

(32) *Col.* 286. *A.*

(33) *In t.* 3. *Grot. edit. Louſannæ cap.* 20. §. 47. *p.* 396.

(34) *d.t.* 3. *lib.* 2. *c.* 20. §. 47. *n.* 5. *p.* 314.

Source : BIU Cujas

illi armis ſubacti, Romanis paruerunt, adeoque prohiberi lege publica potuerant, eodem modo uti Druidæ a Claudio prohibebantur. Suet. Claud. cap. 25.

Stultum ergo eſt cum Guaraſio ſentire, legem Impp. Valentin. Valent. & Gratiani ſacrificium Infantium vetuiſſe, illud nempe ſacrificium quod putandum eſſet diſſimulatum, aut ab Imp., qui eos præceſſit, aut temporibus ipſorum Valentin. Valentis, & Grat., quorum imperium anteceſſerat Conſtantinus M., qui regnavit ab A. Chriſti 307. ad uſque A. 338. Cui bono iccirco, niſi ad ineptam eruditionis pompam tot congeſſit Guaraſius exempla a Col.288.E.ad 290.B.? fruſtra auctoritatem Stuchii de Gentil. Sacrific. & Cic. pro Fontejo & Porphyrii commemorat, tum quæ a Rhodiis, Lacedæmoniis, Tauris, Laodicæis, aliiſque antiquis nationibus perpetrabantur, cum nullo modo videntur aptari poſſe ad tempus *l. ſi quis necandi*, quam potuiſſent, vel debuiſſent ſancire Valentin. Valens, & Grat. ad avertenda ejuſmodi ſacrificia jam non interdicta ſolum, ſed etiam exoleta.

Quid denique, ut inducat Impp. eam proferentes, in memoriam revocat (35) vetuſtiora tempora, quibus vetita ſunt ea ſacrificia in ſacris literis, multoſque textus adducit excerptos ex Levit. c. 18. 22. & Deuteron. c.18. 10., ex Regum. l. 2. 32. & ex Sapient. libro c. 14. 33. quomodo enim hujuſmodi tempora cum Impp. Valentin. Valentis, & Grat.ætate conferri poſſunt?

His, ſimilibuſque futilibus armis ſecurus, auſus Guaraſius fuit in Cujac. aſſurgere (36) his verbis, *Et en quomodo in hoc juxta Auctoris ſenſum in hiſtoriam peccatur*, eodem ferme pacto, quo antea enucleans ſenſum verbi *Piaculum*, firmo animo adverſus eundem adſeruit (37) *verbum piaculum, aliud non denotat, niſi ſacrificium.*

Videat modo Guaraſius, quomodo ſui in Cujacium conatus omnino evanuerint; videat, probe, nec ne Cujacius interpretatus fuerit *l. ſi quis necandi*. Nos profecto illud in animum tandem percurſa ipſius expoſitione, induximus; ab ipſo prima fronte multa promitti, ſed ubi ad calcem deventum ſit, nihil concludi. Quare optime videtur congruere ipſius expoſitioni poſſe quod lepidiſſima fabula illa de Monte parturiente tradidit Phædrus lib. 4. his verſibus.

Mons parturiebat, gemitus immanes ciens;
Eratque in terris maxima expectatio:
At ille murem peperit: Hoc ſcriptum eſt tibi,
Qui magna cum minaris, extricas nihil.

Reliquum eſt, ut Guaraſio fiat ſatis ſuper errato quodam, quod noſtro Cujacio adſcribit. (38) Cum enim Cujac. (39) verbis initio relatis dixiſſet hanc l. pen. circa eum verſari, qui *infantem* occiderit, ſtatim ſubdit: *Homicidas enim lex ultore ferro perſequitur: De infante dubitari poterat.* Quare cum pæna tit. ad L. Corn. de Sicar. eſſet jam iis indicta, qui homicidiis se adſtringerent, Valentin. Valenti, & Grat. Impp. ut e medio omnis dubitandi occaſio penitus auferretur, viſum eſt, ut capitis pæna ii etiam intelligerentur damnati, qui enecuiſſent infantes, qui juſta communem loquendi modum pro hominibus quodammodo non habentur. Hinc factum ut conſulto loco prædicto ſubdiderit Cujac. *de Infante dubitari poterat, quoniam lex Corn. air. qui hominem occiderit: & inde crimini nomen homicidium ſive ανδροκτασίαν viri cædem. Simili modo de fœmina dubitari potuit. Infans homo nondum eſt.*

Ingratiis hæc ratio a Guaraſio excipitur, eamque quantum ad ſenſum legalem falſam, & erroneam, qua nulla magis præſupponi poterat appellat col. 286. D. falſiſſimam, extraneam, & incongruam dicit col.287.C.Quanquam enim, ſic ipſe autumat (40) lex quælibet a dubitandi ratione derivata ſit, & ad dubium tollendum conſtituta; tamen fruſtra prolata *l. ſi quis necandi* fuiſſet, qua Infantum occiſioni conſuleretur: non enim deerant divinæ & humanæ leges, quibus illud ipſum, hoc eſt pæna mortis, ſtatuebatur in Abactores fœtus: ſi ergo iis quicunque violenter fœtum in utero materno adhuc degentem oppreſſiſſet, pæna erat iam præſcripta, potiori jure ea debebatur iis, quicunque occidiſſet Infantem jam natum, conſtitum in civem, Reiquepublicæ membrum.

Ut ſtrenue ſuam hanc Guaraſius tueretur ſententiam, non adlegavit ſolum verba ſacri libri Exod.21. 22. & diſpoſitionem l.38.§.qui abortionis ff. de Pœnis, verum etiam quod Cujacius ipſe dixerat lib. 19. cap. 9. ſuarum obſervat. Verba Exodi per Guaraſium allata hæc ſunt *Si rixati fuerint Viri, & percuſſerint Mulierem prægnantem, exieritque fœtus ejus, ſiquidem informis, mulcta mulctabitur: ſi vero iam formatus, dabit animam pro anima.*

In vulgata tamen longe alia leguntur. *Si rixati fuerint Viri, & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, ſed ipſa vixerit, ſubjacebit damno quantum Maritus Mulieris expetierit, & arbitri judicaverint.* Subditur deinde v. 23. *Sin autem mors ejus fuerit ſubſecuta, reddet animam pro anima.* Non aliud vero hic poteſt, non aliud intelligi debet, niſi mors Matris, non autem fœtus, ſeu abortus facti; quandoquidem v. 24. & 25. imponit pœnam talionis ſequentibus verbis: *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede. Aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.* Quamquam vero in fœtu oculi, manus, pedes dignoſcantur & raro dentes: quomodo tamen incluſo in ventre oculi excæcari, & dentes exſcindi poſſunt?

Lex 38. §. qui portionis ff. de Pœnis hæc eſt *Qui abortionis, aut amatorium poculum dant: & ſi dolo non faciant, tamen quia mali exempli res eſt, humiliores in metallum damnantur: honeſtiores in Inſulam, amiſſa parte bonorum, relegantur. Quod ſi eo mulier, aut homo perierit, ſummo ſupplicio afficiuntur.*

Verba hæc & ſi clariſſima, præſertim poſtrema *quod ſi eo, mulier, aut homo perierit*, in alium

(35) *Col.290.B.*
(36) *Col.286.C.*
(37) *Col.287.E.*
(38) *Tota col.286.*
(39) *T.3.col.152.E.*
(40) *D.col.286.*

Source : BIU Cujas

alium ſenſum detorquet Guaraſius ; neque virum, mulieremve poſſe perire intelligit ex poculo abortionis , aut amatorio , ſed ipſum fætum , ſive is maſculus fuerit genitus , ſive fæmina . At qui ejus interpretatio ex integro intelligentiæ legis adverſatur . Sicut enim adnotat docte Accurſius poſt verba *ſi eo* ſupplendum eſt *ſcilicet poculo*. Revera obire poteſt Mulier præmature diem ſi poculum exhauſerit , quod abortum inducat : poteſt etiam vir, cui amatorium poculum apponatur , ab eo perire . Neque aliter textus intelligendus eſt ; ſecus non dixiſſet , *ſi mulier , aut homo*, quæ vocabula perſonis integræ ætatis congruunt , *ſed ſi eo fætus perierit* .

Atque ut ulterius convincatur Guaraſius , etiamtum , cum ad Cujacii auctoritatem confugit , audire hic eſt ipſum Cujacium in obſerv.lib.19.cap. 9.De Pæna abacti partus: Diſcutit ipſe quæ poſſet pæna eſſe abacti partus , & re attente conſiderata, ait , hoc non ita facile eſſe ut definiri ſtatim poſſit , *cum lex Cicero ff. de pæn. priore ſui parte ſtatuat pœnam capitis mulieri , quæ ſibi partum abegit , poſteriori autem parte exilium temporarium* . Lex inquit „ Cicero in oratione pro A.Cluentio Habito ſcribit (Flor.ſcripſit) Mileſiam quandam Mulierem cum eſſet in Aſia quod ab heredibus ſecundis accepta pecunia partum ſibi medicamentis ipſa abegiſſet rei capitalis eſſe damnatam . Sed & ſi qua viſceribus ſuis poſt divortium , quia prægnans fuiſſet (Flor.quod prægnans fuit), vim intulerit , ne jam inimico marito filium procrearet : ut temporali exilio coerceatur ab optimis Imperatoribus noſtris reſcriptum eſt „. Hæc lex primo enarrat quod in Aſia forte contigit : cum vir heredem feciſſet alvum fœcundam Mileſiæ ſuæ maritæ , eique alios ſubſtituiſſet , illico ſubſtituti pecunia oblata corruperunt Mileſiam ut abortum procuraret , id ea præſtitit , & capite multata eſt . Secundo vero ſubjicit . *Sed & ſi qua viſceribus ſuis poſt divortium quod prægnans fuit , vim intulerit ; ne jam inimico marito filium procrearet , ut temporali exilio coerceatur ab optimis Impp.noſtris reſcriptum eſt.* De factu Mileſiæ inquit Cujac. illam mortis pœnam promeruiſſe , quia pecunia accepta illud nefas perpetravit , & plura ſcelera tam indigno opere comprehendit . De aliis abactionibus exilii pœnam eſſe ſtatuendam .

Pœna eadem exilii invenitur ſtatuta l. 4. ff. de extraord. crimin. (41), & l. ſi mulierem ff.ad L. Corn. de Sicar. (42) quas leges a Cujacio in eod. cap. 9. relatas , ne oculi quidem intuitu Guaraſius dignas judicavit : unice Tertulliani auctoritate frætus , ex cujus celebri apologetico collegit , homicidium haberi apud Chriſtianos , ſi ne aliquis naſceretur tentatum fuiſſet , tandem intulit morte plectendum quemcumque abortum tentaviſſet : & idcirco non opus fuiſſe , ut mortis pœna *l. ſi quis necandi* in Infantium occiſores indiceretur . Eſto quod Tertullianus ait homicidium committi , impediendo ne in lucem prodeat ; dicat modo Guaraſius quonam loco ob abortus procuratos ſupplicium capitis ſtatutum Tertullianus dixerit?

Variis de cauſis in jure noſtro hominum perfectæ ætatis , ne dum Infantium , aut fœtuum cædes , non ſemper extremo ſupplicio plectuntur , quod conjicere eſt in tit. Ad L. Cornel. de Sicar. tum in Pandectis , tum in Codice . Et quando de abortu res agitur , ſemper , uti demonſtratum eſt , ſolum exilium tot legibus præſcriptum .

Inepte igitur procedit opinio Guaraſii , dum ſibi ipſi ſuadet , opus non fuiſſe , ut promulgaretur *L. ſi quis necandi* , cum adeſſent leges , quæ in partus abortivi effectores animadverterent , Cujaciumque in eadem lege exponenda infeliciter deceptum . Potius putandum *id muneris* a Guaraſio ſuſceptum , ut ipſe in ſuam ſententiam eruditos Viros adduceret , faceretque ut crederent ſuum illud imaginarium ſacrificium Infantium occaſionem dediſſe Valentin. Valenti , & Grat. ut legem eam cuderent .

Abſtineat jam Guaraſius , neque Cujacium in *L. Si quis necandi C. ad L. Corn. de Sicar.* expoſitione aberraſſe a vero ſenſu adſerat , aut ipſius errorem Joannis Roberti æmuli acerrimi oculos effugiſſe jactitet , qui ſtylum in Cujacium hac ſuper lege non acuit , quia nihil , quo nixus acueret , habebat .

Hactenus luculenter ſatis patet , convulſis cardinibus , quibus fulciebatur , Guaraſii opinionem prorſus concidere . Non enim verbo *piaculum ſacrificium* ſignificatur , non verbum *aggreſſus* in ſenſu *invadendi* ſumitur ; non denique quidpiam in hiſtoriam peccatum , juxta criticam legalem ab eo effictam de ſacrificiis humanarum victimarum adverſus ſenſum virorum in litteris , legibuſque verſatorum , videtur . Jam ergo ſit finis Diſpunctioni huic , qualiſcunque tandem ea ſit . Cæſar quidem Guaraſius ſub auſpiciis Sertorii parentis optimi magnum opus adgreſſus eſt , ut ſuo nomini immortalem famam compararet , ſaltem ex eo , quod adamuſſim genitoris imperio obtemperarit : nos conati pariter ſumus , quantum nobis per noſtram tenuitatem licuit , verum ſenſum tutari *L. Si quis necandi* in dubium revocatum , eumque eſſe oſtendere , qui in ſincera principis Juriſconſultorum JACOBI CUJACII interpretatione continetur . Speramus noſtros labores fore communiter gratos , eoſque publicam adprobationem conſequuturos , eam videlicet , quæ debetur iis , qui pro Innocente pugnant , non vero qui audacis Accuſatoris partes gerunt .

(41) *L.4.ff.de extraord.crim.* Divus Severus , & Antoninus reſcripſerunt eam , quæ data opera partum abegerit , a Præſide in temporale exilium dandam : indignum enim videri impune eam maritum liberis fraudaſſe.

DO-

(42) Si mulierem viſceribus ſuis vim intuliſſe , quo partum ſuum abigeret conſtiterit , eam in exilium Præſes Provinciæ exiget.

Source : BIU Cujas

DOMINICUS ALBANENSIS

ALUMNIS SUIS.

Significaſtis nuperrime mihi, Juvenes egregii, consilium veſtrum, operamque a vobis diligenter navatam in accuranda Diſpunctione adverſus Cæſarem Guaraſium, acerrimeque tuenda Cujaciana Interpretatione Legis Si quis necandi *Cod.* Ad L. Corn. de Sic. *Qua in re, tum vobis, tum ipſe mihi gratulor vehementer; nam quod ad Vos attinet, nacti eſtis, opportuneque occaſionem arripuiſtis pulchræ, honeſtæque laudis adipiſcendæ: cujuſmodi ea certe eſt, quæ ex illius Viri defenſione oritur, qui primas in legali Republica jamdiu obtinet: quique tot merito habere debet ſententiarum ſuarum Adſertores, partiumque ſuarum ſtudioſos, quot ſunt a Natura ſortiti bonam mentem, animumque ad veritatem mirifice factum. Neſcio vero, an idem poſſit de iis affirmari, qui a Cujacio recedunt: quum ii potius abducti videantur eſſe a quadam minime laudanda cupiditate clareſcendi ex magnis, ut ita dicam, inimicitiis, ſuſceptiſque adverſus communem ſenſum, opinionemque contentionibus. Quod vero attinet ad me ipſum, æquiſſima mihi eſt veſtro hoc in labore gratulandi cauſſa. Quî enim fiat, ut ſummopere non delectet, quum videam, inoleviſſe penitus in veſtris animis ea, quæ a me ſæpiſſime audiviſtis, quum Tirocinium fori apud me ponere deliberaſtis, inhærendum nimirum uni Cujacio, tanquam firmiſſimæ, tutiſſimaeque anchoræ, quotieſcunque Auctorum placita, Lege ſuper aliqua, incerta eſſe, ac fluctuare contigerit. Laudo itaque conſilium veſtrum, & fore confido, ut ex hac ultro, citroque ſuſcepta contentione, Cujacii dignitas non modo non labefactetur, ſed inclareſcat etiam magis, & luculentius emicet expoſitio, quam is exhibuit in interpretatione controverſæ* L. Si quis necandi.

Illud tamen doleo; me veſtro obſequi deſiderio minime poſſe, meumque de veſtra Diſpunctione ferre judicium. Meæ quidem ſententiæ conſcius A *ipſe ſum mihi; ſed eam pervulgare neque meæ conditionis eſt, neque hujus temporis. Non eſt, inquam, conditionis, quum perſpecta ſit omnibus mea erga vos paterna ſane benevolentia: quo circa noſtis optime per Leges ipſas excludi a ſententia, & a teſtimonio ferendo eos, qui erga alterutrum eorum, qui judicio agunt, vehementer ſunt affecti. Non eſt etiam hujus temporis, quum & ipſe mecum majus aliquid moliar hac ſuper re, plenaſque vindicias comparem, quibus aperiam, quid egomet ſentiam non modo de recens edita opinione Cæſaris Guaraſii, magnæ quidem ſpei Juvenis, Parentique ſuo Sertorio, Viro doctiſſimo,* B *futuri olim quam ſimillimi; ſed eti am de iis, quæ Cujacio objecere præſertim Jacobus Gothofredus, & poſtremo Gerardus Noodt, ut nihil loquar de conjectura primum Jacobi Rævardi, ex qua ſuſpicari quis poſſet ſuam excerpſiſſe opinionem, ſeu interpolaſſe Cæſarem noſtrum Guaraſium. Conſultius itaque vobis erit, inde vos Diſpunctionis veſtræ Judicium opperiri, unde & ipſe mearum Vindiciarum judicium expecto; ab aliis nimirum clariſſimis viris, reique præſertim legalis ſcientiſſimis, quibus ætas hæc noſtra, & noſtra hæc potiſſimum Urbs, ad ceterarum omnium invidiam, abundat. Et primum quidem a præſtantiſſimo,* C *doctiſſimoque viro BERNARDO TANUSIO, quem merito ſuſpicimus tanquam divinum quoddam legum ſacratiſſimarum Oraculum, atque acerrimum earundem Vindicem, integerrimumque Cuſtodem. Ab hoc uno, ſi veſtram Diſpunctionem, meaſque deinde Vindicias probari contigerit; nullus profecto erit, qui contra hiſcere, ejuſque judicio audeat refragari, quod, ob graviſſimi viri Auctoritatem, jure merito univerſæ inſtar Academiæ eſt, tum apud nos, tum apud ceteros homines, ubicunque terrarum Legum ſcientia viget, ac forenſis diſciplina. Valete, Juvenes optimi, meique amantiſſimi.*

Source : BIU Cujas

DOMINICI ALBANENSIS VINDICIÆ

PRO JACOBI CUJACII SENTENTIA

In interpretatione *L.* Si quis necandi *C. Ad L. Corn. de Sicar.*

ADVERSUS

JACOBUM RÆVARDUM : JACOBUM GOTHOFREDUM : GERARDUM NOODT; CÆSAREMQUE GUARASIUM.



Res veluti latentes ſcopulos in Oceano legali noſtro exhibet celeberrima lex penult. *Cod. ad Legem Corneliam de Sicariis*, & in quos incidere, ſeu offendere videntur feliciora quorundam Eruditorum ingenia ; verba ſcilicet INFANTIS, PIACULUM, & AGGRESSUS, AGGRESSAVE SIT. Illam propterea Valentiniani Senioris, Valentis, & Gratiani A.A.A. Conſtitutionem varie interpretatus fuit Jacobus Cujacius, & ſummi etiam in re legali viri Jacobus Gothofredus, & poſtremo Gerardus Noodt a Cujacii ſententia aberrantes; varieque nuper Cæſar Guaraſius ſub auſpiciis non modo Sertorii ejus parentis optimi, ac Academiæ nuncupatæ *Conſtantium* Principis, ſed forte etiam Jacobi Rævardi (1) intelligendam autumat in expoſitione, quam in lucem emiſit adverſus Cujacium. An jure, meritoque diſſidium hoc, & ut ita loquar, ſententiarum divortium factum ſit, hic videndum; & ne longe vager, ante omnia præponenda cenſeo controverſæ legis verba. Inquit lex : *Si quis necandi* INFANTIS PIACULUM AGGRESSUS, AGGRESSAVE SIT, *ſciat ſe capitali ſupplicio eſſe puniendum.*

Hanc legem in Juſtiniani Codicem tranſtulit Tribonianus ex Codice Theodoſiano ſub eodem titulo, *Ad L. Corn. de Sicariis*, ubi reperitur ſub numero inſignita primo hiſce verbis: *Si quis necandi infantis piaculum adgreſſus, adgreſſave ſit, erit capitale iſtud malum.*

In Decreto Gratiani (2) hæc quoque lex tranſcribitur iiſdem Triboniani verbis, ac in Codice Juſtiniani conceptis.

Et tandem in Baſilicis relata inſpicitur in vol. VII. Lib. LX. Tit. XXXIX. ſub Conſtitutione XXV. ibique hoc ſtatutum legitur: Καὶ τὸν νήπιον φονεύσας ὑπόκειται πμωρία, ideſt *Is etiam, qui infantem occidit, pœnæ ſubjicitur.*

Verbis *IS ETIAM* reſpondet Gloſſ. Theodor. in illam Conſtitutionem: Καὶ ὁ μικρὸν βρέφος ἀποκτείνων τῷ περὶ φόνυ ἐγκλήματι ὑπόκειται, ideſt, *Et qui parvulum puerum occiderit, crimine homicidii tenetur.*

Hi igitur ſunt fontes juris, ex quibus maximopere petendam arbitror controverſæ legis interpretationem; quandoquidem, ut recte cecinit Poeta apud Cujacium ipſum in oratione habita in ſchola Bituricenſi *de modo docendi juris.*

Multum, crede mihi, refert a fonte bibatur,
Quæ fluit, an pigro, quæ latet unda, lacu.

Minime propterea ferendos cenſeo Auctores aliquot, ſeu dicam potius legum corruptores, qui *qualiacunque ex Interpretibus ſui ſimilibus, hoc eſt ex cœnoſis lacunis haurire* malunt, *quam ex ipſo puro fonte;* ut perbelle inquit Jo. Ludovic. Vives lib. 1. *de cauſis corruptarum Artium.*

Baſilicorum librum LX. tituloſque in illo VII. volumine comprehenſos nulli dubium, quin Cujacius Latine verterit anno 1565. & Carolus Annibal Fabrotus recenſuerit, auxerit, & Græce ediderit anno 1647.

Conſulant inſuper Eruditi legalem Hiſtoriam de Baſilicorum Libris non modo a Suares in Notitia Baſilicorum: a Marquardo Frehero in Præfat. ad jus GræcoRom. a Doviat. in Inſt. Jur. Civil. pag. 47. a Leunclavio in Jure GræcoRom. quam a Jo. Brunquellio in Hiſtor. poſt Juſtinianum (3) & luculenter a Jo. Vincentio Gravina (4) ſatis concinne exaratam.

Brunquellius in cap. VIII. *de neceſſaria conjunctione juris Græci cum juris Juſtinianei ſtudio* §. II. ſic ait: *Cum enim plerique juris Græci Conditores, atque Interpretes paullo poſt Juſtinianum, & in ipſa quidem urbe Conſtantinopolitana, quæ imperii, & ſtudiorum ſedes, legumque cuſtos fuit, vixerint, non dubium eſt, quin integra juris Romani volumina, quæ incuria ſcribarum non dum corruperat, poſſederint, adeoque ſua ex illis hauſerint.*

Ejuſ-

(1) *Lib.* 3. *Conjectaneorum cap.* 1.
(2) *Part.* 2. *de Pœnit. Cauſ.* 33. *diſtinct.* 1. *cap.* 10.
(3) *Part.* 3. *Membr.* 1. *Cap.* 1. *& ſeq.*
(4) *Sub Cap.* 138. *de Ortu, & progreſſu jur. civ.*

Source : BIU Cujas

Ejuſdem deinde Brunquellii §. III. hæc ſunt verba: *Quæ cum ita ſint, non commodius jus Juſtinianeum interpretari, lacunæ ejus ſuppleri,* VERAQUE ET GENUINA LEGIS LECTIO INVENIRI, *quam ope Baſilicorum, ceterorumque juris Græci* INTERPRETUM POTERIT.

Hanc poſtmodum aſſertionem ſuam Brunquellius firmavit ex Mercerio *in Conciliatore*, ubi hanc in rem noſtram Mercerius verba facit: *Si quis locus ſuſpectus fuerit, ſi de cujus vera, & germana lectione non conſtet ſatis, ſuppetias ferent ad interpellandam eorum poſſeſſionem Græci Interpretes, &c.* & mox: *Veroſimile eſt, eos emendatiſſimis libris uſos, cum ex Latio in Græciam jus transferrent. Etiam obſervati loci quamplurimi, quibus lucem illi Authores diſperſere; receptæ ex eis emendationes plane innumeræ, fides facta* VERIORIS *lectionis, ſi quando aut excuſi inter ſe, aut ſcripti cum excuſis diſcreparent.*

Gravina prænotato loco inſuper inquit: *Ex quibus* (Baſilicorum libris) *atque ex Græcorum Juriſconſultorum ſuperſtitibus notis, & interpretatiunculis Cujacius multos juris civilis locos reſtituit, & explicavit, & illuſtravit; ita ut illius eruditio Græcorum luminibus adſperſa germanam Romanorum juriſprudentiam caligine temporum intermortuam ſuſcitavit.*

Quod confirmatur a Gotifrido Maſcovio in ſuis ad Gravinam notis, ibi: *In horum numero Baſilica præcipua ſunt, ad quæ decurrere ſolemus, quoties lux deficit lectioni Latinæ, ex quibus plura juris Romani capita reſtituit Cujacius.*

His jactis fundamentis, operæ nunc pretium eſt ſub unaquaque ex voculis *Infantis, Piaculum, Aggreſſus, Aggreſſave* conjecturas congerere adverſariorum Cujacii; ejus vero primum ſententia exponenda eſt, ut deinde perſpicue videatur, an bene inita ratione Cujacius, an perfunctorie, & oſcitanter, carpendique libidine ab ejus virtutis æmulis reprehenſus ſit.

Is non uno, vel altero loco (quos citant Jacobus Gothofredus, Gerardus Noodt, & nuper Guaraſius) de *l. Si quis necandi* verba facit, ſed bene multis ope Promptuarii mei in XII. Juſtiniani Codicis libros ſub illa lege congeſtis; & qui hic integre, & fideli calamo deſcribentur.

In lib.6.obſerv.21.de *occiſo infante* (5) ſic Cujacius loquitur: *Impp.capite puniendum cenſent eum, qui infantem occiderit, l. pen. C. ad l.* Corn. de Sicariis; *qua pœna etiam plectitur, qui virum occiderit: homicidas enim lex ultore ferro perſequitur. De infante* DUBITARI POTERAT, *quoniam lex Cornelia ait: Qui hominem occiderit, & deinde crimini nomen homicidium, ſive ἀνδροκτασίαν,*

Simili modo de fœmina DUBITARI POTUIT: *infans homo nondum eſt: fœmina item proprie non eſt homo*, l. ſi quis aliquid §. qui abortionis *ff.* de Pœn.

Sed ut in lege Julia, & Papia hominis ſignificatio augetur a juriſconſultis, l. Hominis *ff.* de verb. ſign. *ita & in l.* Cornelia, *ut fœminam quoque demonſtret; & infantem in dicta l. penult. nam & Homer. Iliad. XXIII. ejus verſibus, qui referuntur in l.* aut facta ff. de Pœn. Infantis cædem ἀνδροκτασίαν, ideſt *viri cædem* vocat, ſed καταχρηστικῶς, ideſt *per abuſionem* inquit, Euſtathius: Παῖδα γὰρ κατέκτανε, ἡνίκα τέλειον ἄνδρα. ἔπι δὲ ἑτέρως ἀνδροκτασίᾳ καὶ ἡ παιδοφονία λέγεται κατὰ τὴν ἀπὸ μέρους δήλωσιν τοῦ παντός, ἀνδροφόνος γὰρ ὁ ἁπλῶς ἄνθρωπον ἀναιρῶν, εἴ τε παῖς εἴτ' ὁ πεσὼν, εἴτε ἀκμαιὸς, εἴ τε καὶ γυνή, ideſt, puerum occidens non perfectum hominem; aliter enim hominis cædes dicitur per ſignificationem totius ex parte hominis. Viri occiſor enim, qui ſimpliciter hominem occidens, ſive puer fuerit occiſus, ſive adoleſcens, ſive mulier. *Sic edicto Publiciano hominis appellatione continetur etiam infans, l.* cum Sponſus §. Publiciana de Publ. in rem action.

Hicque unus eſt locus, quo uſi fuere Gothofredus, Noodtius, & Guaraſius, ut Cujacii ſententiam reprobarent.

In Paratitlis ad lib.9.Tit.16.Cod. (6) ſic idem Cujacius ait: *Sequitur lex* Cornelia de Sicar. *quæ homicidia capitali pœna coercet: lex ait:* Qui hominem occiderit dolo malo: *quæ verba generaliter comprehendunt qualemcunque occiſorem, puberem, vel impuberem doli capacem, ut alio capite ejuſdem legis,* Qui venenum malum fecerit. *M. Tull. pro Cluentio omnes ait, viros, fœminas, liberos, ſervos in judicium vocari, ac ſimiliter occiſum qualemcunque, etiam ſervum, & peregrinum, l.* 1. §. qui hominem *ff. eod. & infantem* IMPERFECTUM *hominem, l.pen. hoc tit.*

Libro inſuper XIX. Pauli ad edict. in comment. ad §. *Si res* l. 12. *de Publ. in rem act.* (7) cum hæc de infante ſervo nondum anniculo ſtatuiſſet Paulus in §. *Publiciana* hiſce verbis: *Publiciana actione etiam de infante ſervo nondum anniculo uti poſſumus,* Cujacius deinde ait: *Ad hæc ſubjungit Paulus etiam de infante ſervo, necdum anniculo Publicianam actionem competere in §. pen. Nondum anniculo, id eſt nondum uſucapto. Nam uſucapio rerum mobilium annua erat. Et eſt profecto evidentiſſimum iſtud veſtigium juris antiqui: ex conſtitutione Juſtiniani res mobiles uſucapiuntur triennio: ex jure, quod ante Juſtinianum ſemper obtinuit, anno. Et ita reſpiciens ad hoc jus ait, & de infante nondum anniculo, ideſt non dum uſucapto Publicianam actionem competere. De uſucapto competere directam, & civilem, quum major eſt anniculo.*

Cauſam dubitandi autem hoc loco manare ex edicto ipſo neceſſe eſt; quod videtur feciſſe mentionem HOMINIS *traditi bonæ fidei emptori. Unde exiſtebat dubitatio eadem, quæ incidit in legem Corn. de Sicar. l. pen. C. ad l.* Corn. de Sicar. *an* HOMINIS *appellatione contineretur* INFANS? *& contineri ait, etiam nondum uſucaptum.*

In comment. deinde ad §. *In vectigalibus* ejuſdem legis 12.ff.de Public.in rem act.(8) hæc protulit verba Cujacius: *Et ita hoc edicto mentio videtur facta* HOMINIS: *& ideo quæritur, an pertineat etiam hoc edictum ad* INFANTEM, *ſicut in l.* Cornel. de Sic. *qui* HOMINEM *occiderat,*

(5) *Tom.III.Edit.Neapol.col.152.litt.E.*
(6) *Tom.II.Edit.Neap.col.597.litt.A.*
(7) *Tom.V.Edit.Neap.col.246.litt.C.*
(8) *Tom.VII.Edit.Neap.col.375.lit.C.D.*

Source : BIU Cujas

derat, ambigitur, an lege Cornelia teneatur, qui INFANTEM *occiderit, quia is non videtur esse* HOMO, *& trahitur etiam ea lex ad* INFANTEM, l. penult. ad L. Corn. de Sicar. *atque ideo Publiciana agere possumus non de* HOMINE *tantum vendito, & tradito nondum usucapto, sed etiam de* INFANTE *non dum anniculo.*

Ex l. *Hominis appellatione* ff. de *verb. signif.* habetur: *Hominis* appellatione tam fœminam, quam masculum contineri, eamque dum interpretatus fuit Cujacius (9) iterum verba facit de nostra controversa l. *Si quis necandi:* ibique ait: *Hæc lex docet, in eisdem legibus Julia, & Papia hominis appellatione contineri fœminam. Caput certum vix notari potest. Id* CURIOSI *nostri adnotarunt etiam ad* l. Cornel. de Sicariis. *De eo, qui* HOMINEM *occiderit: vel de eo, qui Hominis occidendi causa cum telo fuerit. Dubitabatur, an teneretur ea lege qui* INFANTEM, *aut fœminam occiderit, & constitutum est teneri l. pen. C. ad* l. Cornel. de Sicar.

Postremo Cujacius in commentario ad Tit. Cod. ad L. Corn. de Sicar. (10) de l. *Si quis necandi*, ceteriſque sub illo titulo comprehensis sic generaliter loquitur: *Hæc lex homicidia capitali pœna coercet, & ait generaliter:* QUI HOMINEM *occiderit, & ideo cujuslibet conditionis hominem comprehendit. Non dicit, ut lex Numæ:* Qui hominem liberum dolo malo sciens morti duit; *sed qui* HOMINEM *occiderit: proinde cujuscunque conditionis* HOMINEM, *comprehendit etiam servum, & peregrinum, qui fuerit occisus, l.* 1. §. & qui hominem *ff. eod. tit. L. Inde Neratius* § si dolo *ff ad* L. Aquil. *Immo & cujuscumque* ÆTATIS INFANTEM, *seu imperfectum* HOMINEM *l. pen. hoc tit.* & hic alter locus est, quem in sua expositione affert Cæsar Guarasius.

Hæc igitur omnia sunt documenta Cujacii. Videndum nunc quid sibi voluit in primis Jacobus Rævardus, Jacobus deinde Gothofredus, Gerardus Noodt, & noviſſime Cæsar Guarasius in ejusdem legis expositione.

Rævardus lib. 3. Conjectaneorum, monente Gothofredo ipso, & Noodt putat *l. Si quis necandi* a Valentiniano, Valente, & Gratiano prolatam fuisse in Infantum immolatores (11). Gothofredus in Comment. ad eandem leg. in Cod. Theod. lib. desuper notato, conjicit illam legem pertinere ad Infantes recens *natos, quos vulgivaga, & illicita venere, sive de vulgo Patres, sive vulgariæ Matres enecare soliti, velandæ turpitudinis causa.*

Gerardus Noodt in lib. sing. inscripto: *Julius Paulus*, sive *de Part. expositione, & nece apud veteres* cap. 9. alteram sibi adscribit conjecturam, inflictam scilicet in illa lege mortis pœnam Infantum expositoribus.

Guarasius insuper opinionem Rævardi jam diu excogitatam, interpolando, (si suspicari licet eam perlegisse) idem censet in recenti expositione sua. Quin etiam putat (id minime divinante Rævardo ipso) in Infantum immolatores, nedum pe-

(9) *Tom. VIII. Edit. Neap. col.* 597. *litt. B.*

(10) *Tom. IX. Edit. Neap. col.* 1434. *litt. D.*

(11) Integram Rævardi interpretationem, ejusque verba hic, in gratiam eruditorum, recudenda censui post Guarasii expositionem col. 291. & seq.

racto sacrificio, sed & cum crimen hoc solummodo attentatum fuisset, ultimum ex hac lege supplicium infligendum.

Contra Rævardum audacioris ingenii virum utpote figmentis assuetum, id monente Jo. Vincentio Gravina (12) insurexit Goth. & Noodt. Noodtiumque insimulat Cornelius Van-Byncker-soek in suo opusculo: *de jure occidendi liberos &c.* Omnes insuper quodam veluti fœdere, & æque bello inter ipsos indicto, ac alio migrantes, sibimetipsis, & vicissim contradicentes in Cujacii doctrinam cum Guarasio conspirant; ut revera hic fas sit dicere id accidere opinantibus, dum ex vera legis vi, ac ratione demigrant, ut minime scilicet inter se conveniant; quod & maximum est argumentum contra insectatores veracitatis Catholicæ Fidei nostræ; utpote qui dum aliud sentiunt, quam sacrosancta edocet Ecclesia, inter se iidem pugnant, lacerantur, dilaniantur.

Deveniendum modo ad controversæ legis elucidationem sub unaquaque ex voculis jam supra descriptis patefaciendam.

CAPUT I.

Quid veniat sub appellatione Infantis, *quidque* Hominis.

CUjacius Infantem definivit nondum perfectum hominem, & alias imperfectum, & a nemine hoc in dubium revocari censeo. Infans ab homine differt tantum sermone, & ætate, non quidem natura, quæ eadem viget in homine, ac in Infante, immo & in fœtu non dum in lucem emisso. De Homine, & quidem perfectæ ætatis Tullius sic fatur in suo tractatu de Legibus: *Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & consilii, quem vocamus Hominem.* Quis sani capitis de Infante hoc idem diceret?

Plautus de Homine, nec quidem de Infante loquitur (13) *Euge, Epidice, pugnasti,* HOMO *es:* & alias (14) inquit: *Mi homo, & mea mulier, vos saluto.* Ipsemet supremus rerum omnium opifex, dum ex humo creavit Adam, illum minime Infantem creavit, & vocavit (15). Sed HOMINEM, cum omnibus scilicet qualitatibus perfectæ ætati convenientibus, eique a Tullio, ut nuper dixi, sapienter attributis.

Seneca epist. 118. ad suum Lucilium de Infante sic fatur: *Infans fuit, factus est pubes, alias ejus proprietas fit: ille irrationalis est, hic rationalis;* quod & luculenter explicat in epist. 124. hisce notabilibus verbis.

Quare autem bonum in arbore, animalique muto non est? quia nec ratio ob hoc quoque in INFANTE *non est, nam & huic deest. Tunc ad bonum perveniet, cum ad rationem pervenerit. Est aliquod irrationale animal, est aliquid non-*

(12) *De Jur. Nat. & Gent. & Civili cap.* 78. *sub verbo* parit.

(13) *Epid.* 3. 4. 57.

(14) *Cist.* 4. 2. 52.

(15) *Gen. cap.* 1. *vers.* 26.

Source : BIU Cujas

nondum rationale. Eſt rationale, ſed IMPERFECTUM. *In nullo horum bonorum ratio illud ſecum affert. Quid ergo inter ea, quæ retuli diſtat? Nunquam erit bonum in eo, quod irrationabile eſt. In eo quod nondum rationale eſt, tunc eſſe bonum non poteſt:* IN IMPERFECTO *jam poteſt eſſe bonum, ſed non eſt. Ita dico, Lucili, bonum non in quolibet corpore, non in qualibet ætate invenitur: & tantum abeſt ab* INFANTIA, *quantum a primo ultimum, quantum ab initio* PERFECTUM. *Ergo nec in utero modo coaleſcente corpuſculo eſt. Quid ni non ſit? non magis quam in ſemine; ut ſi dicas, aliquod arboris, aut ſati bonum: hoc non eſt in prima fronde, quæ emiſſa cum maxime prorumpit. Eſt aliquod bonum tritici: hoc nondum eſt in herba lactente, nec cum folliculo ſe exerit ſpica mollis, ſed cum frumentum æſtas, & debita maturitas coxit. Quemadmodum omnis natura bonum ſuum niſi conſummata non profert, ita hominis bonum non eſt in homine, niſi cum illo ratio* PERFECTA EST.

Infantium, & parvulorum hæc porro ſunt, quæ effundit contemptus verba Textus facer in Sapientia cap. 12. verſ. 24. Infantium INSENSATORUM more viventes. Et in Proverbiorum libro cap. 1. verſ. 22. *Uſquequo, parvuli, diligitis Infantiam, & ſtulti, ea quæ ſunt noxia cupient?* & cap. 14. verſ. 18. *poſſidebunt parvuli ſtultitiam.*

Ipſemet Gothofredus, & Noodtius in expoſitione *l. Si quis necandi* adduxerunt exemplum ex Philone in vita Moſis, de pravo ſcilicet Vulgi uſu, ſeu populari errore vix habentis pro homine Infantem recens natum; ſicque Philo Moſis Parentes inducit loquentes: *Debueramus recens natum exponere* quod *priuſquam Nutricis intercedat officium* VULGUS *vix habet pro homine.*

Ipſa quoque Romuli antiqua lex in XII. poſtea Tabulas a Decemviris translata ſtatuit necari partus aliqua deformitate inſignitos; ut monet Antonius Matthæus *de Criminibus* (16) ibi: *Monſtruoſos partus ſine fraude cedunto.* Et pro iiſdem attulit illud Senecæ: *Morbidis pecoribus, ne gregem polluant, ferrum demittimus, portentoſos fœtus extinguimus, liberos quoque, ſi debiles, monſtruoſique editi ſint mergimus.* Et ut ceteros prætream magni nominis Auctores, qui hac de re, & de quamplurimis exemplis, & legibus aliarum Nationum ſcripſere, ſat eſt adire Noodtium ipſum in ſuo Tractatu: *De partus expoſitione, & nece:* nec non Van Bynkerſhoek in Opuſculo: *De Jure occidendi, vendendi, & exponendi liberos:* Inſuper eundem Noodtium in altero Tractatu inſcripto: *Amica reſponſio*; & denique Bynkerſhoekium ipſum in ſuis *ſecundis* curis, ſive eruditiſſimis Notis ad *Amicam reſponſionem* Noodtii; quandoquidem mihi nunc mens, animuſque eſt de Legibus in Pandectis, & Codice Juſtiniani ad eundem Titulum *de Sicariis* pertinentibus aliqua diſſerere.

In Pandectis decem, & ſeptem congeſtæ ſunt ſub illo Titulo a Triboniano leges. Prima varia continet capita hominis occiſionem reſpicientia. Et ſub §. *præterea* verſ. *& qui hominem*, notanda eſt illius Juriſconſulti diligentia dubitationis tollendæ cauſa adhibita, ne ſcilicet prior diſpoſitio calumniaretur, ſi de homine libero occiſo, & non fortaſſe ſervo, & de Viro, non de fœmina priora verba legis exaudirentur. Inquit propterea: *Et qui hominem occiderit non habita differentia cujus conditionis hominem interemerit.* Recte quoque Gloſſ. hoc advertit in verb. *Hominem* his verbis: *vel liberum, vel ſervum. Item ſi ſit in dignitate, vel non, maſculus, vel fœmina.* Et Cujacius noſter ducto exemplo a l. Numæ, id mirifice confirmat.

Lex 2. prohibet non poſſe patrem occidere inauditum filium; & quæ ſequuntur leges de Hominis nece conſtanter multis, variiſque modis loquuntur; & minime de Infantis cæde.

Inſurgat tamen hic lex 8. & 12. quæ ad partus abactionem, & Infantis crimina pertinent; ut exinde liceat ex illis conjecturam ſumere Cujacii ſententiam confirmantem in controverſa lege, *Si quis necandi.* Ulpianus in l. 8. ait: *Si mulierem viſceribus ſuis vim intuliſſe, quo partum abigeret, conſtiterit, eam in exilium Præſes Provinciæ exiget.* Guaraſius, ut Cujacium reprehenderet, ait (17): Abactorem fœtus animati incidere in crimen leg. Corn. *de Sicariis.* Quid dicendum nunc, ſi ſub appellatione Hominis, vel Infantis contineatur fœtus, & ad fœtum non pertineret ſane illud ſacrificium, quod poſt Rævardum excogitavit Guaraſius ſenſiſſe Valentinianum in illa Cod. lege? Niſi forte Guaraſius dicat olim immolatam fuiſſe aliquam mulierem prægnantem, & ſic fœtum in ejus utero incluſum.

Præclara deinde verba Modeſtini in leg. 12. hæc ſunt: *Infans, vel furioſus ſi* HOMINEM *occiderit, lege Cornelia non tenetur, cum alterum innocentia conſilii, alterum fati infelicitas excuſet.* En quoque differentia in jure inter voculas *Infantis*, & *Hominis*; ut non mirum inde videatur in leg. *Si quis necandi*, cum anteriores leges de hominis occiſione ſtatuiſſent pœnam, eandem protraxiſſe Impp. in Infantum occiſores, dubitationis nempe tollendæ cauſa, quæ incidere poterat inter vocabula *Hominis*, & *Infantis*.

In Codice novem indictæ ſunt leges ſub eodem Tit. Ad l. Corn. *de Sicar.* Nuſquam de Infantis nece, ſed tantum de Hominis occiſione mentionem faciunt; una excepta leg. penul. de cujus interpretatione controverſia eſt. Exaudienda tamen verba legis 7. utpote uberiorem legem præſtantis poſteriori legi, *Si quis necandi*: inquit lex 7. de qua recurret ſermo ſub cap. 3. harum Vindiciarum: *Is, qui cum telo ambulaverit* HOMINIS NECANDI *cauſa, ſicut is, qui* HOMINEM *occiderit, vel cujus dolo malo factum erit commiſſum, legis Corneliæ* de Sicariis *coercetur.* Hæc igitur lex de HOMINIS occiſione loquitur; quid mirum, ſi poſterior lex, *Si quis necandi* de Infantis nece id quoque ſtatuerit, dubitationis nempe tollendæ cauſa, ut nuper dixi, inter voculas HOMINIS, & INFANTIS?

Idem inſuper verbum NECANDI, quo utitur lex, *Is, qui cum telo* 7. æque adhibetur in ſubſequenti lege *Si quis necandi.* Ibi denotat occiſionem Hominis; hic auctore Rævardo, & Guaraſio, Infantis immolationem! Quid abſurdius? Si id

(16) *Lib.* 4. *Tit.* 5. *Digeſt.* de Sicariis *cap.* 1. *n.* 6.

(17) *Col.* 287. *lit. A.*

Source : BIU Cujas

id profecto voluiſſet lex illa penult. nonne poterat id idem commonere, & exprimere verbis ſacrificium, ſeu immolationem denotantibus? poterat equidem dici: *Si quis* IMMOLANDI *infantis*, &c. Hoc non dixit. Noluit ergo Valentinianus ſub illa lege contineri Guaraſianum, Rævardianumque ſacrificium.

Et revera nuſpiam in jure, Lexiciſque omnibus, verbum *necare* ſumitur pro *immolare*; durum propterea eſſet *torquere leges, ut torqueant homines*, inquit Franciſcus Baconius aphoriſmo 13. de *Juſtitia univerſali*; magiſque imo valerent *acumina ingeniorum, quam authoritates legum*, ut innuit idem Baconius aphoriſmo 16. ac proinde corruere neceſſe eſt cum conjectura Rævardi Guaraſiii opinamentum; ſemperque omnibus numeris abſolutam Cujacii ſententiam præponendam reor. Sed de hoc aliud remanet dicendum ſub cap. ſequ. in verbo *Piaculum*. Pergamus modo ad Gothofredi, & Noodtii conjecturas.

Jacobus Gothofredus in prænotato loco putat primùm Valentinianum Seniorem illam legem protuliſſe, ut augeretur pœna abacti partus, quæ anterioribus legibus ſtatuta erat, & plerumque exilii. Hæc Goth. conjectura (de qua alius mihi erit dicendi locus) fateor mihi arridet; non ita tamen, ut altera Cujacii noſtri in *errore manifeſtario* cubet, ſic affirmante Goth. ipſo hiſce verbis: *Proinde Cujacius in errore manifeſtario cubat, & poſt eum alii, & quidem duplici, cum Infantem nondum eſſe hominem tradit; &* DUBITATUM FUISSE *ait, an homicidium committeret, qui infantem necaret. Nam de pœnæ tantum genere dubitatum fuit, & cum infantem Cujacius nondum hominem eſſe prodit, joculariter proprietate idiomatis noſtri deceptus videtur, quo nonniſi perfectæ ætatis viros Homines vocamus. Geminus ſane hic eſt ejuſdem Cujacii error fœminam Hominis appellatione comprehenſam negantis.*

Sed ubinam loci Cujacius hæc dixerit, quæro? de Infante ſcilicet, quod non habeatur pro homine, vel quod fœmina ſub Hominis appellatione non comprehendatur? Nuſquam certe; imo contrarium, dum Infantem Hominem vocavit, ſed imperfectum cum Seneca, & fœminam ſub Hominis appellatione contineri, ut ſupra demonſtratum eſt, Cujacius aliarum legum auctoritatibus conſtanti judicio affirmavit, ſubſtinuitque.

Eodem errore notatur Cujacius a Noodtio, & hic ejus quoque verba deſcribere juvabit, ut æque ambobus dirigatur amica reſponſio mea pro Cujacii ſententia vindicanda.

Suam conjecturam Noodtius exiſtimavit non eſſe extra omnem difficultatem, *Quia*, inquit, *aliter eam legem interpretantur viri ſummi Jacobus Cujacius, & Jacobus Rævardus. Cujacius certe (nam ab eo initium faciam) lib. 6. obſervat. 21. eam exaudit de quocumque infante, putatque ea tolli dubitationem, quæ apud VETERES fuerit, an infantis cædes lege Cornelia* de Sicariis *puniri poſſit. Quod non probo: immo vereor, ne Cujacius, cum ſic cenſet, parum intenderit felicis ingenii vires. Quis enim* VETERUM *dubitavit, an Infans, utique editus, agnitus, alique juſſus, Homo intelligeretur?* NEMO. *Non igitur ejus Infantis cædes novam deſiderabat conſtitutionem: quia ut abſque ea foret, tamen ſi dolo malo eſſet occiſus, & ſi Infans, tamen Homo, jam lex de Sicar. ſufficiebat. l. 1. §. 2. ff. Ad L. Corn.* de Sicar. *Ne addam nunc, quod præterea parentibus, a quibus occiſus diceretur Infans, agnitus, alique cæptus, ex Conſtantini conſtitutione, quæ eſt lex* unica C. de his, qui parentes, vel liberos occiderunt, *etiam lex* Pompeja, *indiſtincte iraſceretur. Nullius igitur rei eſt Jacobi Cujacii ſententia.*

En errores, ſeu crimina Cujacii. Attamen forte vereor, ne illuſtres ejus adverſarii in PIACULUM aliud, ſeu crimen incidiſſe videantur ex altero eiuſdem leg. Corn. capite, nimirum de *Falſis*, quandoquidem in jure cautum legimus falſum eſſe quidquid in veritate non eſt, & pro vero adſervatur, ipſo Cujacio ex ſententia Pauli id monente in Paratitlis *Cod. ad lib. 9. tit. 22. Ad l. Corn. de Falſ.* (18); dum autumant Cujacium ſenſiſſe Infantem non haberi pro Homine, nec ſub appellatione Hominis fœminam comprehendi. Quod hoc ſit evidenter falſum, patet ex modo dictis adverſus Jacobum Gothofredum; & unicuique jam facilis patet aditus ſingula Cujacii verba in prænotatis locis percenſendi.

Augetur hoc idem falſitatis crimen, quod Cujacius forte dixiſſet *apud VETERES dubitatum fuiſſe*, an Infans haberetur pro Homine, quum de VETERIBUS, quos innuit Noodtius, nullum veſtigium in verbis Cujacii ad illam legem pertinentibus reperiatur. Nec inſuper Cujacius ſomniavit dubitatum fuiſſe, ſed tantum quod dubitari *potuit*, vel *poterat*, an Infans, & fœmina ſub *Hominis* appellatione comprehenderentur. Verba igitur illa: *potuit*, *poterat* ad indicium, ſeu dubitandi conjecturam referuntur, minimeque ad actum, quo ſcilicet revera dubitatum fuiſſet ab aſſertis VETERIBUS; tantumque propterea differunt inter ſe Cujacii verba, & ea, quæ ab ejus Adverſariis conficta ſunt, quantum actus a potentia differt, & viciſſim potentia ab actu.

Unus tantummodo locus eſt, in quo Cujacius de quibuſdam CURIOSIS verba facit, & nuſpiam de iis VETERIBUS, quorum meminit Noodtius in expoſitione ſua controverſæ legis, *ſi quis necandi*; & locus ipſe inter ceteros allatus eſt ſupra (19).

Quinam iſti Curioſi fuerint, ibi ex Cujacio non liquet. Ceterum verbum hoc: CURIOSUS, multiplici gaudet ſignificatione, & æque in bonam, ac in malam partem: *Ita eſt homo*, ait Tullius (20) *non modo prudens, verum quod vidi etiam CURIOSUS*, & alias (21). *Quo minus familiaris ſum, hoc ſum ad inveſtigandum CURIOSIOR.* Plautus ſimiliter (22) inquit: *Curioſus nemo eſt, quin ſit malevolus.* Huc tandem ſpectare videtur illud facetum dictum Euclidis Philoſophi, (23) qui rogatus a Curioſo quodam, quales eſſent Dii, qui-

(18) *Tom. II. Edit. Neap. col. 604. lit. B.*
(19) *Col. 315. lit. B.*
(20) 3. Familiar.
(21) *Lib. 4. epiſt. 14.*
(22) *Stich. 1. 3. 55.*
(23) Ex Maximo *ſerm. 21.*

Source : BIU Cujas

quibuſque potiſſimum gauderent : *Cetera quidem ignoro*, inquit: *at CURIOSOS illis ODIO eſſe certo ſcio.*

Ah, & utinam aliquot vetuſtæ ætatis Theologaſtri abſtinuiſſent ſe quoque a ſimilibus Curioſitatibus, quæ verſantur circa Auguſta, & æque recondita Myſteria infallibilis fidei noſtræ!

In jure Curioſi meruerunt efformari de eorum conditione, & qualitatibus Titulum peculiarem *in Cod. Theodoſ. lib. 6. & in Cod. Juſtin. lib. 12. de CURIOSIS, & STATIONARIIS.* Multiplex eorum cura fuit, & præcipue in *leg.* 1. utriuſque Codicis, crimina inveſtigandi, nunciandique Judicibus; non citra tamen eorundem Curioſorum periculum, ſi inſontibus conſtitiſſet nexuiſſe calumnias; & hinc infertur, ut ſi Curioſos iſtos appelles DELATORES, verendum non eſt, quin Cujacio noſtro Duce in expoſitione Novellæ 13. (24) a veritate ſorte aberres.

Curioſos igitur iſtos, vel Noodtii VETERES, minime juris Conditores intelligendos eſſe, dicendum eſt; ſed potius moleſtos quoſdam veſtigatores verborum juris; quo in ſenſu ſuſpicor Cujacium ironice de Curioſis verba facere in prænotato ſingulari loco. Et alias certum eſt in jure, vocabulo hoc *Veteres* denotari anteactæ ætatis Juriſconſultos, quorum præclara nomina exhibentur in Volum. Pandectarum. Sic Papinianus (ut de aliis taceam exemplis, quæ afferri poſſent (25)) ſub verb. *Veteribus* indigitavit Juriſconſultum Labeonem, qui ea de re, vel ſimili ſuam protulit ſententiam in *l.* Labeo *ſcribit ff. de Contrab. empt.* id monente Gloſſa marginali ad illam *l. Veteribus*: ibi : *Veteribus; ſcilicet Labeoni, ut l. Labeo ſcribit ff. de Contrab. empt.* & Cujacius in Commentario ad eandem *l. Veteribus* (26) id idem confirmat ibi : *Sic veteribus Juriſconſultis placuiſſe ait, ut Labeoni, qui eſt ex veteribus;* ſimilemque protulit ſententiam in ſuis notis ad librum II. *inſtit. Juſtin. cap.* 10. §. 10. *verſ. Et veteres,* (27) ibique inquit : *Et veteres* ideſt *juris Conditores.*

Sed hoc parum ad rem, de qua agimus, pertinet; aliiſque proinde non quidem Curioſis, ſeu verborum juris veſtigatoribus, ſed eruditiſſimis ætatis noſtræ in re legali viris, inveſtigandam rem relinquo ; nam redeundum interea eſt ad ceteras depellendas Gothofredi, & Noodtii in Cujacium animadverſiones.

Lex penult. §. 2. *ff. ad l. Cornel. de Sicariis*, quam Noodtius invocat, minime de Infante, ſed de Homine occiſo loquitur. Verba hujus legis, ſeu §. jam antea conſcripta ſunt cum Accurſii Gloſ. circa variam hominis occiſi conditionem; ſi eſſet, nempe homo liber, vel non, ſervus, peregrinus, aut in aliqua dignitate poſitus, maſculus, vel fœmina. Non igitur, ut Noodtius putat, lex Cornel. *de Sicar.* quidquam diſpoſuit in illo §. de occiſione infantis; & opus propterea fuit in Cod. id ſpecifice provideri in *l. ſi quis necandi.*

Quid inſuper negotii cum aliis legibus, quas indigitat Noodtius in parricidas, & partus expoſitores; quidque commune cum eis habet lex *ſi quis necandi?* hæc enim lex ultore ferro perſequitur occiſores cujuſcunque Infantis; illæ circa liberos, & partus proprios vertuntur : & ſaltem Noodtius id hic induceret abſurdi, ut tantum parricidas, & expoſitores parentes morte, ſeu quacunque alia pœna plectendos cenſeat, non alios quoſcunque alieni Infantis interfectores.

Inter Hominem, & Infantem nulla equidem differentia, immo cum fœtibus non dum editis eadem humanitatis ratio viget. Infans igitur Homo eſt, ſi naturam utriuſque ſpectemus; ſed proprietate ſermonis quotidianæ loquutioni finitima fœmina, ſive mulier, non dicitur Homo, ſicuti nec Infans Homo, nec Homo infans vocitatur. Et ſi velis aliquando Hominem vocari mulierem, ut hæc vox uſurpatur apud Plautum (28) de Homine imbelli, & effœminato: *Non me arbitratur militem, ſed mulierem.*

Leges ipſæ (quod & ſummopere notandum) cum de Hominum officiis, fortuna, fato, variiſque actionibus diſponunt, Hominem, non Infantem, nec fœminam, ſive mulierem vocitant, & viciſſim; & hic tantum otii non eſt, ut ſingulas percenſeam. Fœtus ipſe quouſque in utero materno deliteſcit, dicitur portio viſcerum matris, ſeu fœminæ, non Hominis. Quid abſurdi non inſurgeret, ſi illam fœminam vocemus Hominem, Hominemque fuiſſe aliquando prægnantem ſaltem ab vulgi deriſione auſcultaremus : immo Infantem, quia homo eſt, & ipſum quoque in tenella ætate ſua prægnantem?

Maneat igitur in ſuo robore legislatorum ſapientia, & recta ratio qua ſcilicet in legibus condendis aliter Hominem, aliterque fœminam, Infantem, recens natum, & fœtum appellant; & imo ne aliqua dubitandi cauſa ſubſit, ſenſum, & verba ſua admodum declarant, & explanant, ut ſaltem cavillationibus vulgi occurratur aliter ſentientis de verbi *Hominis* ſignificatione quam de *fœminæ*, & *Infantis.*

Nec dicendum, quod leges ſapientibus tantum dictæ ſint, vel dirigantur; imo maximopere vulgaribus Hominibus; & quibus profecto magna, ut non dicam maxima pars Rerumpublicarum conſtat. Ac proinde hoc præcipuum Legislatorum omnium munus eſſe arbitror, ne legem (& præſertim in criminibus puniendis) niſi claram, & perſpicuam proferant; minimeque a falſis vulgi interpretationibus exturbandam, aut calumniandam.

Inter ſapientum, & vulgi conditionem hanc recte adnotavit Anthiſtenes (29), ut negaret ſapientem vivere juxta leges, ſed potius juxta normam virtutis. Id ipſum innuit Plato (30). *Recte* inquit, *enim is mihi videtur dicere, qui ſtatuit de virtute prius agendum, ut inſtitutus de legibus ſermo, commode, & quemadmodum decet, explicari poſſit; quandoquidem ad virtutem illæ plane revocantur.*

An hoc idem de vulgaribus hominibus dici poſſit

(24) *Tom. II. Edit. Neap. col.* 1054. *lit. A.*
(25) *Lib.* 15. *quæſt. ad l. Veterib. ff. de Pact.*
(26) *Tom. IV. Edit. Neap. col.* 104. *lit. D.*
(27) *Tom. I. edit. Neap. col.* 99. *lit. B. Notar. Poſt.*
(28) *Bacch.* 4. 8. 4.
(29) *Stobæus ſerm.* 42.
(30) *Lib.* 1. *de legibus.*

Source : BIU Cujas

poſſit, auctor nobis primum ſit Plato ipſe, qui (31) ſic fatur: *Quod autem ea, quæ & minus ſunt, & minus vera ſunt, accipit; minus vere, firmiterve repletur fallacioriſque, & falſioris voluptatis particeps.* Huic ſententiæ luculenter congruit illud Publii Syri memorabile dictum: *Sæpe oculi, & aures vulgi, ſunt teſtes mali.*

Vulgi inſuper natura, ſive indole, ingenioque comprobatum eſt illum quandoque inſanire, quum in meliorem venire videatur mentem. Sic de populo Athenienſi arbitratus fuit Phocion (ex Plut.). Cum enim magna cum libertate illum reprehenderet, Phocioni Demades dixit: *Laniabit te, Phocion plebs, ſi paululum inſanierit; quin,* inquit ille, *ſi paululum reſipuerit.*

Nec minoris ſapientiæ alterum ejuſdem Phocionis dictum refert Plut. in apoph. Cum enim orationem apud illum Populum haberet, omniumque plauſu exciperetur, idque quum cerneret Phocion, converſus ad amicum ait: *Quid num mali dixi impudens?*

Jure igitur merito *in legibus condendis* (monente eodem Baconio aphoriſmo 68.) *atque edictis ordinariis, & politicis, in quibus nemo Juriſconſultum adhibet, ſed ſuo ſenſui confidit, omnia fuſius explicari debent, & ad captum vulgi, tanquam DIGITO MONSTRARI.*

Hinc propterea per quam ſapienter dixiſſe cenſeo laudatum *Vives* (32) dum inquit: *Jam vero quando lex eſt, velut quædam regula, ad quam unuſquiſque actiones omnes ſuas debet accommodare, par eſt, ut leges ſint & APERTÆ, ac faciles, ac paucæ; ut ſciat quiſque, quomodo ſit vivendum: nec id propter obſcuritatem legum ignoret, nec propter illarum multitudinem ei excidat;* & paulo poſt luculentius ait: *Vos ergo ſcribendis legibus non mitem quandam oſtenditis, & benignam degendæ vitæ rationem, SED INSIDIAS STRUITIS SIMPLICITATI POPULARI.*

Recte quoque Senecam epiſt. 94. ad ſuum Lucilium inſimulaſſe reor Platonem ipſum putantem adjicienda legibus principia quædam, ſeu Præfationes, vel Prologos, quibus quamplures, ne dicam univerſas Juſtiniani Novellæ abundant; *Legem enim* (inquit Seneca) *brevem eſſe oportet, quo facilius AB IMPERITIS teneatur, velut emiſſa divinitus vox ſit.*

Quinam ſit non modo vulgi circa Hominis, & Infantis appellationem, ſed etiam eruditiſſimorum virorum, aliarumque legum ipſarum ſenſus, jam ſupra, & abunde demonſtratum eſt. Nonne igitur ex his evidenter apparet Valentiniani ſenioris ſapientia adhibita in prolatione legis, *ſi quis necandi*; nimirum, ut quaſi digito monſtraret pœnæ legis *Corneliæ de Sicariis* ſubjiciendos quoque interfectores Infantum, cum anteriores leges ſub eodem titulo comprehenſæ de HOMINIS occiſione verba feciſſent, & minime Infantum?

Sed hic opportunius ſit ex eadem lege, *Si quis necandi* aliud maximum, ſolidumque eruere argumentum, quo Cujacii ſententia adverſariorum ipſorum opinamentis, & judicio firma, ſtabiliſque remaneat.

Priora verba controverſæ legis hæc ſunt: *ſi quis necandi infantis piaculum AGGRESSUS AGGRESSAVE SIT.* Otioſum equidem eſſet, & ſuperfluum illud verbum AGGRESSAVE, cum ſub priori verbo SI QUIS tam Hominem, quam fœminam comprehendi omnia jura clament.

Quid ad hæc Gothofredus in Commentario ad eandem legem, ubi Cujacium reprehendit? *Infantem* (ait) *quoque* (μικρὸν βρέφος, ideſt, *parvulum puerum* vertunt Græci, ſeu νήπιον, ideſt, puellum) *qui occidit, capitali pœna a Valentiniano ſeniore puniri hac lege jubetur; non minus ſcilicet, quam qui perfectæ ætatis Hominem interemit; idque ſive mas, ſive fœmina ſit, Seu ut loquitur interpres, ſive mulier, qui id fecit.* Antequam integra Gothofredi verba recenſeam, prænotanda ſunt illius interpretis verba: *Sive vir, ſive mulier Infantem necaverit . . . Quod quidem* (Gothofredus deinde ait) *hoc dubitationis tollendæ cauſa expreſſum, cum alias verbo SI QUIS ſatis indicaretur.*

Eadem fere dubitationis tollendæ cauſa Imperator Juſtinianus in *l. 7. C. ad Senat. Conſ. Tertullianum* adhibuit expreſſionem *ſi quis, vel ſi qua matre, &c.* & in jure noſtro conſuetudinario ſub tit. *de ſucceſſionibus ab inteſtato* eadem perhibetur expreſſio, ſcilicet: *Si quis, vel ſi qua ab inteſtato &c.*

Eſto igitur quod Cujacius in interpretatione controverſæ noſtræ legis dixiſſet *dubitatum fuiſſe*, non *dubitari potuiſſe*, & imo apud veteres juris conditores tempore illius ferendæ legis, minimeque apud juris Curioſos; & ego affirmanter ajo veriſimilem hanc conjecturam tantum habere roboris, quantum altera ipſius legis *ſi quis necandi* vires accipit a verbo *aggreſſave*; & non modo, ut vulgi opinioni, & ſenſui occurreretur; ſed ſummorum etiam virorum auctoritatibus, & opinamentis; qui revera aliter de Infante, aliterque de Hominis perfectæ ætatis qualitatibus verba faciunt, ut cum Tullio, Plauto, Seneca, & ſacro Textu jam antea monui.

Conjecturam hanc Gothofredi, quæ proficiſcitur ex verbis, *ſi quis*, & *Aggreſſave ſit* Noodtius non animadvertit in expoſitione ejuſdem legis, licet integra verba legis referat, & Gothofredum ipſum indigitet adverſus Rævardum ſuaviter opinantem in illa Valentiniani lege Infantis ſacrificium, ſeu immolationem; unde indicium ſumo, Noodtium approbaſſe eandem Goth. non conjecturam tantum, ſed evidentiam ab illa lege manantem. De Guaraſio patre, vel Cæſare filio ejuſdem triluſtri id forſan dici nequit, certe namque ejuſdem legis expoſitio a Rævardo jamprimum excogitata, a Gothofredo deinde, & Noodtio ſatis feliciter improbata nunc denuo lucem non vidiſſet.

Redeamus ad Gothofredum. Ipſe primum appellat Infantem *hominem imperfectæ ætatis*, & hoc quoque Cujacius dixit, vocando infantem *imperfectum Hominem*; ipſemet quoque Gothofredus exiſtimat (& quod ita exiſtimare debuerat, haud dubium eſt, lege illa cogente) quod ſcilicet dubitationis tollendæ cauſa expreſſum fuit verbum *aggreſſave*, cum ſatis mulier, ſeu fœmina ſubintelligeretur ſub priori vocabulo *ſi quis*. Et Cujacius deinde, quod exiſtimaſſet potuiſſe ſimili modo dubitari non contineri ſub Hominis appellatione

(31) *Lib. 9. de Republica.*

(32) *Lib. 7. de Cauſis Corruptarum Artium.*

Source : BIU Cujas

ne Infantem, ac proinde prolatam a Valentiniano ſeniore legem, *ſi quis necandi* in Infantum etiam occiſores, objurgandus eſt, quod in errore manifeſtario cubet, ut verbis utar Gothofredi, vel parum intenderit felices ingenii ſui vires, ut moderatim Noodtius; ſive quomodo juvenili fervore ductus Guaraſius Cujacium ipſum criminatur *col.285.litt.D.* his verbis: *Ecce quot in erroribus hæc explicatio involvitur. Ego dico nunquam in homine ratiocinante cadere poſſe tam impropriam ſententiam noſtræ legi affictam.*

Intellexiſtis hæc, vos in re legali Viri eruditiſſimi, quibus mens fuit, animuſque eſt cum Cujacio ſapere id, quod germana, ac maſcula Romanorum Juriſprudentia edocet!

Sed in hoc eodem ſubjecto adhuc parumper inſiſtendum eſt. Cujacius certe minime ait, quod dubitatum fuit apud Valentinianum illius legis conditorem, an quod de homine occiſo ſtatutum fuerat anterioribus legibus, idem intelligi de Infante necato, ſeu quomodolibet occiſo; ſed tantum dixit, quod *dubitari poterat*, & alias, *dubitari potuit*. At cur, & a quibus hæc dubitatio? Ab iis forte, ſive vulgaribus, ſive ſapientibus hominibus, qui ne dubitarent, an mulier comprehenderetur ſub diſpoſitione legis *ſi quis necandi* admoniti fuere ab Imperatore illa ſequenti vocula *Aggreſſave*.

Argumentum ſimile eruitur ex legibus anterioribus legi noſtræ, *ſi quis necandi* ſub tit. *ad l. Corneliam de Sicar.* in quibus de Hominis nece, & non equidem Infantis abſoluta, & præciſa ſermocinatio eſt. Simile quid affert Cujacius in *l. 2. §. Publiciana ff. de Public. in rem act.* in qua diverſus ſermo de Homine, & de Infante inſpicitur, diſpoſitioneſque diverſæ, ut jam antea dictum eſt; & ab aliis juris ſanctionibus libenter abſtineo, ne in re tam clara amplius immorari videar, maxime cum alio decurrendum ſit, ad alteram nempe Gothofredi conjecturam, quam, ut Cujacium errore manifeſtario notaret, affinxit controverſæ legi *ſi quis necandi*. Qua in re paucis me expediam.

Jacobus igitur Gothofredus, ut Cujacii interpretationem refelleret, pertinere ait legem, *ſi quis necandi* ad Infantes recens natos ex vulgivaga venere, & quos de vulgo patres, vel vulgariæ matres enecare ſolebant velandæ turpitudinis cauſa. Ex hac interpretatione damnum jam ſentiet primum conjectura Noodtii, qui de Infantibus expoſitis arguit illam legem protuliſſe Imperatorem Valentinianum: Rævardus inſuper, & nuper Guaraſius noſter, qui eam legem referunt ad Infantis immolationem, funeſtumque ſacrificium. In tanto diſſidio nonne melior erit interpretatio Cujacii, qui eam legem accipit de quocunque Infante occiſo? & alias ſuſpicari quis poſſet, ſi conjecturam Gothofredi probaremus, eandem legem non pertinere ad eos, qui quocunque furore perciti, ac diverſa, quam vulgivagæ veneris, ſeu turpitudinis velandæ cauſa inducti Infantes enecant; nec ad eos, qui non modo recens natos, ſed uſque ad ſeptennium, quo perdurat infantilis ætas (33), tale facinus committerent? Imperatores denique in noſtra l. *ſi quis necandi* indiſtincte de Infante, ejuſque nece verba faciunt; nulli propterea fas eſt attentare diſtinctionem, ubi lex non diſtinguit; alias hoc revera eſſet, vel torquere leges, vel novum calumniandi leges ipſas inventum, quod vulgata jura ſatis ſuperque prohibent, & abhorrent. Satis igitur bene Cujacius noſter edocet in Comment. ad l.4. *ff. ſi ingen. eſſe dicetur* lib.22.quæſt. Papinian. (34) inquiens: *Nec male illo loco Interpretes, ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debere: nam & ita Hermog. lib. de ſtatu*, lex, *inquit*, non diſtinguit, ſed ſimpliciter loquitur, & indiſtincte. *Unde ſignificat, nec nos diſtinguere debere; nihil horum diſtinxit lex, ſed ſimpliciter locuta eſt. Qua tamen ſententia non debemus abuti.*

Præclara hæc verba a Cujacio jamdiu prolata videntur; ut quodammodo præſentiendo tot Adverſariorum ſuorum cenſuras, propriam propterea tueretur cauſam; injuriamque ſententiæ ſuæ illatam ſtrenue, ac ſapienter aliorum jurium innixus auctoritatibus depelleret, ac propulſaret.

Quod inſuper a Noodtio excogitatum eſt in interpretatione legis 2.C. *de infantibus expoſit.* referendam ſcilicet animadverſionem in dicta lege conſtitutam ad noſtram leg. *ſi quis necandi*, vel parvi faciendum eſt, vel nihil habet commune cum objecto diſputationis noſtræ: vel ſaltem incidit in idem argumentum, quod paulo ante expoſitum eſt adverſus Jacobi Gothofredi conjecturam; vel tandem, quia ipſo Gothofredo adverſante, verum eſt quod *in Patres*, ait Gothofredus, *liberos exponentes aliæ ſunt leges, quæ cum lege*, ſi quis necandi *nihil commune habent*. Sed operæ nunc pretium ſit perpendere hic quoque, quæ non modo adverſus Rævardum, Noodtium, & Gothofredum, ſed contra Cujacium ipſum in interpretatione hujus vexatiſſimæ legis opinatus fuit vir clariſſimus Cornelius Van Bynkerſoek in ſuo opuſculo: *de jure occidendi liberos*.

Hic igitur conjecturas Noodtii improbat: obiter adverſatur Rævardo, Cujacio, Gothofredo item ipſi, (cap.7.circa finem) cujus conjecturis adhærere prius videbatur; ſed ut facile perſpiciatur, an Bynkerſoechius recte ſentiat adverſus Cujacium noſtrum, hic ante omnia exſcribere juvabit verba ejus, quæ ſic habent: *Itaque quod ad Infantis necem ſic fuit, ut ſupra expoſui jure Pandectarum, ſic fuit ex lege Conſtantini, quam, ut ſupra, laudavi; & ſic etiam eſt ex conſtitutione Valentiniani, Valentis, & Gratiani* in l. 8. C. ad l. Cornel. de Sicar. ſi quis, *inquiunt Imperatores*, necandi infantis piaculum aggreſſus, aggreſſave ſit, ſciat ſe capitali ſupplicio eſſe puniendum: *quæ lex totidem verbis tranſcripta eſt in jus Pontificium* c. 1. de Pœnitent. diſtinct. 1. *& hæc ipſa lex eſt, qua Lipſius* PRIMUM *vindicatam putat Infantis cædem* ANTE LICITAM; *& ita quoque cenſet vir clariſſimus Gerardus Noodt in Julio Paulo c. IX. ita tamen, ut Noodtius eam non exaudiat de omni Infante, ſed tantum de ſanguinolento, ſive recens nato, ratus aliorum cædem, & ante hanc Conſtitutionem fuiſſe punitam.* CUJACII, *& Rævardi ſententiæ de hac l. 8. ab aliis relatæ, & merito ſuo refutatæ ſunt, etiam a Jacobo Gothofredo ad l. 1. C. Theod. ad l. Cornel. de Sicar. poſtea, & ab aliis, in eandem ſententiam IPSE NIHIL ADDO:*

(33) *Ex l.18.C.de jur.deliber.*

(34) *Tom.IV.Edit.Neap.col.615.lit.D.E.*

Source : BIU Cujas

DO: Gothofredus autem, qui nobiſcum ſentit, omnem omnino Infantum cædem, & ante fuiſſe prohibitam, Valentinianum in d. l. 8. *de novo genere pœnæ intelligit de pœna capitali, quæ & perfectæ ætatis homine occiſo irrogatur*, breviter, *inquit*, hac l. pœnæ genus conſtituitur, & augetur: *ſed ea ſententia nos non utimur, quia jam ante Valentinianum Infanticidarum pœna capitalis fuit, & quidem pœna parricidii ex Conſtitutione Conſtantini* in l. unic. C. de his, qui parent. vel liber. occider. *Et, ſi vel largiamur, ad recens natos unice pertinere hanc l. 8. quo & Jacobus Gothofredus inclinat, ſine ulla tamen auctoritate, an & ideo eorum cædem ante permiſſam dicemus? non dicit Gothofredus, imo contradicit, ſed advocat necandi partus frequentiam, quæ Conſtitutioni cauſam dediſſet. Id tamen dicit Clar. Noodtius hoc argumento, quod populari errore vix pro homine fuerit habitus Infans, cui nutricis officium non acceſſerit, ut Philo ſcribit eo loco, quem & Gothofredus attulit ad l. 1. Sed an is error etiam veteres Juriſconſultos occupaverat? nuſpiam reperio, quin nec Philonem ipſum occupaſſe ipſe luculenter demonſtrat eo loco, quem ſupra indicabam ex legibus ſpecialibus, ubi eum, qui matrem, fœtumve in utero percuſſit, ut inde abortus ſequatur, tunc pro homicida habendum cenſet, ſi fœtus non ſit amplius rudis indigeſtaque moles, ſed formam hominis acceperit, quæ diſtinctio & Philoſophis quibuſdam probata fuit: magis igitur ſecundum Philonem homicida erit, qui partum jam editum necaverit.*

Sed hæc ſi ita ſint, quid tandem dicemus de hac l. 8.? Et quid tunc ad Infantum necem coercendam opus fuit nova Conſtitutione? Atque ſi ſcilicet graſſantibus delictis non ſæpius occurratur novis legibus, quæ repetunt veteres pœnas. Infantes cædere, vel primum natos, vel aliquantiſper adultos pro LUDIBRIO *fere habebant corrupti mores illius ætatis, ut ab aliis prolixe obſervatum eſt, & ingraveſcentem hanc nequitiam nova lege compeſcuit Imperator Valentinianus. Si hæc ratio non ſuffecerit, dici forte poſſet non aliam legem ante hanc fuiſſe, quæ nominatim de Infantibus edixerat, in hos ſibi plus licere ſi quis maleſanus exiſtimaret, quod Conſtantinus in d. l. unic.* filii *meminiſſet, diſtincti fortaſſe ab Infante, vel partu, ejus imprudentiæ hic occurſum eſt. Addo, quod Conſtantini Conſtitutio fuerit emiſſa ad Vicarium Africæ, neque ideo forte Romæ innotuerit; hæc autem l. 8. data fuit Romæ ad Præfectum Prætorio. utque ita multis modis non ſit laborandum de ratione novæ legis.*

Ex his Bynkerſoekii verbis ſatis evidenter noſcitur, & apparet clariſſimum illum virum neque verbum minimum attuliſſe ſententiæ Cujacii noſtri tot in locis ſupra vindicatæ adverſus Gothofredi animadverſiones. Verba illa ſua, IPSE NIHIL ADDO ſatis etiam ſuperque demonſtrant morem potius geſſiſſe Gothofredi opinamentis, quam ut Cujacii ſententiam aliqua in parte vel refelleret, vel propulſaret. Erexit ſe imo Bynckerſoek veluti in Arbitrum tantæ litis, parte altera non audita, utpote Cujacii ipſius argumentis, & ad eandem legem interpretationibus minime perpenſis, aut ſaltem indigitatis. Sed quicquid de hac Bynkerſoekii libertate dici amplius poſſet, & ſolummodo comparanda vetuſtæ Romanorum Tribuniciæ poteſtati in legibus condendis, (Tribunis namque illis licebat unico hoc verbo VETO Senatuſconſulta, ſententiaſque evertere) & e converſo verum eſt abunde me in hac Vindiciarum parte Cujacii interpretationem ad illam legem ſolidis aliorum jurium argumentis, & ceterorum Eruditorum conſenſu firmaſſe contra Gothofredi animadverſiones; nil propterea laborandum de Bynckerſoekii ipſius judicio, quod corruere neceſſe eſt cum Gothofredi opinamento, ſub cujus fide Bynckerſoek, & ſtans veluti in pede uno, Cujacii ſententiam inconſiderate reſpuit, & rejecit.

Nollem inſuper, quod Guaraſius lætetur de hoc futili, vaniſſimoque Bynkerſoekii judicio adverſus Cujacium, nam potius dolendum ei eſt non modo de Rævardi ſui figmento ex omnium conſenſu funditus everſo, ſed & propter ceteras, quas attulit conſiderationes ſuas Bynkerſoekius.

Juſti Lipſii auctoritas putantis controverſam noſtram legem, *ſi quis necandi* fuiſſe PRIMUM prolatam ab Imperatore Valentiniano, Valente, & Gratiano in Infantum necatores, id quod antea LICEBAT, nonne confirmat, quod alias diximus(35) pro tuenda Jacobi Cujacii ſententia? Nec equidem licere antea poterat Infantum nex, niſi fateamur, ſimulque velimus necatores illos a credulitate quadam, ſive etiam dubitatione, & vulgari errore inductos, quod ſcilicet vix pro homine habuiſſent Infantem; & antiquiſſima propterea lex Cornelia *de Sicariis* iraſcebatur tantum contra interfectores hominum, & non Infantis.

Quod forte inſuper fuerit lex noſtra, *ſi quis necandi* emiſſa, ut occurreretur corruptis illius ætatis moribus circa Infantum cædes, quæ, ut putat Bynckerſoekius, pro LUDIBRIO habebantur, & propterea ingraveſcentem illam nequitiam opus fuit nova lege compeſcere; vel quod prior lex unica Conſtantini C. *de His, qui parentes, vel liberos occiderunt* (quæ revera nihil habet commune cum l. *ſi quis necandi*, ut alias dixi (36) emiſſa erat ad Vicarium Africæ, ac proinde neceſſe fuiſſet alteram eandem legem a Valentiniano indici Præfecto Prætorio Romæ; quid quæſo detrimenti Cujacii ſententiæ, quidve adjumenti afferret expoſitionibus Rævardi, & Guaraſii opinantium in illa Valentiniani lege ſacrificium, ſive Infantum immolationem? & quid tandem, ſi aliis perſpicuis anterioribus legibus & in Pandectis, & in Codice relatis, ut in ſequenti capite dicetur, hæc impia ſacrificia fuere expreſſe jam antea prohibita, & vetita?

Sed de his omnibus ſatis ſit; & quod præterea contra Rævardum aſſeruit ipſemet Gothofredus, & poſt eundem Noodtius, hic in ſequenti capite propriis eorundem verbis exſcribere curabo, ut Guaraſius ſaltem lætetur non eſſe ſuum tantum (fas ſit dicere) errorem, quem in medium attulit recens expoſitio ejus contra Juriſconſultorum facile Principem Jacobum Cujacium.

CAP.

(35) *Col.* 316. *& ſeqq.*

(36) *Col.* 321. *litt. E.*

Source : BIU Cujas

CAPUT II.

Quomodo intelligendum eſt verbum Piaculum *in leg.* ſi quis necandi C. *Ad* leg. Corn. de Sicar.

DE hac vocula *piaculum* multum erudite, ac ſapienter dictum eſt a Diſpunctoribus ad Guaraſium (37) ut nihil addendum hic cenſeam, quam ſacrum illud in libro Judic. cap. 20. ſub verſ. 6. *Nunquam tantum nefas, & tam grande PIACULUM factum eſt in Iſrael.* Quis ergo ſani capitis hoc ſub *Piaculo* Guaraſianum, Rævardianumque deprehendet ſacrificium?

Perpendantur nunc Gothofredi, & Noodtii verba contra Rævardum: *Inanior*, inquit Gothofredus, *adhuc eſt Rævardi Conjectura tertio Conjectaneorum cap. 1. exiſtimantis, hanc legem non ad vulgare quodvis Infanticidium pertinere, verum ad Infantium immolationem, & ſacrificia a Paganis uſurpari ſolita, & quidem in Africa, quæ Tertullianus ſuis temporibus in occulto perſeveraſſe ſcribit Apologetici c. 9. eamque in rem PIACULI vocem expendit, quod Infantium immolationem, ſeu ſacrificium ſignificet. Verum fruſtra primum hanc vocem urget, quandoquidem, ut ipſe fatetur, PIACULUM pro omni ſcelere ſacroque facinore, & deteſtando accipi, quomodo ſane hic accipitur, lociſque aliis pluribus.*

Abrumpatur aliquantulum eruditiſſima hæc Gothofredi ſermocinatio, ut miremur quid contra Rævardum ipſum ſenſerit de verbo PIACULUM Guaraſius noſter! En verba ſua (38): *verbum PIACULUM aliud non denotat niſi ſacrificium.*

Forſitan aut hoc abſolute dicere credidit Guaraſius, ne alias corrueret expoſitio ſua, ſi *Piaculum* aliquando denotaret ſcelus, flagitium, crimen atrox, non ſacrificium; aut indulgendum ætati, quæ ut adoleverit, Reipublicæ legali noſtræ meliora præſtabit.

Auſcultemus nunc Gothofredum: *Secundo*, ipſe ait, *ad Valentiniani tempora perperam trahuntur ea, quæ Tertullianus de ſuo ſeculo ſcribebat, interque tempora intervallum eſt 150. & amplius annorum. Sed & magnum eſt ipſorum temporum diſcrimen.*

Tertio nihil attinebat ſpeciatim a Valentiniano hac lege Infantum ſacrificia prohiberi, quandoquidem & priores ante ipſum ætate Principes Chriſtiani, & ipſemet Valentinianus in imperii exordio; & ſi Religionum libertate facta, funeſta, & quæcunque tandem ſacrificia nominatim prohibuere, & docebit lex 7. infra de Maleficis.

Hic & parumper inſiſtendum, ut adnotetur, quod licet lex 7. quam innuit Gothofredus in Cod. Theod. ſub tit. *de Maleficis*, abſit a Cod. Juſtiniani ſub eodem tit. *de Maleficis*, reperitur tamen clariori luce idem diſpoſitum a Conſtantino (qui per plures annos Valentinianum præceſſit in imperio) in l. 1. ſub tit. *de Paganis, & ſacrificiis*, his verbis: *Volumus etiam cunctos ſacrificiis abſtinere. Quod ſi aliquid forte hujuſmodi perpetraverint, gladio ultore ſternantur: facultates etiam vindicari; & ſimiliter puniri Rectores Provinciarum, ſi facinora vindicari neglexerint.*

Mirum, quod Guaraſius, ut ipſe tentat (39) viderit tit. *de Maleficis, & Math.* in Cod. Theod. Non mirum, ſi non viderit præcedentem diſpoſitionem Conſtantini in l. 1. in Cod. Juſtiniani *de Pagan.* nam aut quædam gloriæ cupido eum inceſſit, ut expoſitione ſua celeriter Rempublicam legalem erudiret noſtram, & recrearet, aut nimia feſtinatio, quæ ſæpe juvenilem comitatur ætatem, illum vexavit, ac oppreſſit.

Hoc certe videre debuiſſet ſaltem Sertorius Pater, (quem dum nomino, honoris cauſa nomino) cum etenim Filius reprehendiſſet Cujacium (40) non fuiſſe opus aliis legibus quoad Infantem occiſum, cum pro partus abactione anteriores extarent leges in Pandectis; & partus, ſive fœtus deteriori, quam Infans ſit conditione, videnda quæ huic objectioni reſpondent Diſpunctores (41), hic retorqueri potuiſſet contra Filium, eadem, utcunque ſit, argumentatio ſua.

Nedum retorquendam reor ex lege Conſtantini, ſed ex legibus, quæ in Pandectis ipſis referuntur circa hoc funeſtum ſacrificium, quod ſubactum, ſive infictum excogitavit primum Rævardus, deinde Guaraſius huic legi noſtræ, *ſi quis necandi.*

Paulus lib. 5. ſententiarum tit. 21. alias 23. §. 9. (42) ſic ait: *Qui ſacra impia, nocturnave, ut quem obcantarent, interficerent, obligarent, fecerint, faciendave curaverint: aut cruci ſuffiguntur, aut beſtiis objiciuntur.*

Huic ſententiæ reſpondet l. *Ex Senatuſconſulto, ff. ad l. Cornel. de Sicar.* cujus verba nec pigeat audire: *Ex Senatuſconſulto ejuſdem legis pœna damnari jubetur, qui mala ſacrificia fecerit, habuerit.*

Sequitur Paulus in §. 10. ſuarum ſententiarum prænotato loco: *Qui hominem immolaverint, phanum, templumve polluerint, beſtiis objiciuntur, vel ſi honeſtiores ſint, capite puniuntur.*

Hanc Pauli ſententiam objicit Noodtius, ut dicam infra, Rævardo; ſed de eadem inſpiciendum, quid prius dixerit Cujacius: *Eadem lege*, inquit, *tenentur, qui hominem pro victima immolant, vel humano ſanguine litant: quod & Tiberium, & Adrianum vetuiſſe, proditum eſt.*

Quid ergo opus fuerat conſtitutione l. *ſi quis necandi*, ſi anterioribus legibus jam primum in Pandectis, & Codice ſtatuta quoque erat pœna mortis in impie ſacrificantes?

Guaraſius ipſe de eodem argumento (43) perfuſe loquitur, & de ſacrificiis non modo Infantum, ſed & hominum; videat nunc, & videat non feſtinanter, ne ipſe afferens impia ſacrificia Infantum

(37) *Col.* 297. *ad* 302.
(38) *Col.* 285. *lit. E.*
(39) *Col.* 286. *lit. B.*
(40) *Col. ibid. lit. E., & 287. A. B.*
(41) *Col.* 302. *lit. E.*
(42) *In Edit. Neap. Cujacii operum Tom. I. col.* 506. *lit. C.*
(43) *Col.* 288. *lit. E. & ſeq.*

Source : BIU Cujas

prohibita fuiſſe in poſteriori lege Valentiniani, in alium ſcopulum primo duriorem incidat, ut ſcilicet derogatum hac lege ſit anterioribus vetantibus funeſta ſacrificia *Hominum*. Infans certe, & ſaltem in jure, accipitur is, qui ſeptimum ætatis annum non fuerit egreſſus; ut memini dixiſſe ſupra. Neque dubium eſt, quod poſteriora jura derogant prioribus; vel ſaltem ex opinione Guaraſii inſurgeret vulgarium hominum alter calumniandi modus adverſus leges.

Regrediamur ad poſtrema, quæ ſuperſunt, Gothofredi verba contra Rævardum: *Poſtremo*, inquit, *quod Rævardus de Africa notat, ad hanc legem nihil prorſus pertinet: nam & ſi Probum, cui lex hæc inſcribitur, Italiæ, Illyrici, & Africæ Præfectum Prætorio fuiſſe fateamur, quod & ipſe jam dicere anteverti; pertinet tamen hæc lex ad Urbem Romam, ut ſubſcriptio ejus teſtatur; dicitur enim propoſita Romæ.*

Hactenus Gothofredus. Inſurgat nunc Noodtius: *Non melior*, ait, *Jacobi Rævardi* (ſententia) *is lib. 3. Conjectan. cap. 1. conjicit, prohiberi in d. l. 8. Infantum immolationem, quæ olim in Africa invaluerit. Qua cauſa? duplice. Una eſt, quod Piaculum aliquando ſacrificium ſignificat, & Impp. capitale ſupplicium conſtituunt*: Si quis necandi infantis Piaculum aggreſſus, aggreſſave ſit. *Altera cauſa eſt, quod ea conſtitutio ſcripta eſt ad Probum, qui fuerit Præfectus Prætorio per Italiam: ſub cujus diſpoſitione Italia, Illyricum, & Africa in notitia Provinciarum numerentur. Sed primum, quod de PIACULO dicit Rævardus, nihil efficit: ſiquidem PIACULUM vel ipſo authore, non tantum ſacrificium, ſed qualecunque aliud malum facinus, ſignificat. Deinde apparet ex Tertulliano, quem allegat Rævardus, olim Principe Tiberio prohibita fuiſſe hominum ſacrificia, & ante Valentinianum, Valentem, & Gratianum. Clare Paulus noſter lib. 5. ſententiarum tit. 23. §. 10. Qui, inquit*, hominem immolaverit, ex ejuſque ſanguine litaverit, Phanum templumve polluerint, beſtiis ſubjiciuntur, vel ſi honeſtiores, capite puniuntur.

Poſtremo, quod de Probi Præfectura addit Rævardus, nec hoc ullius momenti eſt. Ut enim verum ſit, Probum fuiſſe Præfectum Prætorio per Italiam, ſub ejuſque diſpoſitione Italiam, Illyricum, & Africam fuiſſe: liquet tamen (*quod jam Jacobus Gothofredus animadvertit*) *hanc legem proprie ad Urbem Romam ſpectaſſe: quia in ejus ſubſcriptione dicitur P. P. 7. Id. Februarii* Romæ. *ideſt* propoſita *VII. Id.* Februar.

Et hæc quæ contra Rævardum dicta ſunt a Gothofredo, & Noodtio, nec non a Diſpunctoribus adverſus Guaraſium (44) ſatis eſſe cenſeo, ad eliminandam conjecturam, ſeu opinionem ipſius Guaraſii, quam aſtruxit intelligentiæ illius l. *ſi quis necandi* adverſus ſententiam Jacobi Cujacii.

Unum tantum hic ſupereſt notandum, palmarem ſcilicet lapſum, ſive errorem Jacobi Rævardi in interpretatione ſua (45) a Gothofredo, & Noodtio non obſervatum; æque ſcilicet Imperatorem Valentinianum in noſtra controverſa l. *ſi quis necandi*, quam Lactantium lib. 1. cap. 1. expendiſſe verbum PIACULUM pro *ſacrificio*. Hoc evidenter falſum eſt ex ipſius Lactantii verbis a Rævardo adductis. Ibi etenim Lactantius certo certius ſumpſit verbum PIACULUM pro crimine aliquo a Carthaginienſibus admiſſo; & ut illud propterea ſolverent, ſive luerent, vel purgarent, immolaſſe ducentos nobilium filios irato Deo. Videantur ad hanc eamdem rem Diſpunctores ad Guaraſium (46). Sed quid inſuper non dixiſſet Gravina, ſupra (47) de altero hoc Rævardi commento, ut verba doctiſſimi Lactantii in ſuam traduceret ſententiam?

CAPUT III.

Quid denotent verba Aggreſſus, Aggreſſave ſit *in l.* ſi quis necandi.

FAteor de his verbis dubitatum fuiſſe apud complures, an ſcilicet ſignificent non modo occiſionem Infantis, ſed æque conſilium, ſive conatum Infantem ipſum occidendi.

Guaraſius pluribus in locis de iiſdem verbis *aggreſſus*, *aggreſſave* loquitur in expoſitione ſua; & deinde (48) inquit: *Opinor igitur Impp. Valentem, Valentinianum, & Gratianum aliud in ea lege ſenſiſſe, niſi ſtatuere ultimi ſupplicii pœnam contra quemcunque hominem, qui incipere, & attentare auderet barbarum, neſandumque ſacrificium alicujus Infantis jam jam expoſiti pro victima mendacibus offerenda Diis.*

Unde hanc ſuam opinionem apprehenderit Guaraſius, non conſtat. Forte conjicio ex ſumma Baldi, & Accurſii gloſſa ad eandem legem, cujus verba deſcripſit Guaraſius (49) inquiens: *Nullius fere admirationis eſſe debet Baldum, Accurſiumque peſſime in hoc aberraſſe: dicente primo*: aggrediens Infantem cauſa occidendi, punitur ut homicida; *& gloſſante ſecundo* (*riſum teneatis amici*) Infantis, qui nondum eſt natus, vel etiam ſi natus ſit: Piaculum, hoc eſt *crimine* (dicere voluit Guaraſius, ut Accurſius ait, *ſanguine*) piandum; vel quod pietatem promovet: *Aggreſſus*, etiam ſi non necavit. *Quoniam*, ſic fatur Guaraſius, *ut omnibus manifeſtum eſt, erant hi nudi, & ſimplices leguleji: quinimmo prorſus expertes tum hiſtoriæ, tum eruditionis.* Audiſtis hæc quoque in re legali ſummi viri?

Baldo hoc merito accidiſſe puto, utpote cum diſcipulus ille fuiſſet Bartoli, tandem evaſit æmulus: *Quæ tamen æmulatio*, inquit Gravina (50) *ut mea fert opinio, ingenii potius Baldo, quam virtutis laudem promeretur. Quid enim inhumanius, quam carpere ubique, occaſione data, magiſtrum, ut ſolet Baldus? . . . Hujus tamen petulantiæ graviſſimas pœnas Baldus dedit.*

At de Accurſio LEGULEJO, ut eum honorifice appellat Guaraſius, quid ipſemet Gravina dixe-

(44) *Col.* 295. *ad col.* 308.
(45) *Col.* 293. *lit. A. B.*
(46) *Col.* 298. *lit. C.*
(47) *Col.* 316. *lit. A.*
(48) *Col.* 287. *lit. C. D.*
(49) *Col.* 284. *lit. A.*
(50) *De ort. & progreſſu juris civ. cap.* 165.

Source : BIU Cujas

dixerit cap. 154. aliique magni nominis Auctores in Præfatione Promptuarii mei relati ſub num. IX. ibi videndum ; & unum iſtud elogium, quod ei attexuit Cujacius lib. 3. obſervat. cap. 11. (51) omittendum hic non eſt: *Accurſius noſter*, inquit Cujacius, *quem ego & Latinis, & Græcis omnibus Interpretibus juris facile antepono.*

Attamen ſi verum amamus, quod ſcilicet Guaraſius ſuam apprehenderit conjecturam a ſumma Baldi in verb. *aggrediens*, & Accurſii gloſſa in verb. *aggreſſus*, ut non tantum necem Infantis, ſed & conſilium, ſeu conatum denotarent occidendi Infantem ipſum; & hæc una eſt differentia inter conjecturas illorum *legulejorum*, & propriam Guaraſii, ut illi putarent hoc verſari æque in occiſione, ac in conſilio occidendi Infantem, & Guaraſius in immolatione, & etiam in ſenſu præparati Infantis ſacrificii; potuiſſet igitur, & ſaltem gratitudinis gratia abſtinere Guaraſius a maledictis adverſus Baldum, & maximopere contra Accurſium; quandoquidem (52) *Maledictio nihil habet propoſiti præter contumeliam*. Et veriſſimum eſt alterum Publii Syri memorabile dictum: *Plerique ubi aliis maledicunt, faciunt convitium ſibi*. Vel tandem potuiſſet vereri Guaraſius, ne abſolute reprobando ſummam Baldi, & Accurſii gloſſam, ipſam quoque conjecturam ſuam corruere, & reprobandam fateri deberet.

Sed videamus quid de propoſitis verbis, *aggreſſus, aggreſſave ſit*, dixerit primum Cujacius, deinde ceteri, quos ſubjiciam, Auctores.

Cujacius nuſpiam ſcilicet in iis, quos antea adduxi locis de hoc aſſerto conſilio, ſive conatu, verba facit. Guaraſius tantum (53) affirmat, quod ſumeret verbum *aggredior* in ſenſu *invadendi*. Hoc falſum eſt, ac recte id ipſum adnotarunt Diſpunctores ad Guaraſium (54) & indubitanter Cujacius illa verba *Aggreſſus, Aggreſſave ſit* accepit pro occiſione Infantis, ad actum perducta, & minime pro invaſione, ſive *invadere*: verbum, quod etiam denotat *aggredi*. ſic Virgil. 9. Æneid. verſ. 187.

.....Aliquid jamdudum invadere magnum
Mens agitat mihi.

Cujacius ipſe, aliud quam occiſionem Infantis in ſenſu peracti criminis ſentire nequibat, cum id idem ſatis aperte Baſilicorum lex, & Theodori gloſſa intellexerint: verba prænotavi in principio harum Vindiciarum; eademque hoc opportuno loco non pigeat repetere.

Is etiam, qui infantem occiderit, pœnæ ſubjicitur, ſic illa lex in Baſilicis. *Et qui parvulum puerum occiderit, crimine homicidii tenetur*. Sic Theodorus illius legis Gloſſator.

Si hanc legem in Baſilicorum libris vidiſſet Gothofredus, non dixiſſet eam prolatam ab Imperatore Valentiniano in interfectores recens natorum. Noodtius quoque ſe abſtinuiſſet ab interpretatione ſua, inflictam ſcilicet pœnam mortis parentibus partus ſuos exponentibus, Rævardus Infantum immolatoribus, & cum eo Guaraſius; & hic tandem abhorruiſſet a conjectura ſua in ſenſu immolandi, & imo ſuſcipiendi tantum illud funeſtum ſacrificium, cum ibi ſatis aperte loquatur lex de actu perfecto occiſionis Infantis, ſeu parvuli pueri.

Mirum tamen quod, præciſa illa Baſilicorum lege, non intelligeretur ab iis omnibus, aliiſque Auctoribus hic verus ſenſus verborum *aggreſſus, aggreſſave ſit* in eodem Juſtiniani Codice! Imperator enim Valentinianus non equidem dixit: *ſi quis necandi cauſa Infantis piaculum aggrediens*; ex quibus fortaſſe verbis in ſuſpicionem aliquam venire quis potuiſſet de criminis imperfectione, ſeu de conatu, vel conſilio tantum necandi, aut immolandi Infantem, ut tentavit Guaraſius; ſed ait Valentinianus, *aggreſſus, aggreſſave ſit*; quæ indubitanter verba denotant tempus, ſeu actum criminis admiſſi, & minime incepti tantum, vel attentati.

Imperator deinde ipſe non etiam dixit, *ſi quis infantem aggreſſus*, ſed *piaculum necandi*. Piaculum indubitanter eſt idem, ac ſcelus atrox; & verbum *necandi* actum ipſum necandi, & minime aggrediendi jugulationem denotat infantis. Hoc ſi voluiſſet Imperator Valentinianus, nonne poterat ſimplicem hanc aggreſſuram, invaſionem, conatum, ſeu conſilium, & attentationem hiſce verbis exprimere: ſcilicet: *ſi quis Infantem aggrediens &c.* ſeu, *ſi quis piaculum aggrediens, ut infantem necaret?*

Non igitur conſilium, ſeu conatum occidendi, ſed actus perfectionem occiſionis Infantis priora verba legis ſatis ſuperque exprimunt, & declarant; id quod clariori luce videbitur infra, argumento ducto a præcedenti l. *is, qui cum telo* 7. ejuſdem tituli.

Veruntamen quicquid ſit de hiſce grammaticalibus quæſtiunculis a vero germanoque noſtræ legis ſenſu abhorrentibus, & de quibus viviſſime conqueritur laudatus Ludovicus Vives in ſupranominato loco, inquiens: *Quam plauſibiliter dixit Bartolus*, de verbis non curat Juriſconſultus. *De quibus ergo rebus movent tam multas quæſtiones, niſi de verbis legis, quæ ſi intellexiſſent, non ita paſſim depravaſſent leges ſtultiſſimis ſenſiculis?* hic aliud non remanet dicendum, iiſdem forſan grammaticalibus, ſive ſenſiculis, ſive contentionibus abreptos fuiſſe Baldum, ſi verum eſt eundem de verbo *aggrediens* ſenſiſſe actus imperfectionem: Accurſium ſimiliter noſtrum in verbis ſuis: *Et ſi non necavit*: Noodtium, qui prænotato loco id etiam tentat in partus alienæ miſericordiæ exponentes; non autem Jacobum Gothofredum, qui in fine Commentarii ad L. *Si quis necandi* in ſuo C. Theodoſ. hiſce ſe notabilibus verbis explicat: *Illud hic adhuc notandum ERROREM ESSE EORUM, qui hanc legem, & hæc verba ADGRESSUS, ADGRESSAVE, &c. de ſolo conatu ſentiant, quamvis nullum homicidium ſecutum fuerit.*

Dionyſius Gothof. in ſua notula ad verbum *aggreſſus* ejuſdem legis in Cod. Juſtiniani dubitanter inquit: *Si hanc particulam referas ad conſilium, huic Conſtitutioni in Gallia derogatum erit; nam conatus in Gallia non punitur.*

Id idem advertit ad eandem l. Johannes Brun-

(51) *Tom. III. edit. Neap. col. 65. lit. B.*
(52) *Cic. pro Cæl.*
(53) *Col. 285. lit. D.*
(54) *Col. 302. lit. C.*

Source : BIU Cujas

Brunnemannus. Antonius vero Perez (ferme neſcius in quo conſiſteret loco) in ſuo Commentario ad eundem titulum , etſi fretus auctoritate Zypei obiter ait ſub num. 3. *Item l. pen. hujus tit. ubi punitur Aggreſſor Infantis nullo ſecuto effectu* ; ipſemet tamen Perezius ſub præcedenti num. 2. de eadem l. ſic fatur : *Eadem lege punitur, qui hominem cujuſcumque conditionis interemerit, ſive maſculum , ſive fœminam , ſive liberum , ſive ſervum etiam proprium , ſive adultum , ſive adhuc Infantem , l. pen. hoc tit. Quamvis de Infante dubitari poterat , cum perfectus homo nondum ſit . Concepta autem ſic lex Cornelia de eo, qui hominem occideret , atque inde crimini nomen.*

Et hæc eadem eſt ſententia Cujacii , quam ſequitur quoque , ut ceteros omittam Auctores, Vincentius Gravina in tractatu de Legibus, & Senatuſconſ. Cap. 103. ubi verum eſt eruditiſſimum illum virum (prout innuit Guaraſius (55)) de nefandis Sacrificiis non modo Infantium , ſed etiam Hominum verba facere , & quæ allata ſunt (56) a Diſpunctoribus ; ſed verum quoque eſt in eodem Cap. quod vellem animadvertiſſet Guaraſius , prius Gravinam obtemperaſſe Cujacii noſtri ſententiæ de l. Cornelia in hunc modum loquentem ; *Quæ lex cædem quamlibet a quocumque ortam , ſive a pubere , ſive ab impubere dummodo doli capace , atque in quoslibet , ſive liberos , ſive ſervos , ſive peregrinos , ſive* INFANTES. l. pen. C. ad l. Corn. de Sic. Cujac. 6. Obſervat. 21.

Et hæc ſufficerent dixiſſe de voculis *Aggreſſus , Aggreſſave ſit*. At quoniam eadem quæſtio digna videtur altera ingenii cura , & vindice dignus nodus ille , quo ab aliquorum Auctorum opinamentis implicita eſt controverſa lex noſtra, *Si quis necandi*, hic liceat rem repetere ex aliarum legum ſolidiſſimis argumentis, quibus dignoſcetur notabile diſcrimen inter perfectum flagitium occiſi Infantis, & conatum Infantem ipſum occidendi.

LEgis *Is, qui cum telo* 7. immediate præcedentis legi, *Si quis necandi* hæc ſunt verba ; & quæ nec grave, nec inutile ſit denuo exſcribere : *Is qui cum telo ambulaverit hominis necandi cauſa , ſicut is qui hominem occiderit , vel cujus dolo malo factum erit commiſſum , legis Corneliæ de Sicar. pœna coercetur .*

Abeſt hæc eadem lex a Codice Theodoſiano, ac proinde illam cenſeo a Triboniano deſumptam ex Cod. Hermogeniano. In Baſilicis reperitur ſub Conſtitutione 24. lib. 60. tit. 39. & ibi ad verb. *Si quis ferro* hæc fatur Gloſſa Theodori : *Qui ferrum geſtat percutiendi hominis cauſa, quaſi homicida damnatur , licet non occidat.*

Illa igitur l. 7. evidenter loquitur de conſilio, & conatu homines occidendi ; ſed qua potiſſimum ratione? Exaudiantur præclara verba Cujacii in Commentario ad eundem Codicis titulum *ad leg. Corn. de Sic.* (57) ubi poſt interpretationem l. pen. cujus verba antea ſunt relata , inquit : *Et non eum tantum lex Cornelia coercet , qui occiderit , ſed etiam eum , qui in publico cum telo ambulaverit* OCCIDENDI *hominis cauſa* . L. 7. hoc tit. l. 3. §. 1. ad l. *Juliam de Vi publica* , juxta legem veterem μὴ ξιφοφορεῖν , ideſt , non ferre arma. *Lege autem Cornelia tenetur , qui CUM TELO in publico ambulaverit , cum hac adjectione HOMINIS OCCIDENDI CAUSA. Hæ duæ leges vere ſunt fundamenta omnium Rerumpublicarum. His legibus ſtat omnis Reſpublica , omne corpus , omne Collegium : HIC STETIT HÆC SCHOLA DIU.*

Poſtrema hæc Cujacii noſtri verba, haud dubium eſt, quin menti teneantur ab hujus inclytæ Urbis noſtræ, ceteriſque Anteceſſoribus doctiſſimis, ut nimirum auditorum ſuorum animis , cordibuſque ingerant , infigant , refigantque : Sic etenim ſtabit eorum quoque Schola diu.

Legis deinde 3. §. 1. ad *l. Jul. de Vi publ.* quam indigitavit Cujacius, hæc ſunt verba : *Eadem lege tenetur , qui pubes cum telo in PUBLICO fuerit .*

Conatus igitur *hi* , ſicuti præcipue conſiderantur ex peculiari cauſa publice incedendi cum telo , ſeu armis in ambabus legibus , quibus ſtat omne corpus , omne Collegium , & uniuſcujuſque Reipublicæ ſalus ; ita in privato delicto occiſionis Infantis, de quo l. penult. ſimpliciter , & abſolute loquitur , minime de hiſce conatibus actum fuit , ſive conſilio , & attentationibus occidendi Infantem . Ipſa imo verba l. 7. toto cælo diverſa a verbis l. penult. controverſiam , ſeu quæſtionem hanc noſtram apertiſſime definiunt . Ubi namque lex 7. voluit conatum , expreſſit , & ubi conatum noluit Imperator Valentinianus in l. penult. non expreſſit .

Ex illa igitur lege 7. non modo mirifice confirmatur Cujacii noſtri ſententia , ut alias dixi, circa repetitam verbi *Hominis* appellationem , & ſolummodo *Infantis* in l. *Si quis necandi* , ſed & altera , quæcumque ſit opinio mea , firmatur ; ut ſcilicet minime capitis ſupplicium in l. *Si quis necandi* protrahi debeat ad ſimplicem conatum occidendi Infantem ; cum conatus ipſe vim tantum privatam , non publicam reſpiciat .

Eruditiſſimus Antonius Matthæus varias enumerat ſpecies ad eandem vim publicam pertinentes (58) ibique facili negotio perſpiciendas ; ſed quod idem Matthæus in præcedenti tit. de *Adulteriis* cap. 2. n. 8. dixit , omittendum minime cenſeo .

Oſculum , baſium , ſive ſuavium , quod quis infert mulieri , in jure dicitur conatus , & perſæpe Adulterii : non tamen punitur ordinaria , ſed ſolummodo extraordinaria pœna (excepto jure noſtro , quo in hoc Regno utimur vigore Capituli Sereniſſimi Regis Roberti , & Pragmaticæ ſub tit. *de oſculantibus mulieres*) ſatis igitur bene hanc in rem noſtram inquit Matthæus prænotato loco , qui contra Bartoli opinionem ſic fatur : *Unde apparet erraſſe Bartolum , dum contendit , eum qui oſcula jam ſumpſit , ordinaria pœna afficiendum eſſe ; nec juvat eum l. 5. C. de Epiſcop. & Cleric. quæ de Aſcetriis dumtaxat loquitur , non de nuptis .*

Sed nec illi laudandi , qui oſculum vi extortum in publico capitale faciunt , eo quod concurrat vis cum attentatione : VIS ENIM ISTA NON PU-

(55) *Col. 290. lit. C.*
(56) *Col. 303. lit. A.*
(57) *Edit. Neap. tom. IX. col. 1434. litt. E.*
(58) *Lib. 48. tit. 4. cap. 1. de vi publica .*

Source : BIU Cujas

PUBLICA, SED PRIVATA EST; nec adulterium perfectum, ſed CONATUS adulterii eſt. Igitur gravius quidem animadvertetur, attamen intra gladii pœnam. Publium quidem Mœnium legimus in libertum gratum ſibi animadvertiſſe, quod nubilis jam ætatis filiæ ſuæ oſculum dediſſet: verum is ſeverioris ſeculi, is Mœnii ſenſus fuit. Aliter animatus fuit Piſiſtratus Athenarum tyrannus: Nam cum Traſibulus filiam ejus in publico obviam oſculatus eſſet, uxori vindictam expetenti reſpondit: Si illos, qui nos amant, habemus odio, quid faciemus iis, qui nos oderunt? A

Adulterii crimen, nulli dubium quod graviſſimum quoque ſit: ad publica judicia refertur; & gladio plectendum ait Juſtin. in §. 4. Inſtit. *de publ. Judic.* hiſce verbis: *Item lex Julia de Adult. coercendis, quæ non ſolum temeratores alienarum nuptiarum GLADIO punit, ſed, & eos, qui cum maſculis nefandam libidinem exercere audent.* At conatus adulterii vis non publica, ſed privata eſt. B

Paulus lib. 5. ſententiarum in *l.* 1. ff. *de extraordinariis criminibus*, ſic hanc in rem noſtram inquit: *Sollicitatores alienarum nuptiarum, itemque matrimoniorum interpellatores, etſi effectu ſceleris potiri non poſſunt propter VOLUNTATEM* (en conatum) *tamen pernicioſæ libidinis extra ordinem puniuntur;* Et in §. ult. ejuſdem legis hæc demum habentur verba: *Qui puero ſtuprum, abducto ab eo, vel corrupto comite, perſuaſerit: aut mulierem, puellamve interpellaverit, quodve impudicitiæ cauſa fecerit, domum præbuerit, pretiumve, quo id perſuaderet, dederit, PERFECTO FLAGITIO, PUNITUR CAPITE: IMPERFECTO IN INSULAM DEPORTATUR.* C

Quid igitur dicendum eſt de aſſerto conatu in controverſa noſtra *l. Si quis necandi*, cui ſimilis eſt conatus, ſeu attentatio in altero flagitio, ſeu crimine de adulteriis, & ſtupro? & demum de conatu, quem interpretatus fuit Accurſius, ceterique, quos innui Auctores, vel ferme decepti ab illis vocalis *aggreſſus*, *aggreſſave*, vel pietate permoti erga miſerrimos Infantes? D

Sed eſto, quod illæ vocalæ aliquam dubietatem inducerent, (& quam non agnoſcit, ut alias dixi, eadem purioris lectionis conſtitutio in libris Baſilicorum) quis ſani capitis in pœnalibus ultimum ſupplicium protraheret, ubi id expreſſe lex non dicat? Quinimo, ait l. 4. ff. *de pœnis*, *Interpretatione legum, pœnæ molliendæ ſunt prius, quam exaſperandæ.* Quod ſi alias in controverſa *l. Si quis necandi* voluiſſet Imperator Valentinianus, id expreſſiſſet, & hic non quærimus, ut quæri ſolet E in eminentiori Principis conſiſtorio de jure conſtituendo, ſed ut decet Interpretes, de Jure conſtituto, ſemperque *In dubiis benigniora*, ait lex (59) *præferenda ſunt.*

De conatu inſuper, aut conſilio criminis ad actum non perducti adhuc leges proſtant idipſum, & expreſſe capitis ſupplicium ſtatuentes; & præcipue in horrendi, deteſtabiliſque Majeſtatis criminis reos: patriæ proditores: ſeditioſos incedentes cum telis, de quibus proprie loquitur lex, *Is qui cum telo* publicos inſuper latrones, alioſque Reipublicæ ſalutis perturbatores; quorum propterea conatus, & crimina inter atrociſſima de vi publica rectiſſime habenda ſunt, ac referuntur; & Valentinianum, ceteroſque Auguſtos, illius legis penultimæ conditores, certe non latebat adfuiſſe.

Duo propterea ſunt fontes juris, ex quibus potiſſime fluunt, ſeu derivari videntur varia conatus crimina capitali ſupplicio plectenda; §. ſcilicet 3. & 5. in eod. tit. Inſtitutionum *de Publicis Judiciis*: Prior §. hæc habet verba: *Publica autem ſunt hæc, lex Julia Majeſtatis, quæ in eos, qui contra Imperatorem, vel Rempublicam aliquid MOLITI SUNT, ſuum vigorem extendunt.*

In altero deinde §. ſic loquitur Imperator Juſtinianus: *Item lex Cornelia de Sicariis, quæ homicidas ultore ferro perſequitur, VEL EOS, QUI HOMINIS OCCIDENDI CAUSA CUM TELO AMBULANT:* et hic ſenſus eſt legis, *Is qui cum telo*, de qua abunde dictum eſt ſupra.

Quid igitur habent commune conatus hi cum aſſerto conatu in lege noſtra, *Si quis necandi?* Nil prorſus. Hæc enim lex minime loquitur de conatu forte occidendi Regium aliquem Infantem; nec de conatu illato per quempiam in publico deambulantem cum telo cauſa necandi non modo perfectæ ætatis homines, quam miſerrimos Infantes, exemplo ducto a crudeli edicto Herodis Aſcalonitæ. Quis ergo, quove conatu, vel molimento pertrahet ad capitale ſupplicium in l. noſtra, *ſi quis necandi* ſimplex conſilium, ſeu conatum Infantem occidendi? Conatum inſuper a lege non expreſſum, ut in aliis legibus exprimitur, ſed tantum in illa lege præſumptum ab aliquot Auctorum opinamentis, ſive etiam divinationibus, ut non dicam deliramentis?

Dicendum propterea eſt conatum hunc non equidem in illa lege ſtatutum, (& quem definire & expreſſe poterat, ſi voluiſſet) ſed tantum ex aliquorum Auctorum ingenio, vel etiam erga Infantes ipſos pietate exortum; id quod certo certius noluit controverſa noſtra lex, *Si quis necandi.*

Et hæc potiſſimum, non alia ratio eſt, cur in Gallia (monente Dionyſio Goth. ſupra col. 334 lit. E. ceteriſque quas ſciam, cultis nationibus) lex ipſa, *Si quis necandi* non obſervetur quoad conatum, quem aliqui cum Accurſio Auctores, & minime Valentinianus, Valens, & Gratianus, voluerunt inflictum eidem noſtræ legi. Nec revera exemplum unum adferri poteſt in hiſce noſtris, aliiſque totius Europæ Regnis, quo demonſtretur aſſertum ex hac lege conatum fuiſſe aliquando ultore ferro vindicatum. Quinimo in generali hac repugnantia, & omnium fere nationum conſenſu ſuffulta vim quandam legislativam ineſſe cenſeo, qua ſcilicet Imperatores nec voluiſſent, nec cogitaſſent quidem plecti capitali ſupplicio conatum illum Infantem aliquem occidendi.

Sed forte quis cum Guaraſio (60) dicet: Quid opus erat lege *ſi quis necandi*, cum aliis legibus pœna eadem injuncta erat abactoribus partus, qui deterior eſt Infante? Quidque novi attulit l. *Si quis necandi*, ſi verum eſt leges alias ſub eodem tit. *ad l. Corn. de Sicar.* pertinentes ultore ferro iraſci contra necatores Hominum, inter quos & Infans eſt? Vel igitur in l. *Si quis ne-*

(59) *L. 57. flor. 56. ff. de Reg. jur.*

(60) *Col. 287. lit. A. B.*

Source : BIU Cujas

necandi aliquid aliud ſancitum fuit adverſus Infantum immolatores, & æque illud funeſtum ſacrificium attentantes, vel in eadem l. pro infligenda pœna ultimi ſupplicii ſat ſit conatus Infantem occidendi, licet non occidat, & cum telo non inceſſerit illius criminis patrator.

Variis in locis harum vindiciarum facili negotio quis noſcere poteſt diſcrimen inter controverſam noſtram l. Si *quis necandi*, ceteraſque, quas indigitat Guaraſius, aliique cum Accurſio Auctores de aſſerto conatu loquentes; ſed hic præcipua cura ſit aliud eruere argumentum ex prima ſcilicet conjectura Gothofredi (ut innui ſub cap. 1. harum Vindiciarum) quam etiam adhibuit in ſuo Commentario ad hanc, de qua agimus, legem; & forte inter hanc, aliaſque leges deprehendet Guaraſius eam notabiliſſimam differentiam, quæ intercedit inter vitam, ultimumque malorum.

POteſt igitur rectiſſime quoque conjici, Cujacii ſententia in ſuo robore manente, Imperatorem Valentinianum in l. *Si quis necandi* auxiſſe pœnam in occiſorem Infantis, quæ prius conſtituta erat in hominum interfectores ex l. *Cornel. de Sicar.*

Abſurdum quippe non eſt, ut duplici ex cauſa una legis diſpoſitio derivet; ſicque cum ex Cujacii conjectura velimus, quod lex *Si quis necandi* ortum habuerit a dubitatione illa, quæ ſaltem apud vulgares homines incidere poterat inter voculas *Hominis*, & *Infantis*; ita quoque pœna augeretur in eademet lege: anterioribus namque legibus ſub illo titulo ad *l. Corneliam de Sicariis* pœna ipſa non ſemper fuit ultimi ſupplicii, ſed aliquando *deportationis* ſtatuta in Hominum interfectores. Hæcque prima Gothofredi conjectura fateor (ut alias memini dixiſſe) mihi ſummopere arridet; quamvis eam non intellexerit Noodtius: eandemque in dubium revocaſſet Byncker ſoekius; & ipſemet Gothofredus obiter, & pauca dixerit, ut in alteram migraret conjecturam ſuam jam antea hic ſolidis argumentis rejectam.

Videndum igitur, quibus legum fundamentis nitatur illa prima Gothofredi *conjectura*.

Inquit Gothofredus: *Hæc cum ita ſint, & jam olim ante Chriſtianorum tempora fuerint obſervata, ecquis de Infante dubitare poſſit, homicidio ejus pœnam irrogatam fuiſſe? Ecce enim Tertullianus apertiſſimis verbis lib.* 1. ad Nationes, *quem nos primi edidimus cap.*15. Non aliter vos quoque, *inquit*, Infanticidæ, qui Infantes editos necantes, legibus quidem prohibemini, ſed nullæ magis leges tam impune, tam ſecure eluduntur: *ad quem locum nonnulla jam notavi; de his igitur conſtabat. Niſi quod moribus jam corruptis, de facto hæc cædes diſſimularetur, & in conſuetudinem venerat. Sed de illo dubitatum, quanam pœna Infanticida teneretur? Nam quæ viſceribus ſuis vim infert, ut modo dicebamus, & ſi homicidium proculdubio admittat*, EXILIO *tamen* (videnda quæ ſcripſit Guaraſius (61) *ferme hactenus puniebatur. Verum Valentiniano hac lege viſum fuit crimini adeo obviare, ut capitalem Infanticidio pœnam imponat, ideſt eandem, quæ perfectæ ætatis homine occiſo imponitur. Homicidium enim lex ultore ferro perſequitur l.* 3. §. 5. ff. de Sicariis. BREVITER *hac lege* PŒNÆ GENUS CONSTITUITUR, ET AUGETUR.

Miror quod Gothofredus pro hac firmanda conjectura uſus fuerit tantum legibus pœna exilii vetantibus partus abactionem; cum aliæ ſint melioris notæ leges in Pandectis, & Cod. ſub eod. tit. Ad l. *Corn. de Sicariis*, ex quibus arguere poterat auctionem pœnæ ad ultimum uſque ſupplicium in l. *ſi quis necandi*.

In Pandectis namque ſub prænotato tit. duobus in locis perſpicue de pœna legis Corneliæ fit mentio; in §. ſcilicet pen. l. 3. (qui idem §. eſt, quem ſupra allegavit Gothofr.) & *in* l. *qui cædem*. Illius §. hæc ſunt verba: *Legis corneliæ de Sicariis, & Veneficis pœna in inſulam* DEPORTATIO *eſt, & omnium bonorum ademptio. Sed ſolent hodie capite puniri: niſi loco poſiti fuerint, quam ut pœnam legis ſuſtineant: humiliores enim ſolent, vel beſtiis ſubjici: altiores vero* DEPORTANTUR *in inſulam*.

Lex deinde QUI CÆDEM ſic concepta eſt: *Qui cædem admiſerint ſponte, dolove malo in honore aliquo poſiti*, DEPORTARI *ſolent: qui ſecundo gradu ſunt, capite puniuntur. Facilius hoc in Decuriones fieri poteſt: ſic tamen ut conſulto Principe, & jubente id fiat: niſi forte tumultus aliter ſedari non poſſit*.

Ad hanc legem reſpiciens eruditiſſimus Bynkerſoek in cap. 4. *de Jure occidendi liberos* ſic inquit: *Vides Adrianum puniviſſe patrem filii interfectorem, quamvis juſtiſſima indignatione motum, & puniviſſe* DEPORTATIONE, *quæ* ORDINARIA *legis Corneliæ de Sicariis pœna eſt*.

In lege deinde 7. Cod. ad *l. Cornel. de Sicariis* (cujus verba antea ſunt relata) nulla alia pœna ſtatuta fuit, quam illa ſub capite legis Corneliæ contenta: hæcque (ut ibi recte adnotavit Accurſius) *eſt* DEPORTATIO *in majoribus, ſed in minoribus decapitatio, vel beſtiis ſubijci*.

Hic denique referenda ſunt verba *l. quoniam* C. *ad* l. *Juliam de vi publica*, utpote multum ad pœnarum diverſitatem, ſeu differentiam, de qua agimus, pertinentia: *Quoniam* (ait lex) *multa facinora ſub uno violentiæ nomine continentur, cum aliis vim inferre certantibus, aliis cum indignatione reſiſtentibus verbera, cædeſque crebro deteguntur admiſſæ: placuit ſi forte quis, vel ex poſſidentis parte, vel ex ejus, qui poſſeſſionem temerare tentaverit, interemptus ſit, in eum ſupplicium exerceri, qui vim facere tentaverit, & alterutri parti cauſam malorum præbuerit: & non* RELEGATIONE, *aut* DEPORTATIONE *plectatur, ſed ſupplicium capitale excipiat*.

En pœnarum differentia inter Deportationem, & ultimum ſupplicium; & en quomodo luculenter inſurgit nunc legis *Si quis necandi* conjectura altera: ut ſcilicet indiſtincte pœnam mortis ſubiret is, qui necandi Infantis piaculum aggreſſus, aggreſſave fuerit; & nulla penitus adhibita diſtinctione, an Infanticida, ſeu tanti ſceleris

(61) *Col.*286.*lit.E.& ſeq.*

Source : BIU Cujas

ris patrator altioris, vel humilioris conditionis fuiſſet; quandoquidem in hominis cæde, ſive occiſione anteriores leges pœnam deportationis infligebant Decurionibus cum ademptione bonorum tantum, non vitæ.

Hoc revera exigebat flagitium, & crimen necandi Infantem; ac propterea rectiſſime Imperatores in illa Codicis lege non alia ex cauſa uſi fuere vocabulo PIACULUM, niſi quod ſit ſcelus, facinus, & non vulgare quoddam crimen, capitali propterea ſupplicio plectendum, minimeque deportationis, aut bonorum ademptionis pœna.

Et quis neget, quæſo, atrocitatem criminis in Infantis crudeliſſima nece? Infans dicitur, quia neſcit fari (ut ait Ulp. in l. 1. §. *Jufficit ff. de adminiſtr. Tutor.*) Non ergo aliqua injuria permotus hoc horrendum facinus quis patrare dicendus eſſet, ut Infantem necet: perbelle Ovidius (62) cecinit:

Quid puer admiſit, tam paucis editus horis?
Quo læſit facto, vix bene natus Avum?

Infans certe ſuis tenellis manibus contra quemcunque ſceleſtiſſimum interfectorem nullam ſuæ innocentis vitæ cuſtodiam adhibere valet, nec aliquo modo tanti facinoris patratorem repellere. Infans inſuper innoxius, innocens, omnique deſtitutus auxilio, quo vitam tegat, & tueatur ſuam, barbaro aggreſſori ſuccumbens, indigebat profecto legum ſanctiſſimarum quodam voluti præſidio, ut altera majori pœna impius Infantis occiſor plecteretur, quam in alios ſtatuta erat, vel exilii, ut voluit Gothofredus, vel deportationis, ut innuunt modo allatæ leges ad rem noſtram optime facientes. Et imo ad hoc necandi Infantis PIACULUM, flagitium, ſcelus, aliquantiſper confluere Accurſii gloſſam, quam reprobavit Guaraſius, dici ab aliquo poſſet; dum Accurſius ipſe ait in verbo PIACULUM: *hoc eſt ſanguine piandum, vel quod PIETATEM PROMOVET.*

Ceterum ad hanc pietatem excitandam, ſive promovendam Guaraſius *ipſe* pluribus in locis expoſitionis ſuæ (licet ad Infantum ſacrificia tendentis) multa ſapienter, & eloquentiæ lepore adſperſa verba fecit. Ecquis revera hanc pietatem non ſentiet, non video, niſi forte quempiam barbara, ac ferina natura indutum cenſeamus?

Hoc igitur ſcelus, Piaculum, æque merebatur ſanctiſſimarum legum pœnam deportatione majorem, & pro miſerrimorum Infantum præſidio legem ab anterioribus diverſam, ut ſic tanti facinoris patratores, ubi illud forte crimen auſi ſint committere, indiſtincte, & nullo facto, ſive adhibito perſonarum diſcrimine ultore gladio plecterentur.

Et hic aptiſſime congruit Benedicti Carpzovii ſententia in ſua Praxi Rerum Criminalium (63) ubi ait, Nobiles quoque ſubjiciendos eſſe pœnæ Infanticidii, & nulla prorſus adhibita perſonarum diſtinctione, cum leges pœnam illam ſtatuentes indiſtincte loquantur. Ac propterea (inquit *num.* 41.) *Nec Nobiles acerbitatem pœnæ Infanticidii effugere poſſe, delicto hoc ab ipſis perpetrato*; & demum (64) ſic fatur; *Ratione perſonæ quoque aggravanda eſt pœna in occidentem Infantem. Quia enim homicida ab Infante non offendi, neque Infans homicidium præcavere, minus vero huic reſiſtere poteſt, utique homicidium ejuſmodi atrocius eſt quovis alio ſimplici, adeoque homicida talis graviori pœna affici debet.*

Nollem hic tamen, ut hac pietate permotus erga miſerrimos Infantes quis cum Accurſio, aliiſque Auctoribus putet, ut alias dixi, eadem forte afficiendum pœna, qui conatum, ſive conſilium præſtitiſſet tantum occidendi Infantem; & qua in lege noſtra, *ſi quis necandi* plectitur Infantis occiſor; ſatis enim aperte me probaſſe cenſeo in crimine de vi privata nunquam conatum puniri illa eadem pœna, qua tanti facinoris patrator, ad actum nimirum occiſionis perducti, a legibus plecti jubetur; & alias nulla eſſet differentia inter crimina de vi privata (de quibus loqueretur lex, *ſi quis necandi*, modo in ea concipi poſſet aſſertus conatus occidendi Infantem) & crimina de vi publica, de quibus verba facit l. *Is qui cum telo* 7. nullumque inſuper diſcrimen pœnarum in utraque lege.

Ipſemet deinde Carpzovius (65) ſic rectiſſime loquitur: *In omnibus, & quibuſvis delictis* (ſupplerem *de vi privata*) *ſive ſint atrociſſima, ſive non, conatus, quantumvis ad actum proximum fuerit deventum, ordinaria cujuſvis delicti pœna non debeat puniri.*

Et Carolus Antonius de Roſa in Defenſione Reorum 5. ſub *n.* 33. ſic ad pœnarum diſcrimen rectiſſime hæc verba fundit: *Igitur quod convenit, eſt, ut pro modo culpæ inferatur pœna, minimeque convenit, ut tam pro conſumato crimine, quam pro attentato, ſicque pro gravi, & minus gravi, eodem quis feriatur ſupplicio; id quippe ex eo ratio non patitur, quod ſenſui non quadret.*

Nec revera ſenſui, & rectæ rationi quadraret (ut verbis utar laudati Auctoris) eadem pœna afficiendum conatum Infantis occidendi, qua plecti jubetur vel Infantis occiſor, vel voluntas, & conſilium in atrociſſimis criminibus de vi publica adverſus ſeditioſos & conſpiratores in Rempublicam, Patriam, Principem ipſum, Civiumque ſecuritatem. Sed e diverticulo in viam.

Conjectura igitur hæc, & qualiſcunque ſit mea ab illa prima Gothofredi, de qua hic iterum recurrit ſermo, in hoc tantum differt, quod ipſe reſpiciens pœnam, & plerumque exilii anterioribus legibus inflictam partus Abactoribus, exiſtimarit pœnam in l. *ſi quis necandi* a Valentiniano in eoſdem auctam, ut æque eſſet pœna, quam contrahit hominis perfectæ ætatis occiſor; ego exiſtimem pœnam ultimi ſupplicii in illa lege a Valentiniano ſtatutam complecti non modo partus Abactores, ſed & ceteros quoque Necatores Infantum, & cujuſcunque ætatis Infantes ſint, & qualiſcunque conditionis illius ſceleris patrator.

Cujacii conjectura illam legem exaudit de quocunque Infante necato, quod vellem animadvertiſſent Gothofredus, Noodt, & Guaraſius illius clariſſimi viri ſententiam impugnantes. Sive enim abactus in matris viſceribus fœtus, ſive dum recens natus, & ſanguinolentus velandæ turpitudinis

(62) *Epiſt. Heroid.* 11. *verſ.* 109.
(63) *Part.* 1. *quæſt.* 9. *n.* 38.
(64) *Quæſt.* 24. *n.* 33.
(65) *Part.* 1. *quæſt.* 17. *n.* 11. & 13.

Source : BIU Cujas

cauſa necatus, ſive dum expoſitus fuit, ſive immolatus; unum certe idemque legis, *ſi quis necandi* objectum, & finis eſt; ſcilicet Infantis nex, aut mors, & minime conſilium, ſive conatus Infantem occidendi: & hinc Gothofredi, & Noodtii lapſus (ut de Rævardi, & Guaraſii conjectura altera taceam) qui non de quocunque Infante eam legem exaudiunt.

De illa vero prima Gothofredi conjectura quod dixi, hic teſtor, profiteorque, me non eo animo dixiſſe, ut altera Cujacii noſtri peſſum eat: ſummopere enim me probaſſe cenſeo Cujacii Conjecturam optimis, ac ſolidis aliarum legum argumentis fulciri. Id quod optaſſem, ut Gothofredus feciſſet de ſua, dum pœnam exilii ad ultimum uſque ſupplicium auctam *in* l. *ſi quis necandi* autumat, argumento ducto a legibus partus abactionem vetantibus, non ab aliis melioris notæ legibus ſub eodem Tit. *ad l. Corn. de Sic.* pœnam tantum deportationis Decurionibus, aliiſque honeſtioris conditionis viris minitantibus.

Hanc nihilominus opinionem meam, Vindiciaſque omnes (etſi quammaxime a Fori occupationibus diſtentas, ac interturbatas) libenter ſubjicio approbandas, vel rejiciendas non modo a Bernardo Tanusio noſtro, aliiſque ſapientibus in re legali Viris, ut in epiſtola ad Diſpunctores memini dixiſſe, ſed doctiſſimo quoque Sertorio Guaraſio *Conſtantium* Academiæ Principi, & Cæſaris magnæ ſpei adoleſcentis ad majores legalis ſcientiæ progreſſus advolantis parenti amantiſſimo. Cæſarem tamen ipſum obſecro, obteſtor, deprecorque, cum in ceteras Cujacii noſtri ſententias forte voluerit intendere felicis ingenii ſui vires, nunc certe tenellas, id faciat ipſo Cujacio conſulto, legibuſque prius, quarum Cujacius Eruditorum omnium conſenſu vindex, & cuſtos eſt, bene, exacteque perpenſis.

Eundem poſtremo Cæſarem moneo (quod ſaltem huic meæ concedat ætati, qua in exercitationibus forenſibus perdiu impallui) ut inter ceteras egregiæ indolis ſuæ commendabiles dotes fulgeat animi quædam moderatio erga alios ſpectatæ, probatæque ſcientiæ legalis viros; (66) quoniam maximopere in Juvenculis præcellens, & pulcherrima eſt virtutum, modeſtia; eandemque in adultis quoque viris optandam ſapienter hortatur nos Tullius (67) inquiens: *Modeſtia virtus eſt, per quam pudor honeſtus claram, & ſtabilem comparat auctoritatem.*

TANTUM EST.

(66) Videnda quæ Guaraſius contra Cujacium ſcripſit *col.* 282. *in fine* 283. *A.B.C.* 284. *B.* 285. *D.* 286. *C.D.* 287. *C.* 291. *A.&* 292. *B.*

(67) *Lib.* 2. *invent.*

Source : BIU Cujas

Admodum Rev. Dominus D. Jacobus Martorellius in Regia Univerſitate Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat. Datum die 6. Septembris 1765.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

PH. EPISCOPUS ALLIFANUS VIC.GEN.

PRINCEPS EMINENTISSIME.

COmmendandus ſane adoloſcentum labor adverſus viros jure prudentiſſimos, ſi aliquando hi quid parum caute ſcriptis illeverint: verum ſi conviciis, & ſervili quodam ſupercilio id factitent, grande audaciæ, utar verbis pro re nata, *piaculum* ipſos *aggredi* in comperto eſt: id genus elucubratiunculæ modeſtiæ plenæ inſtituendæ, cum id ferat ætas non dum maturæ, & perfectæ frugi. Gratulor propterea adoleſcentibus, qui magiſtro, & duce Dominico Albanenſi pro Cujacio, cujus nomen in legali re triumphi exemplar eſt, breves, ac laborioſas *Diſpunctiones* concinnarunt, tantique viri opinioni de Infantis nece conſultum ivere. Demum de Cujacio ingenti, atque etiam longe

gentium celebratiſſimo *Promptuarii* ſui opere perquam meritiſſimus ipſe Dominicus Albanenſis inſurrexit, & veterani militis inſtar hac quoque in parte Cujacii ſui ſententiam longioribus *Vindiciis* Græce, & Latine tutatus eſt, omnique conatu etiam quoſdam magni nominis adverſarios adortus de iiſdem ovationem retuliſſe viſus eſt. Ceterum cum libellus non ad morum pietatem ſpectet, ſed ſolummodo legere ſit de jure quodam lege conſtituto, nil vetat, quominus ab Simoniis fratribus typographis publicæ uſuræ fiat. Neapoli Idibus Septembris 1765.

In abſolutum Eminentiſſimæ Dignitatis Tuæ

Obſequium paratiſſimus
Jacobus Martorellius.

Attenta relatione Domini Reviſoris imprimatur. Datum Neapoli die 2. Octobris 1765.

PH. EPISCOPUS ALLIFANUS VIC. GEN.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

Magnificus U.J. D. D. Bernardus Ambroſius in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor, revideat & in ſcriptis referat. Datum die 10. Auguſti 1765.

NICOLAUS DE ROSA EPISCOP.PUT. C.M.

S. R. M.

ITa nobiſcum agi, experientia conſtat, ut, dum in unoquoque ſeculo vix unus, & alter doceant, quid ſit non ineptire, ineptientium contra ſemidoctorum copia obruamur: hoc amplius, ut uni Virgilio, unique Flacco plures obſtrepant Baviique, Mœviique. Is, qui lateritiam accepit, marmoream reddidit iuriſprudentiam, quique nec laude creſcere, nec vituperatione deteri poſſe videbatur, J. Cujacius, tum vivus, tum ad plures abiens, in tot incurrit adverſarios, & obtrectatores, ut eorum ſeriem bene longam pertexuerit J.G.Heineccius. Sed hi omnes debitas pœnas dedere, vel ipſi Cujacio, vel ejus fortiſſimis defenſoribus, inter quorum primos locum jure meritoque ſibi vindicat juriſconſultiſſimus Dominicus Albanenſis noſtras. Hic enim non contentus in concinnum ordinem digeſtam expromſiſſe totam Cujacianam doctrinam, quæ prius tot voluminibus diſciſſa, totque alienis locis diſtracta vix conſultiſſimo cuique patebat; neque contentus Alexandrum Scot, Oſium, & Gentilem edidiſſe acerrimos Cujaciani nominis vindices, ipſos ſuos Alumnos a prima ætate ad hoc genus pugnæ & ſolerter inſtituit, & feliciter exercuit. Cum enim nova, ſive potius καινοπάλαια quædam emerſerit Legis *Si quis necandi* 8. C. *ad L. Corneliam de Sicariis* interpretatio, quæ Cujacium ſatis male habebat, dici vix poteſt, quanta alacritate, quantoque ſucceſſu tirones hi & Cujacii gloriae litaverint, & Albanenſis genio indulſerint. Huic velitationi bonis avibus procedenti ſtatariam pugnam ipſe adjecit Albanenſis, qui conquiſitis undecunque argumentis rem acu tetigit, nuperamque illius Legis enarrationem Rævardi manibus, quibus ſubrepta fuerat, reddidit, ſimulque Cujacium in ea re, plus quam Rævardum ipſum, Jacobum item Gothofredum, G.Noodtium, C. Bynkershoekium, omneſque alios, vidiſſe, apertiſſimum fecit. Opuſculum itaque eriſtica hujuſmodi ſcripta continens, nec ſacris Majeſtatis juribus, nec bonis moribus adverſum, ſed veritati propugnandæ editum typorum luce digniſſimum cenſeo.

Neapoli Pridie Idus Septembris CIↃIↃCCLXV.
Bernardus Ambroſius.

Die 5. Octobris 1765. Neapoli.

Viſo Reſcripto Suæ Regalis Majeſtatis ſub die 28. Septembris currentis anni, ac relatione U.J. D. D. Bernardi Ambroſii, de commiſſione Reverendi Regii Cappellani Majoris ordine præfatæ Regalis Majeſtatis.

Regalis Cameræ Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reviſoris. Verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum.

GAETA. VARGAS.

Ill. Marchio Citus Præſes S. R. C. tempore ſubſcriptionis impeditus.

Et ceteri Ill. Aulæ Præfecti tempore ſubſcriptionis non interfuerunt.

Reg. fol.
Carulli.

Athanaſius.

ER.

Source : BIU Cujas

ERRATA	CORRIGE.
Col. 288. lit. B. v. 8. liberiſ-ſque	liberiſque
Ibid. v. 12. Virgili	Virgilii
Col. 291. lit. C. v. 6. inferrentem,	inferentem,
Col. 295. lit. A. v. 5. pro-ferremus	proferemus
Col. 296. lit. C. v. 9. in quorum duo,	in quorum duos,
Col. 299. lit. A. v. 4. Tullius ad Act.	Tullius ad Att.
Col. 302. lit. B. v. 11. faſqne	faſque
Ibid. lit. D. v. 8. exerſis nudatiſque	exertis nudatiſque
Col. 303. lit. B. v. 11. hæc atque ſtigia	hæc atque ſtygia
Col. 304. lit. A. v. 6. Cajo Caſſio Longino	Cajo Caſſio Longino Coſſ.
Ibid. lit. D. v. 11. *in Pythys*	*in Pythiis*
Ibid. v. 12. *Alii Iphycretem*	*Alii Iphycratem*
Col. 305. in fine not. 37. Col. 287. E.	Col. 285. E.
Col. 306. lit. E. v. 3. Lex 38. §.qui portionis	Lex 38. §. qui abortionis
Col. 307. lit. D. v. 4. De factu Mileſiæ	De facto Mileſiæ.
Col. 317. lit. D. v. 4. ſine fraude cedunto	ſine fraude cædunto
Col. 322. lit. C. v. 13. ſaltem cavillationibus	ſaltem cavillationibus
Ibid. lit. E. v. 1. recte adnotavit Anthiſtenes	recte adnotavit *differentiam* Anthiſtenes

FACULTÉ DE DROIT DE PARIS BIBLIOTHÈQUE
13411

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas

223 3C
I-II

[illegible]ARIUM

JACOBI CUJACII

TOM XII - XIII

Source : BIU Cujas